# DIPTERA SCANDINAVIÆ

## DISPOSITA ET DESCRIPTA.



Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI CORRESPONDENTE.

*TOMUS TERTIUS.*

LUNDÆ,
EX OFFICINA LUNDBERGIANA,
SUMTIBUS AUCTORIS.

1844.

# 92. SCENOPINUS Latr.

*Corpus* parvum, elongato-lineare, subopacum, glabriculum. Antennæ subdeflexæ, capite paullo breviores, articulo ultimo elongato, subcylindrico absque seta. Epistoma minime prominens. Proboscis retracta, occulta. Oculi rotundi nudi, linea media transversa purpurea sæpe notati. Abdomen depressum, 8-annulatum. Alæ incumbentes. Nervi longitudinales: 2 in apice subapproximati, & 2 in marginem interiorem descendentes; longitudinalis 3:tius ante apicem ut in *Empide* furcatus; transversus ordinarius pone medium alæ situs. Area angularis basalis subretracta. Halteres nudi. Pedes validi, nudi, mutici, tibiis posticis apice interdum incrassatis. *Color* ater. *Motu* tardus. *Habitatio* in fenestris & foliis plantarum. *Larvæ* forte in ligno degunt. *Pupa* (cfr. *S. fenestralis*). *Differentia sexus; mas:* oculis sæpissime cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis.

*). Oculi in ♂ contigui. Tibiæ posticæ in ♂♀ simplices. Pedes rufi.

1. *S. fenestralis:* ater, thorace ænescenti nigro; fronte punctulata, ænea; pedibus fusco-rufis; alis cinereo-hyalinis, halteribus fuscis, clava subtus nivea. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus totis rufescentibus.

Fabr. Antl. 335. 1. ♂. Latr. Gen. 4. 349. Fall. Scen. 5. 1. ♂♀. certe. Meig. Dipt. 4. 113. 1. var.? Macq. Buff. 2. 6. 1? ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 618. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1815. vera. — *Nemotelus* De Geer Ins. 6. 189. 11. *Scen. senilis* Fabr. Antl. 336. 3. ♀. Meig. Dipt. 4. 115. 7. ♂♀.

Var. b. ♂♀. tarsis fuscis, metatarso postico rufo.

Var. c. ♂♀. sæpe in copula cum var. a. & b. pedum

posticorum femoribus leviter, tibiisque intensius, nigricantibus; tarsis omnibus fuscis, metatarso postico rufo.

*Scen. domesticus* Meig. Dipt. 4. 116. 8. Macq. Buff. 2. 7. 5. *Sc. fenestralis var.* Fall. l. c.

Hab. in fenestris, per Scandinaviam temperatam, 20 Jun.—Jul.—24 Aug. (♂ 8 Martii, & ♀ 12 Sept., etiam rarius visi), vulgaris; scilicet in tota Scania omnes varietates promiscue obviæ æque frequentes; in Ostrogothia ex. gr. ad Lärketorp, Wadstena, Fredensborg, Gusum, Häradshammar &c. vulgaris; in Ölandia & Gottlandia, haud raro; in Nericia ad Kärr; in Bahusia ad Uddevalla; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania freq., D. *Staeger.* (E Finlandia, D. *Sahlberg*; e Petropoli, D. *Hummel*; e Berolino, var. c., D. *Hoffmann*; e Glogavia, var. b., D. *Zeller*). E pupa cylindrica, 2 lin. longa, pallide flava, nuda, constante e 9 segmentis (præter caput & thoracem) subæqualibus, singulo serie media setularum pallidarum obsito; ano acuto setis 2 terminato, specimen femineum 20 Jul. exclusum.

♂♀. Antennæ obscuræ l. nigræ. Frons ænea, subtiliter punctulata, in ♂ acute triangularis, striola in medio tenuissima lævi; in ♀ modice & paralleliter lata, lineolis 3 lævibus, nitidis, quarum 1 in medio, & 2 juxta oculos. Oculi in ♂ postice cohærentes, in utroque sexu (in vivo) obscure brunnei, æneo-submicantes, linea media transversa, angusta, purpurea. Thorax ænescens, subopacus, subtilissime punctulatus l. strigulosus, omnium tenuissime & brevissime puberulus, postice utrinque inter alas & scutellum linea elevata picea. Scutellum ænescens, summo margine inflexo albo, quæ pictura vix nisi in insecto a posteriori viso observatur. Abdomen atrum, nitidum, glabrum, transversim sulcatum, in ♂ segmentis 3, 4 & 5 apice lineola utrinque abrupta nivea. Alæ cinerascentes, lineola juxta

costam a basi & paullo pone medium, fusca. Ramulus superior nervi 3:tii furcati paullo inflexus. Nervus long. 4:tus arcuatim flectitur, fere in apice alæ l. mox ante apicem nervo long. 3:tio appropinquans. Squamæ sub alis parvæ, sordide albidæ. Halteres fusci, clava aut plerumque subtus nivea, aut interdum nivea, superne puncto fusco, aut rarissime tota nivea (& hic forte *Sc. fenestralis* Meig. genuinus). Pedes breviusculi, validi, postici longiores; toti aut rufo- l. fusco-ferruginei, coxis fuscis; aut rufi, tarsis fuscis; aut denique in var. c. rufi, coxis tarsisque obscuris, femoribus posticis plus minus obscuris, tibiis posticis fere totis nigricantibus, metatarsis posticis flavis. In omnibus varietatibus occurrunt individua tarsis fuscis, metatarso fere toto, & articulis 2 & 3 basi, flavis.

2. S. *furcinervis:* ater, thorace ænescenti nigro; fronte punctulata ænea, pedibus flavis, tarsis fuscis; alis hyalinis, nervo longitudinali 3:tio bifurcato, halteribus niveis. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scania ad Lund rarissime; in fenestra cubiculi mei d. 20 Jun. 1841 specimen unicum inveni.

♂. Similis videtur *Sc. sulcicolli* Meig. (qui ♀ est), sed *S. fuscinervis* sulculo dorsali parum perspicuo, coxis rufis, nec nigris, tibiis flavis, nec brunneis, & præcipue alarum nervis aliter directis, distinctus. A priori, cui etiam similis, magnitudine minore, pedibus flavis, nec rufis, halterem clava tota nivea, alis magis albido-hyalinis, & nervorum directione, mox dignoscitur. Thorax niger, dorsi foveola media parum profunda (an e casu orta?). Pedes flavi, tarsis fuscis, metatarso postico flavo. Alæ albido-hyalinæ, nervis ut in priori directis, sed nervo 3:tio longitudinali bifurco. Scilicet inter apicem alæ & ramulum superiorem, qui in hac specie brevior & rectior est quam in *S. fenestrali*, excurrit e nervo 3:tio in costam nervulus perpendicularis, qui cum ramulo ordinario quadratum l. fere triangulum format.

**). Oculi in ♂♀ remoti. Pedes nigri. Tibiæ posticæ in ♂ dilatatæ.

3. *S. niger:* ater, pedibus concoloribus, tarsis flavo-annulatis; halteribus nigricantibus; alis infuscatis. ♂♀. (Long. 1¼ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 116. 9. ♂. Macq. Buff. 2. 8. 7. ♂. Zett. Ins. Lapp. 619. 2. ♂♀. *Nemotelus* De Geer Ins. 6. 188. 10. t. 11. f. ♂. *Nemotelus tarsatus* Panz. Fn. Germ. 98. 20. ♂. *Scen. rugosus* Fabr. Antl. 336. 2. ♀. Meig. Dipt. 4. 117. 10. ♀. Macq. Buff. 2. 7. 6. ♀. *Scen. ater* Fall. Scenop. 5. 2. ♂♀.

Hab. in fenestris, sæpe in floribus Umbellatarum ut Ægopodii &c., interdum in foliis fruticum Syringæ, Rosæ, Carpini, rarius in graminosis, per Scandinaviam, 20 Maj. —Jun., Jul.—4 Aug., passim, in copula diversis locis multoties captus; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c.; in Smolandia ad Råby prope Junecopiam; in Ostrogothia ad diversorium Ödeshög, Lärketorp, Wadstena, Godegård, Gusum, Häradshammar & Sudercopiam; in Gottlandia ad Ejsta rar.; in Helsingia ad Norrala freq.; in Jemtlandia ad Jemtkrogen; in Ångermannia ad Hernösand haud raro; in Norvegia ad Thynæs & Levanger in parœc. Skogn, frequens. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Kilia a D. *Wiedemann* missus).

♂♀. Totus ater, subnitidus. Frons in ♂ modice angusta, in ♀ paullo latior, in utroque sexu rugulosa, antice supra antennas foveola profundius impressa. Abdomen maris in segmentis 3, 4, 5 striga transversa nivea. Alæ obscuræ l. brunnescentes, nervis validis, fuscedine cinctis, ut in *S. fenestrali* directis. Squama fusca. Halteres nigri. Pedes atri, tarsorum articulis 1 toto, 2 & 3 basi late flavis l. rufis. Tibiæ posticæ in ♂ cylindricæ, versus apicem in-

crassatæ. Specimina Jemtlandica Ostrogothicis & Scanicis plerumque minora. — Variat sæpe tarsis saltem anticis fere totis fuscis.

---

## 93. PLATYPEZA Meig.

*Corpus* parvum, oblongo-ovatum, subpubescens, opacum, subincurvum. Antennæ breves, porrectæ, articulis basalibus cylindricis, ultimo ovali, compresso, seta longa, capillari, terminali, nuda. Epistoma latum minime prominens. Proboscis occulta. Palpi subclavati. Oculi magni, nudi, rufobrunnei, unicolores. Abdomen subovale. Alæ incumbentes. Nervus longitudinalis 5:tus *) ad apicem furcatus. Area angularis retracta. Nervuli transversi longe remoti, ordinario antico ad basin retracto, & ante apicem nervi auxiliaris sæpissime sito. Halteres nudi, clava magna. Pedes validi, nudi, inermes, postici tarsis dilatatis, articulis subæqualiter latis, 3:tio sæpe longiori 5:to parvo. *Color* plerumque niger, pictura ♀ sæpe cinereo-fasciata l. maculata. *Motu* agilissima; reptatus scilicet in foliis fere circulatim; at volatus haud celer, fere perpendicularis. *Habitatio* in pratis & pascuis, loca umbrosa inter frutices amans, ubi mares, sole inter ramos lucente, choreas interdum instituunt. Versus autumnum provenit & viget. *Larvæ* in Boletis vivunt. *Pupæ* cylindricæ, nudæ, glabræ, albæ. *Differentia sexus; mas*: unicolor, oculis arcte cohærentibus; *femina:* glabricula, plerumque variegata, oculis remotis, interstitio frontali posterius sensim latiore.

A. Nervi longit. 5:ti furca ramo altero arcuato.

α). Nervus longit. 5:tus apice abbreviatus.

---

*) in Dispositione p. 42, pro "nervus 4:tus longit." lege: nervus 5:tus longit.

1. *P. boletina:* atra, abdomine fasciis cinereis (♂), aut cinerea, abdomine fasciis 5 atris (♀); antennarum basi pallida; alis hyalinis, nervulo transverso antico ante apicem auxiliaris sito, area angulari modice retracta; pedibus halteribusque aut fuscis (♂), aut flavis (♀). ♂♀. (Long. 1½ lin.).

*Mas:* holosericeo-ater. Oculi rufi. Thoracis limbus posticus sæpe, & scutellum subtus, brunnescentia. Abdomen posterius fasciis cinerascentibus obsoletis, ano summo apice cinereo. Halteres nigricantes, petiolo fusco. Pedes obscuri, tibiis anterioribus tarsisque omnibus dilutioribus, in nuper exclusis pallescentibus; tarsi postici articulis subæque longis;

*Fem.:* cinerea. Oculi brunnei. Thoracis lineæ 2 fuscæ obsoletæ. Abdomen fasciis 5 atris, 4 anticis utrinque acutis. Palpi, halteres pedesque toti, flava. Tarsi postici articulo 3:tio ceteris longiori.

Fall. Platypezin. 4. 1. ♂♀. genuina. Meig. Dipt. 4. 5. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 18. 4. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Syringæ vulgaris, Populi tremulæ &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 1 Jul. —24 Sept., passim; scilicet in Scania ad Abusa & Esperöd; in Ostrogothia ad Lärketorp, Fredensborg (D. *Dahlbom)*, Godegård, Gusum (D. *Wahlberg*), &c., haud infrequenter; in Smolandia ad Wärnanäs; in Nericia ad Kärr; in Dania, D. *Staeger.* E pupis, in Boleto Pruni Cerasi captis, specimina utriusque sexus, 25 Jul., 26 Aug., egressa, ad Lärketorp, Fredensborg & Abusa invenimus D. *Dahlbom* & ipse.

♂♀. Antennæ basi flavæ. Alæ hyalinæ. Nervi longitudinalis 5:ti apex, qui ramulum alterum furcæ efficit, infra basin furcæ vix ½ lin. continuatus, non usque ad marginem extensus. Nervuli transversi: ordinarius medius circiter ¾ lin. (ab angulo inferiore) a margine alæ remotus: anticus

perspicue ante apicem nervi auxiliaris retractus. Nervus infra aream angularem, ad basin alæ modice retractam, longitudinem dimidiæ areæ paullo superat.

2. *P. fasciata:* atra, ano cinereo (♂), aut cinerea, abdomine fasciis 4 atris (♀): alis subhyalinis, nervulo transverso antico apici auxiliaris opposito, area angulari modice retracta; pedibus fuscis; halteribus aut obscuris (♂), aut flavis (♀). ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* totus holosericeo-ater, pubescens, ano perspicue cinereo, basi puncto atro. Oculi rufi. Alæ subhyalinæ, costa stigmaticali subflavescente. Halteres nigricantes. Pedes obscure brunneis.

*Fem.:* cinerea, subglabra, thorace subimmaculato, l. dorso tantum leviter fusco. Oculi brunnei. Antennæ nigræ. Scutellum cinereum, immaculatum. Abdominis segmenta: 1:mum fascia basali atra, 2, 3 & 4 apice fascia triangulari ejusdem coloris. Singula harum per angulum medium proximæ fasciæ cohæret. Alæ subhyalinæ. Halteres flavi. Pedes fusci l. brunnescentes.

Meig. Dipt. 4. 6. 2. certe. ♀. (exclus. syn. Fall. quod ad *P. pictam* pertinet. Zett. Ins. Lapp. 529. 1. ♂♀. *Dolichopus fasciatus* Fabr. Antl. 271. 22. ♀. teste D. *Meigen* l. c. — Sub nomine: '*Plat. media* Macq. & Meig. 7. 146. 13' a D. *Staeger* mecum communicata.

Hab. cum priori passim, 24 Jul.—20 Sept., inventa; scilicet in Scania ad Esperöd & Abusa; in Smolandia; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Lapponia Umensi ad Åsele rariss.; in Dania, D. *Staeger*. E pupa, in Boleto Pruni Cerasi ad Lärketorp Ostrogothiæ capta, exclusa.

♂♀. Præter picturam feminæ aliam differt uterque sexus a priori, cui alias similis, antennis totis nigris, alis minus pure hyalinis & præsertim nervulo transverso antico apici nervi auxiliaris præcise opposito. Forte etiam nervulus

transversus medius (qui in hoc genere posticus apte vocandus) magis retractus, margini alæ interiori nempe propius situs. Scutellum apice setosum. — Sub nomine *Pl. bisetosa* a me olim divulgata.

3. *P. vittata:* atra, ano cinereo (♂), aut cana, thoracis vittis 3 antice confluentibus abdominisque fasciis 4, atris (♀); antennis nigris; alis hyalinis, nervulo transverso antico ante apicem auxiliaris sito; area angulari modice retracta; halteribus obscuris; pedibus aut fuscis (♂), aut flavescentibus (♀); tarsis in utroque sexu dilutioribus. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in foliis fruticum, 4 Aug.—15 Sept., rarius; nempe in Scania ad Abusa; in Ostrogothia in Krogarängen prope Wadstena; uterque sexus e Dania a D. *Staeger* sub nomine *Plat. holosericea* Meig., d. 24 Oct. 1842 pro comparatione mihi missus.

♂♀. Similis *Pl. boletinæ*, a qua vero magnitudine minore, antennis totis nigris, halteribus pedibusque paullo obscurioribus, & præcipue pictura feminæ, facile dignota. *Mas:* totus ater, ano apice cinereo. Alæ hyalinæ, costa stigmaticali subpallescente. Nervi omnino ut in *Pl. boletina* directi. Nervus long. 5:tus quoque non usque ad summum marginem alæ continuatus, unde ad *Pl. holosericeam* Meig. hanc nostram speciem referre non possum. Squamæ fuscæ, ciliatæ. Halteres nigri, petiolo fusco. Pedes nigri. Tibiæ fuscæ, geniculis & tarsis dilutioribus. Tarsi postici ut in *boletina*. *Fem.:* glauco-cana, glabra. Antennæ nigræ. Thoracis dorsum vittis 3 latis, atris, antice inæqualiter confluentibus (media scilicet subgemina usque ad caput extensa), postice ante scutellum abbreviatis, tricuspidatis seu tridentem formantibus. Scutellum canum, immaculatum. Abdomen fasciis 4 atris, 1:ma segmentum 2:dum fere totum occupante; 2:da in segmento 3:tio cum 1:ma in medio late cohærente; 3:tia & 4:ta liberis in apice segmentorum 4 & 5

locatis. Alæ ut in ♂, at stigmate non pallescente. Halteres obscuri, petiolo albido. Pedes fusci l. sordide testacei, tarsis præsertim basi dilutioribus, interdum flavescentibus. Tarsi postici ut in *boletina*. Similis *Pl. ornatæ* Meig. Dipt. 7. 145. 11. ♀; sed illa magnitudine paullo majore, abdominis segmentis posticis tantum punctis nigris notatis, halteribus albis, & nervo long. 5:to non abbreviato, a nostræ speciei ♀ mox distingvitur.

4. *P. modesta:* atra, thorace anoque obscure cinereis, illo vittis 4 nigris (♂); aut cinerea, thoracis lineolis 3 brunneis & abdominis fasciis 4 sub-triangulatis nigris (♀); antennis nigris, basi testaceis; alis subfumatis (♂), aut hyalinis (♀); nervulo transverso antico ante apicem auxiliaris sito; area angulari valde retracta; halteribus, ventre pedibusque fusco-testaceis (♂), aut flavescentibus (♀). ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* ater, parum pilosus. Facies cinerea. Thorax & scutellum obscure cinerea, ille vittis 4 latioribus, approximatis, nigris. Abdomen cylindricum (ut in *Callomyia*), atrum, ventre livido, ano distincte inflexo, obscure cinereo. Alæ infuscanæ. Halteres lividi. Squamæ fuscæ, ciliatæ. Pedes lividi, coxis, femoribus tarsorumque apice, plus minus infuscatis. Tarsi postici subæque magni;

*Fem.:* cinerea, glabricula. Thorax dorso lineolis 3 tenuibus fuscis, & antice (ante occiput) strigulis 2 minutis brevibus, nigris. Scutellum immaculatum. Abdomen fasciis 4 atris, subtriangulatis, vix cohærentibus, in segmentis 2, 3, 4 & 5 locatis. Anus immaculatus, acutus. Venter lividus. Alæ hyalinæ. Squamæ sordide albidæ, ciliatæ. Halteres flavi. Pedes, etiam quoad structuram tarsorum, ut in ♂, sed paullo dilutiores.

Stæger in litt. 24 Oct. 1842. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali, rarius; in Scania

rarissime capta; in Dania ad Hafniam mense Octob. frequentius lecta, in utroque sexu a nobil. D. *Staeger* mihi benigne missa.

♂♀. Species vere distincta. A prioribus mox differt: ventre livido, alarum area angulari parva, ad basin valde retracta, & hinc nervo infra aream solito longiore, longitudine scilicet totius areæ & ultra, abdomine maris cylindrico, thorace feminæ lineolis 3 brunneis, &c. Alar. nervus long. 5:tus apice distincte abbreviatus; transversus ordinar. medius a margine modice remotus, ita ut nerv. long. 6:tus infra transversum ad 1 lin. long. continuatur. Nervulus transvers. anticus longe (præsertim in ♂) ante apicem nervi auxiliaris situs. Palpi & proboscis rufa.

Var. b. ♂. abdominis lateribus lividis, incisuris nigris, alarum costa stigmaticali pallescente; forte specimina juvenilia. Affinis *Pl. rufæ* (9), sed nervo long. 5:to ad summum marginem alæ non extenso &c., ab illa dignotus. In Scania ad Esperöd & Absa 9—20 Sept. 2 specimina inveni. A D. *Staeger* etiam communicatus.

5. ***P. consobrina:*** cinerea (♀), thorace subimmaculato; abdominis fasciis 4 subtriangulatis, antennisque, nigris; alis hyalinis, nervulo transverso antico apici auxiliaris opposito; area angulari valde retracta; halteribus pedibusque flavescentibus. ♀. (Long. 1¾ lin.).

Hab. in Suecia media rarius; in foliis Syringæ horti villæ Lärketorp Ostrogothiæ, atque etiam in Populetis, pauca specimina inveni. E pupa cylindrica, nuda, alba, in Boleto capta, individuum egressum quoque obtinui.

♂♀. Simillima priori, sed antennis totis nigris, nec basi rufis, thorace immaculato seu lineolarum brunnearum vix vestigio, & essentialiter nervo transverso medio ad marginem alæ magis retracto (hinc nervi long. 6:ti apex infra nervum hunc transversum brevissimus), atque nervulo transv.

antico apici nervi auxiliaris præcise opposito, distincta. Tarsi postici paullo latiores quam in præcedente videntur. Fascia abdominis 4:ta (in segmento 5:to) obsoleta, ita ut vix nisi 3 fasciæ nigræ manifestæ observantur. — Mas deest.

6. *P. media:* atra (♂); halteribus pedibusque nigricantibus, tarsis fuscis; alis hyalinis, nervo transverso medio margini valde approximato, nervulo transverso antico paullulum ante apicem auxiliaris sito; area angulari modice retracta. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 18. 6. ♂. Meig. Dipt. 7. 146. 3. ♂.

Hab. in Suecia rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp specimen descriptum mens. Sept. inveni.

♂. Tribus primis speciebus similis & affinis, sed a *P. boletina* abdominis fasciis griseis nullis, ano non cinereo, antennis totis nigris; a *fasciata* ano atro, nec cinereo, alarum nervulo tranverso nonnihil ante apicem auxiliaris locato, nec præcise hujus apici opposito; & a *vittata* ano atro, nec cinereo, & nervo transverso medio ad marginem alæ magis retracto, ita ut apex nervuli long. 6:ti infra tranversum vix $\frac{1}{2}$ lin. extendatur. Nervi 5:ti ramulus inferior ita quoque abbreviatus est, ut vix $\frac{1}{4}$ lin. infra basin furcæ continuetur. Costa stigmaticalis parum pallescens. Area angularis ut in *boletina*. Tarsi postici nigri ut in *boletina* constructi.

7. *P. atra:* atra, antennis, halteribus pedibusque piceo-nigris; alis aqueis, nervulo transverso antico ante apicem auxiliaris sito; area angulari valde retracta. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—1 lin.).

Fall. Platyp. 6. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 7. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 18. 7. Zett. Ins. Lapp. 529. 3. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Alni, Populi, Carpini &c., per Scandinaviam, 18 Jun. — tota æstate — usque ad 19 Sept., passim; scilicet in Scania ad Räften, Löberöd

(D. *Holm)*, Abusa, Esperöd &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Hagalund, Gusum &c., haud raro; in Gottlandia rar.; in Nericia ad Kärr; in Lapponia meridionali Umensi ad Wilhelmina rarissime.

♂♀. Aterrima, holosericea. Antennæ nigræ. Caput brunneo-nigrum. Oculi rufo-ferruginei, in viva æneo-micantes. Thorax ♀ niger, parum holosericeus. Alæ (♂♀) aqueæ, area angulari brevi ad basin valde retracta, & hinc nervus infra angulum areæ diametro longitudinali areæ dimidium saltem longior. Nervulus transversus anticus sat longe ante apicem nervi auxiliaris curvati situs; transversus medius prope ad marginem retractus. Nervus 5:tus infra furcam brevissimus. Squamæ parvæ, obscuræ. Halteres nigri. Pedes nigri aut picei, ut in *P. boletina* constructi.

*β*). Nervus longitudinalis 5:tus ad summum marginem alæ continuatus.

8. *P. picta:* atra, ano obscure cinereo (♂); aut cana, thoracis pictura dorsali abdominisque fasciis inæqualibus, atris (♀); antennarum basi pedibusque aut lividis (♂), aut flavescentibus (♀); alis fuscanis (♂), aut hyalinis (♀); nervulo transverso antico ante apicem auxiliaris in utroque sexu sito; area angulari ad basin non retracta. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

*Mas:* holosericeo-ater, pilosulus. Caput griseo-nigrum. Instrumenta oris obscura. Antennæ nigræ, basi lividæ. Oculi rufo-ferruginei. Anus obscure cinereus. Alæ subfuscanæ, costa stigmaticali cinereo-flavicante. Squamæ fuscæ. Halteres nigri, petiolo fusco. Pedes brunnei, geniculis tarsisque dilutioribus;

*Fem.:* glauco-cana, subglabra. Palpi fusco-testacei. Antennæ fuscæ, basi testaceæ. Oculi brunnei. Thoracis dorsum lineis 2 mediis approximatis, integris, nigris, antice perspicuis, postice in nigredine evanescentibus; juxta illas

utrinque maculis 3 nigro-brunneis, posterius præsertim dilatatis & confluentibus. Scutellum atrum, lateribus canum. Abdomen albo-canum, segmento 1:mo in medio macula atra; 2:do toto atro, sæpe puncto utrinque parvo albo; 3, 4 & 5 macula basali triangulari atra, quarum illa in segmento 3:tiō sita per apicem medium cum sequente cohæret; 6:to toto atro. Venter canus. Alæ paullo latiores quam in ♂, hyalinæ. Squamæ albidæ. Halteres fusci, petiolo albido. Pedes flavidi, tarsis posticis nonnihil latioribus quam in ♂. In copula.

Meig. Dipt. 6. 358. 9. ♀ (per lapsum calami "Männchen"). *P. fasciata* Fall. Platyp. 5. 2. ♂♀. certe. (exclus. synonymis). — Panz. Fn. 103. 20 vix eadem? *P. fumipennis* Zett. Ins. Lapp. 529. 2. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Syringæ, Populi, Alni, Coryli &c., per Scandinaviam, 4 Aug.—16 Sept., passim frequens; in copula sæpe visa; scilicet in Scania ad Abusa & Esperöd raro; in Smolandia, D. *Boheman*, 1835 missa; in Ostrogothia ex. gr. ad Lärketorp, in pratis ad Hagalund prope Wadstena copiose, D. *Dahlbom*, ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Nericia ad diversorium Kils Blacksta freq.; in Helsingia ad Storbyn in parœc. Färila, & Jersö, haud raro; in Jemtlandia ad Faxelfven, Berge in Alsen, Uppland, Ristansfors, atque in parœcia Undersåker præsertim in pratis circa Pastoris sedem, vulgaris; in Botnia boreali ad Torneå, D. *Deutsch*; in Lapponia Norvegica ad Björkvik Nordlandiæ d. 17 Jul. 1821 rarissime.

♂♀. In hoc genere magna. Alarum nervi: longitudinalis 5:tus apice non abbreviatus; transversus medius a margine in ♂ paullo, in ♀ magis, remotus; transversus anticus aperte ante apicem auxiliaris situs. Area angularis ita elongata, ut nervus infra aream diametro longitudinali areæ saltem triplo brevior evadot. Tarsi postici valde lati, articulo 3:tio

longitudine 1 & 2 simul sumtorum. — Femina sæpe variat abdominis segmentis 1:mo & 5:to ad latera puncto atro.

9. *P. rufa:* griseo-cinerea, abdomine flavo, incisuris nigris; antennarum basi, ano, halteribus pedibusque pallescentibus; alis subhyalinis, nervulo transverso antico ante apicem auxiliaris sito; area angulari ad basin longe retracta. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* abdomine cylindrico, ano rufo longe inflexo,

*Fem.:* abdomine subdepressim conico, ano acuto.

Meig. Dipt. 6. 358. 10. ♂. & 7. 145. 10. — *P. rufiventris* Macq. Buff. 2. 17. 2. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali, 19 Sept.—4 Octob., minus frequens; scilicet in Scania in foliis fruticum silvæ Esperöd pauca specimina inveni; in Dania, D. *Staeger.* (Ex Hamburgo in utroque sexu a D. v. *Winthem* 1838 communicata).

♂♀. *Pl. modestæ* (4) proxima, & præsertim ejus var. b. valde similis; sed thorace in utroque sexu grisescente, subimmaculato, abdomine fere toto aurantiaco, incisuris tantum nigris, & nervo longitud. 5:to sæpissime integro (in individuis masculis hunc nervum apice abbreviatum aliquando vidi), distincta videtur. Glabricula. Caput cinereum, instrumentis cibariis flavis. Antennæ nigræ, basi flavæ. Oculi ferruginei. Thorax cinereus, disco dorsali præsertim in ♂ griseo, plerumque antice ante occiput strigulis 2 longitudinalibus minutis obscuris. Scutellum cinereum. Abdomen flavum, segmento 1:mo in ♂, & incisuris in utroque sexu, nigricantibus. Alæ in ♂ cinereo-hyalinæ, in ♀ hyalinæ, costa stigmaticali in ♂♀ levissime pallescente. Nervi ut in *P. modesta* directi; sed long. 5:tus plerumque non abbreviatus. Squamæ albidæ. Halteres flavidi. Pedes flavi, tarsorum articulis 3 primis modice dilatatis, subæque longis. Abdo-

minis segmentum ultimum in ♂ plerumque obscuro, ano inflexo rufo.

B. Nervi longit. 5:ti furca ramis rectis, altero abbreviato.

10. *P. furcata:* brunneo-nigra, pedibus fuscis; alis subfuscanis, nervis transversis: medio longe a margine remoto; antico areaque angulari brevissima ante apicem nervi auxiliaris sitis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Fall. Supplem. Dipt. Suec. Platyp. pag. 2. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 357. 8. Macq. Buff. 2. 18. 8. ♂♀.

Hab. in graminosis atque in foliis Alni, in vicinitate aquæ, per Sueciam meridionalem, 5—13 Jul., minus frequens, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad villam Esperöd in pratis sylvaticis atque in pascuo Östervång, ante plures annos specimina 3 mascula totidemque feminea inveni.

♂♀. Directione nervorum in alis ab omnibus conspeciebus differt. Partes corporis ut in *P. boletina* constructæ. Tota grisea, ♂ obscurior. Glabricula. Antennæ nigræ, basi interdum dilutiores. Abdomen depressiusculum, subnitidum, ano in ♂ distincte inflexo, in ♀ acuto. Alæ cinereo-hyalinæ, costa stigmaticali intensius cinerea. Nervi longitud. 5:ti furca ramis rectis, horum altero fere ad dimidium abbreviato. Nervus transversus medius longe a margine distans, fere in medio alæ situs. Nervulus transversus anticus longe ante apicem auxiliaris locatus. Area angularis brevis ut in *P. atra* (7), ad basin alæ valde retracta. Halteres obscuri. Pedes in ♂ fusci, in ♀ flavescentes, tarsis dilutioribus, ut in *boletina* constructis.

# 94. CALLOMYIA Fall.

*Corpus* parvum, elongatum, subpubescens, opacum, subincurvum. Antennæ breves, porrectæ, articulis basalibus cylindricis, ultimo compresso, acuto, seta longa, terminali nuda. Epistoma minime prominens. Proboscis occulta. Palpi cylindrici. Oculi ut in *Platypeza.* Abdomen elongato-cylindricum. Alæ incumbentes, aqueæ, in ♂ interdum levissime infuscanæ. Nervi longitudinales omnes simplices, recti, integri; costalis pone apicem cum 5:to conjunctus, auxiliaris fere ad medium costæ extensus; transversi remoti, horum medius (ordinarius) paullo a margine alæ distans, anticus ante apicem nervi auxiliaris situs. Area angularis elongata. Halteres nudi. Pedes pubescentes, inermes, postici validi, elongati, metatarso elongato, fere longitudine reliquorum tarsorum simul sumtorum. *Color* niger, cinereus, raro flavescens, pictura interdum, præsertim in ♀, insigni. *Motus, habitatio, mores & tempus vigendi* ut in *Platypeza. Differentia sexus* manifesta; *mas* scilicet: corpore obscuriore, lineari, abdomine subcylindrico, incurvo, ano inflexo, oculis arcte cohærentibus; *femina:* corpore glabriore, pallidiore, sæpe pulchre picto, abdomine depressiusculo, oblongo, parum incurvo, ano obtuso non inflexo, oculis remotis, interstitio frontali posterius sensim latiore. Typus generis: *Call. leptiformis.*

A. Antennarum articulus ultimus ovatus, apice acuto l. acuminato.

*) Antennæ breves, ovatæ, apice acutæ.

1. *C. leptiformis:* aterrima, abdomine albo-tristrigato (♂); aut fasciis 4 interruptis, 1:ma lutea, reliquis argenteis (♀); pedibus fuscis (♂), aut flavis (♀); alis levissime fuscanis (♂), aut hyalinis (♀); halteribus in utroque sexu fulvis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* aterrimus, abdominis strigulis 3 lateralibus parvis

argenteis; pedibus fuscis aut melleis; oculis rufo brunneis, in medio transversim impressis;

*Fem.:* minor atra, thoracis maculis 3 argenteis; abdominis fasciis 3 interruptis, prima lutea, reliquis argenteis, pedibus flavis, tibiis tarsisque posticis nigris; oculis brunneis, obscurioribus.

Fall. Platyp. 6. 1. ♂♀. (sub qua vero plures species latent). — Zett. Act. Holm. 1819. 1. 78. 31. var. a. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 13. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 530. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 20. 3. ♂♀. *Heteroneura* Fall. Method. Dipt. 1810. p. 25. f. 2.

Hab. in foliis fruticum locis umbrosis, per Scandinaviam, 25 Jun.—28 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Lindholmen, Esperöd &c., sat frequens, individua feminea tamen rarius obvia; in Calmaria ad Berga; in Ostrogothia ad Wadstena, Hagalund, Lärketorp &c., haud raro; in Gottlandia; in Wermelandia ad Årås; in Norvegia ad Dyrœn Nordlandiæ rarius.

♂♀. Antennarum articulus ultimus brevis, ovatus. *Mas:* oculi in medio linea impressa. Pleuræ grisescentes. Abdominis segmenta 2, 3, 4 ad latera striga argentea, ad certum luminis situm perspicua, ad alium situm ægre observanda. Alæ levissime infuscanæ, costa stigmaticali distinctiore. Nervi transversi: medius ad marginem retractus; anticus longe ante apicem nervi auxiliaris & areæ angularis situs, ad basin alæ retractus. Area angularis ita elongata, ut nervus infra apicem diametro longitudinali totius areæ fere triplo brevior evadat. Tibiæ posticæ versus apicem modice sensim dilatatæ. Metatarsi postici modice compressim incrassati. *Femina:* oculi non impressi. Palpi flavi. Vertex grisescens. Thoracis maculæ: 2 humerales & 1 ante scutellum, argenteæ. Abdominis segmenta: 2:dum flavum, linea longitudinali media nigra; 3 & 4 fascia argentea in-

terrupta; 6:tum totum argenteum. Alæ hyalinæ, nervis ut in ♂. Pedes cum coxis toti flavi, tibiis tarsisque posticis nigris. Tibiæ & metatarsi postica paullo minus quam in ♂ dilatata. Femora postica ad apicem superne plerumque macula fusca. — Reliqua ut in diagnosi.

2. *C. speciosa:* aterrima, abdomine immaculato (♂) aut fasciis 4 integris, 1:ma lutea, reliquis argenteis (♀); pedibus melleis (♂), aut flavis (♀); tibiis tarsisque posticis in utroque sexu nigricantibus; alis hyalinis; halteribus nigris (♂), aut fulvis (♀). ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

*Mas:* aterrimus, abdomine immaculato l. vix vestigio strigarum albidarum; pedibus fuscis aut melleis, posticorum tibiis tarsisque obscuris; oculis obscure rufis, linea media transversim impressa; tibiis metatarsisque posticis modice dilatatis; halteribus nigris, petiolo flavido;

*Fem.:* atra, thoracis maculis 3 argenteis; abdominis fasciis 4 integris, 1:ma (in segmento 2:do) aurantiaca, 2 & 3 angustis atque 4 (in segm. 6:to) lata, argenteis; pedibus totis flavis, posticorum femoribus apice, tibiis tarsisque paullo minus quam in ♂ dilatatis, totis fuscis; halteribus fulvis; in copula.

Meig. Dipt. 4. 14. 6. ♂. Macq. Buff. 20. 4.? Zett. Ins. Lapp. 530. 2. ♂♀. *C. leptiformis var. b.* Zett. Act. Holm. 1819. 1. 79. ♂.

Hab. in Scandinaviæ pratis sylvaticis & lucis, 27 Jun.—28 Aug., passim; in copula semel deprehensa; femina rarissima; scilicet in Scania ad Silfåkra prope Lund, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Hagalund prope Wadstena, Lärketorp, Gusum &c.; in Gottlandia ad Westös rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Badstuträsk, Barrsele & Wilhelmina, passim; in Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Simillima priori, a qua ♂: halterum clava nigra, abdomine subimmaculato; ♀: abdominis fasciis omnibns integris,

nec interruptis, 1:ma flava argenteo-micante, ut & uterque sexus alis subaqueis, differunt.

3. *C. elegans:* aterrima, abdomine albo-bistrigato (♂), aut fasciis 4 integris, anticis 2 luteis, reliquis argenteis (♀); pedibus melleis (♂), aut flavis (♀); tibiis tarsisque posticis in utroque sexu nigricantibus; alis hyalinis; halteribus fulvis. ♂♀. (Long. 1—1 ¼ lin.).

*Mas:* aterrimus, abdominis segmentis 3 & 4 utrinque striga alba obsoleta; pedibus fuscis aut melleis, posticorum tibiis tarsisque obscuris;

*Fem.:* atra, thoracis maculis 3 argenteis; abdominis fasciis 4 integris, 1:ma latiore, 2:daque angusta, aurantiacis; 3:tia latitudiue 2:dæ, 4:taque latitudine 1:mæ, argenteis; pedibus totis flavis, postieorum femoribus summo apice, tibiis tarsisque totis brunneis; instrumentis oris flavis.

Meig. Dipt. 4. 11. ♂♀. certe. — Panz. Fn. 103. 18. ♂. 19. ♀. — Zett. Ins. Lapp. 531. 3. ♂♀. Macq. Buff. 2. 19. 1. ♂♀. *Dolichopus* Fabr. Antl. 271. 21. *Call. leptiformis* Fall. Platyp. 6. 1. var. ♂. in descript.

Hab. in nemorum foliis fruticum, per Scandinaviam, Jul. Aug., passim; scilicet in Scania ad Abusa; in Ostrogothia ad Hagalund prope Wadstena, Gusum &c.; in Calmaria ad Berga; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Norvegia in alpe Dovre, D. *Boheman.*

♂♀. Prioribus valde affinis & similis, sed a *C. leptiformi,* maris alis hyalinis, nec levissime fuscanis, abdominis strigis albis utrinque 2, nec 3, feminæ abdominis fasciis 3 primis interruptis, nec integris, quarum 2 anticis, nec solum antica, aurantiacis; & a *C. speciosa,* maris abdomine utrinque albo bistrigato, néc immaculato, halteribus nigris, nec fulvis, abdominis fasciis 2 anticis, nec solum prima, aurantiacis, leviter argenteo-micantibus, facile dignoscitur.

4. *C. amoena:* aterrima, abdomine immaculato (♂), aut antice late aurantiaco, postice fascia argentea

(♀); pedibus melleis (♂), aut flavis (♀); tibiis tarsisque posticis in utroque sexu nigricantibus; alis hyalinis; halteribus fulvis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

*Mas*: aterrimus, abdomine immaculato; pedibus melleis aut fuscis, posticis obscurioribus;

*Fem.*: atra, fronte & epistomate argenteis, palpis flavis: thoracis maculis 3 argenteis; abdominis segmentis 1, 2 & 3 totis aurantiacis, 4:to atro, 5:to fascia lata subintegra, argentea, reliquis atris: pedibus totis flavis, posticorum femoribus apice fuscis, tibiis tarsisque totis nigricantibus.

Var. a. ♂♀. feminæ abdominis segmento 4:to toto atro.

Meig. Dipt. 4. 12. 2. ♂♀. t. 33. f. . 13. ♀. — Macq. Buff. 2. 19. 2. ♂♀. certe. — Zett. Ins. Lapp. 531. 4. ♂♀. *Call. leptiformis* var. c. ♀. Zett. Act. Holm. 1819 p. 79.

Var. b. ♀. feminæ abdominis segmento 4:to fascia apicali aurantiaca.

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Alni &c., per Scandinaviam, 1 Jul.—4 Aug., passim; scilicet var. a. in Scania ad Abusa & Esperöd in paroec. Mellby; in Smolandia rarius; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum & ad prædium Gottenvik in parœcia Jonsberg, D. *Stenhammar*; in Lapponia Umensi ad Barrsele & Wilhelmina; in Norvegia ad Evenäs Nordlandiæ; in Dania, D. *Staeger*. E varietate b. 2 tantum specimina in Scania ad Esperöd in paroec. Tranås deprehendi.

♂♀. Simillima *C. speciosæ* (2), & mas ab ejus mare vix nisi halteribus fulvis petiolo obscuro, nec totis fulvis, discrepat; sed femina abdominis segmentis 3 primis totis (excepta incisura nigra) aurantiacis, & fascia tantum unica lata integra argentea in segmento 5:to, facile dignoscitur. — Hanc speciem in copula quidem non inveni, sed individua mascula & feminea talia, qualia descripserim, in societate semper deprehendi.

5. *C. dives:* aterrima, abdomine albo-bimaculato (♂), aut fasciis 4 integris, argenteis (♀); pedibus melleis (♂), aut flavis (♀); tibiis tarsisque posticis in utroque sexu nigricantibus; alis hyalinis, halteribus nigris (♂), aut fulvis (♀). ♂♀. (Long. 1 lin. parum ultra.).

*Mas*: aterrimus, abdomine utrinque in lateribus segmentorum 2 & 4 macula subquadrata alba; pedibus fuscis, posticis obscurioribus; halteribus nigris;

*Fem.:* aterrima, fronte, epistomate, thoracis maculis 3, abdominisque fasciis 4 integris in segmentis 2, 3, 4 & 6 locatis, argenteis; pedibus flavis, posticorum femoribus apice, tibiis tarsisque totis, nigricantibus; halteribus fulvis.

Zett. Ins. Lapp. 531. 5. ♂♀.

Hab. in silvis Sueciæ borealis, 22 Jun.—6 Aug., minus frequens; scilicet in Jemtlandia boreali in paroec. Undersåker ad habitationem Pastoris d. 6 Aug. 1840 unicam feminam invenit D. *Dahlbom*; in Lapponia Svecica meridionali Umensi ad Lycksele, Barrsele & Stensele, utrumque sexum 1832 rarius deprehendi.

♂♀. Similis *C. speciosæ*, a qua mas abdominis maculis 4 albis, & femina abdominis fasciis omnibus argenteis, nec prima flava, mox dignoscuntur.

**). Antennæ breviusculæ, subovatæ, apice acuminatæ. Species minutæ.

6. *C. boreella:* aterrima, abdomine immaculato (♂), aut basi aurantiaco (♀); pedibus in utroque sexu fuscis; halteribus nigris; alis levissime fuscanis (♂), aut hyalinis (♀). ♂♀. (Long. fere ¾ lin.)

*Mas:* aterrimus, abdomine immaculato, ventre pedibusque fuscis, tarsis posticis nigris; alis levissime fuscanis, iridicoloribus, halteribus nigris;

*Fem.:* atra, fronte, thoracis maculis humeralibus, pleuris anoque, argenteo-cinereis; abdomine basi fulvo; alis hya-

linis, halteribus nigris, petiolo pallido; pedibus fusco-melleis, tibiis tarsisque posticis parum dilatatis.

Var. a. ♂♀. abdomine maris immaculato, feminæ segmentis basalibus 1, 2, 3, fulvis.

Zett. Ins. Lapp. 532. 7. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂. abdominis basi macula laterali fusco-ferruginea; alis subhyalinis.

Zett. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♀. abdomine tantum segmentis 2:do, aut 1:mo & 2:do, flavis.

Hab. in fruticibus, graminosis & foliis plantarum, quæ ad rivulos locis umbrosis læte vigent, per Sueciam in primis borealem, 1 Jul.—9 Aug., passim; scilicet var. a. in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven atque in paroecia Undersåker; in Lapponia Umensi ad Barrsele, Granträsk & in Stöttingsfjellet, D. *Dahlbom*; specimen masculum ad Abusa Scaniæ semel etiam lectum; var b. ad Undersåker, Granträsk et Lycksele; var. c. in Stöttingsfjellet, rarius.

♂♀. Pusilla. A præcedentibus differt, præter magnitudinem minorem, etiam antennis apice magis acuminatis; area angulari ad basin alæ nonnihil magis retracta, & nervulo transverso medio forte paullo magis a margine interiore remoto. Mas proximus & valde similis *Call. speciosæ* (3) videtur. Alarum nervus costalis ater in utroque sexu. Oculi brunnei, in ♂ simul obscure cuprei. — Variat ♀ macula obscura in flavedine abdominis baseos.

7. *C. elegantula:* aterrima, abdominis segmentis 2 & 3 aurantiaco-pellucidis; pedibus fusco-flavis; halteribus nigris; alis levissime fuscanis (♂), aut hyalinis (♀). ♂♀. (Long. fere $\frac{3}{4}$ lin.)

*Mas:* aterrimus, abdominis segmentis: 1:mo apice, 2:do toto, 3:tioque lateribus, fulvo-pellucidis; alis subfuscanis, iridicoloribus; pedibus sordide flavidis, tarsis posticis obscuris, articulo 1:mo distincte dilatato; oculis (in vivo) læte rufis; metathorace griseo;

*Fem.:* atra, fronte, thoracis lateribus pleurisque cinereis; abdominis segmentis 2:do toto 3:tioque lateribus, fulvo-pellucidis, ano toto argenteo; pedibus fusco-flavis, tarsis posticis subsimplicibus; alis hyalinis.

Var. a. ♂♀. pedibus sordide flavis; alis in ♂ irideis.

Fall. Platyp. 7. 2. ♀. Zett. Act. Holm. 1819 p. 80. 33. ♂♀. var. a. — Fall. Dipt. Suec. Supplem. 4. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 13. 3. ♀.

Var. b. ♂♀. pedibus præsertim posticis paullo obscurioribus; alis in ♂ hyalinis.

Hab. in fruticibus Coryli &c., 6. Aug.—20 Sept., minus frequens; scilicet var. a. in Scania ad Esperöd in parœcia Tranås rarius; in Smolandia ad Berga Calmariæ; in Ostrogothia ad Lärketorp, & Gusum (D. *Wahlberg*); e var. b. 2 mares & 2 feminas in Jemtlandia boreali ad Undersåker 6 Aug. 1840 inveni.

♂♀. Valde affinis priori, & præsertim ejus var b. & c. simillima, sed propter picturam abdominis flavam in ♂, & pedum colorem dilutiorem in utroque sexu, forte distincta. Halteres nigri, petiolo fusco. Alarum nervi ut in *C. boreella* directi.

8. *C. scutellaris:* aterrima, scutello abdominisque segmentis 2 & 3 aurantiacis; pedibus fascis; halteribus atris; alis aqueis. ♂. (Long. fere $\frac{3}{4}$ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 532. 8. ♂.

Hab. in Sueciæ borealis sylvaticis, 31 Jul.—6 Aug., rarius; scilicet in Jemtlandia boreali in parœcia Undersåker juxta domicilium Pastoris prope flumen Åre, parce;

in monte subalpino Stöttingsfjellet inter Lycksele & Åsele Lapponiæ Umensis, minus frequens.

♂♀. Simillima *C. elegantulæ*, a qua non differt nisi scutello toto fulvo, & alis purius hyalinis l. aqueis.

9. *C. Dahlbomi:* aterrima, thoracis dorso aut toto (♀), aut limbo postico (♂), scutello abdomineque basi in utroque sexu, fulvis; halteribus pedibusque fuscis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. fere $\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* aterrimus, halteribus nigris; thoracis postico, scutello abdominisque segmentis 2 & 3, fulvis, pedibus fuscis aut nigro-fuscis;

*Fem.:* atra, halteribus fuscis; fronte anoque canis; thoracis dorso toto, scutello, abdominisque segmentis 1, 2 & 3, fulvis; pedibus fusco-testaceis.

Var. a. ♂♀. halteribus in ♂ nigris, in ♀ fuscis.

Zett. Ins. Lapp. 532. 9. ♂♀. *Call. elegantula* var. b. ♂. Zett. Act. Holm. 1819. p. 80. Ejusdem It. Lapp. 1832. p. 206.

Var. b. ♀. halteribus flavis.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♀.

Hab. locis umbrosis in nemorum fruticibus Coryli, Alni, Populi &c., atque in foliis plantarum altiorum ad rivulos præprimis in Suecia boreali, 31 Jul.—2 Sept., minus frequens; scilicet in Ostrogothiæ pratis ad Hagalund prope Wadstena, rarissime; in Calmaria ad Berga, semel; in Jemtlandia boreali, ubi in Populetis parœciæ Undersåker juxta Pastoris domicilium prope flumen Åre, utrumque sexum haud raro legit Amicus noster *Dahlbom*; in Lapponia Umensi ad Granträsk 31 Juli 1832 copiosius inventa ab Eodem & me.

♂♀. Species pulcherrima & distincta. Magnitudo, statura & similitudo proxime præcedentium, sed pictura thoracis mox dignota. *Mas:* thorace postice inæqualiter & indeterminate, scutello toto, abdominis segmento 2:do toto, 3:tioque lateribus, fulvis. *Femina:* thoracis dorso toto fulvo, pilis aliquot nigris obsito, & maculis anticis 4 l. 5 fuscis, obsoletis, quarum una ante occiput majore, distinctiore. Scutellum & abdominis segmenta 1, 2 & 3 fulva.

B. Antennarum articulus ultimus elongato-conicus seu subulatus.

10. *C. Falleni:* obscure cinerascens (♂), aut læte cinerea (♀); abdomine in utroque sexu flavo, maculis lateralibus fuscanis; antennarum halterumque basi pedibusque pallidis; alis levissime fuscis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

*Mas:* oculi linea media transversim impressa; thoracis dorsum obscurum; abdomen lateribus utrinque maculis 3 l. 4 brunneis, segmento ultimo superne nigricante; alæ leviter fuscanæ; halterum clava obscura; metatarsi postici magni, valde dilatati;

*Fem.:* oculi non lineati; frons & thorax totus, læte cinerea; abdomen maculis brunneis majoribus cingula 3 l. 4 formantibus; alæ subhyalinæ; halteres flavescentes; metatarsi postici subsimplices.

Zett. Act. Holm. 1819. p. 77. 30. ♂♀. Fall. Dipt. Su. Suppl. 1. p. 3. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 16. 9. ♀. *Call. Megerlei* Meig. l. c. 10. ♂♀. certe eadem.

Hab. locis umbrosis in foliis fruticum, per Sueciam meridionalem, 13 Sept.—17 Novemb., minus frequens; scilicet in Sania in Paradislyckan juxta urbem Lund, ad villam Abusa prope Lund, & ad Esperöd utrumque sexum inveni: sub nomine *Call. Megerlei* Meig. mas a D. *Stae-*

*ger* 1837 communicatus. (Ex Hamburgo individuum masculum sub nomine *Call. Megerlei* a D. *v. Winthem* 1837 quoque obtinui.).

♂♀. Nostratum maxima. Caput cinereum. Oculi rufi. Antennæ flavæ, articulo ultimo nigro-brunneo. Proboscis pallida. Thorax læte cinereus, dorso in ♂ obscuro l. nigricante, lineolis in utroque sexu nigris, setulosis. Abdomen ut in diagnosi. Alarum nervi ut in *C. leptiformi* (1), sed area angularis adhuc brevior & nonnihil magis ad basin alæ retracta; nervus transversus medius paullo quoque longius a margine remotus. Pedes toti pallidi, tarsis apice interdum subinfuscatis. Femora postica utrinque setulosa.

11. *C. Zetterstedti:* cinerea, abdomine aurantiaco, apice cinereo, atro-notato; pedibus testaceis; halteribus fulvis. ♀. (Long. circit. 1¼ lin.).

Wahlberg in litteris 1842.

Hab. in foliis Coryli Sueciæ mediæ rarissime; scilicet in Ostrogothia in Populeto Adela-lunden sic dicto ad Gusum initio mensis Septembris a Cel. D. Profess. & Equite *Wahlberg* detecta.

♀. Cum speciem ipse non vidi, descriptionem a Cel. Detectore mecum communicatam integre afferam. "*C. amoena* parum minor, antennarum forma vero *C. antennatæ*, cinerea, abdomine aurantiaco, ano cinereo, atro-notato. Caput cinereum, oculis castaneis. Antennæ nigræ in setam longiusculam attenuatæ. Palpi testacei. Thorax cum pectore cinereus, antice vestigio linearum 2 fuscarum. Scutellum cinereum. Abdomen segmentis 1—3 aurantiacis, immaculatis, 4:to aurantiaco, macula marginali (utrinque) atra majore minoreve, 5:to cinereo, apice atro, nigredine ad latera & medio præsertim altius adscendente, ut segmentum cinereum, atro-trimaculatum vel atrum cinereo-bimaculatum diceres, 6:to &c. cinereis, immaculatis. Pedes testa-

cei, tarsis infuscatis. Alæ ut in congeneribus (conspeciebus?). Halteres fulvi" *Wahlb.*

12. *C. antennata:* aterrima (♂), aut cinerea, abdomine nigro (♀); halteribus pedibusque fuscis (♂), aut flavescentibus (♀); alis subhyalinis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

*Mas:* aterrimus, immaculatus, antennæ nigræ; sternum obscurum; alæ levissime fuscanæ, iridicolores; halteres nigri, petiolo fusco; pedes brunnei, posticorum tibiis metatarsisque parum dilatatis;

*Fem.:* caput & thorax cinerea; antennæ fuscæ; abdomen nigricans, utrinque ad basin griseum, in individuis vero illæsis griseum, maculis 4 dorsalibus trigonis anoque nigris pictum; alæ hyalinæ; halteres flavidi; pedes testacei, posticorum tibiis metatarsisque subsimplicibus.

Zett. Act. Holm. 1819. p. 79. 32. ♂♀. Fall. Dipt. Suec. Supplem. 1. p. 1. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 15. 7. ♂♀. Macq. Buff. 2. 20. 5. ♂♀.

Hab. locis umbrosis in foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 14 Jul.—10 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad villam Esperöd in parœc. Tranås, rarius; in Smolandia ex. gr. ad prædium Berga Calmariæ, parce; in Wermelandia ad prædium Årås, rar.; in Dania. D. *Staeger.*

♂♀. Oculi obscure ferruginei. Alarum nervi directi ut in *C. boreella* (6) & reliquis ejusdem subdivisionis, nempe area angularis brevis ad basin alæ valde retracta, & nervus transversus medius a margine remotiusculus. Pedes postici in utroque sexu subsimplices.

13. *C. viduella:* aterrima, thorace macula postica glauca; halterum petiolo pedibusque lividis; alis hyalinis. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 531. 6. ♀.

Hab. in Norvegia rarissime; in alpe Dovre a D. *Boheman* mense Julio inventa. Specimen tantum descriptum pro examine subjiciendo missum vidi.

♀. Similis priori, sed forte nonnihil major, & thorace (♀) atro, nec griseo, halterumque clava nigra, ab illa distincta. Aterrima. Antennæ subulatæ, seta elongata, capillari. Vertex nudus, nitidus. Thorax macula postica certo luminis situ cinerea. Scutellum atrum. Abdomen cylindricum nigrum. Halteres lividi, clava magna, nigra. Alæ hyalinæ, metallice nitentes. Pedes lividi, pubescentes, tarsis obscurioribus.

---

## 95. OPETIA Meig.

*Corpus* parvum, elongatum rectum, subpubescens, opacum. Antennæ longitudine capitis, porrectæ, articulis basalibus cyathiformibus, ultimo subulato s. elongato-conico, compresso, acuto, seta terminali microscopice pubescente. Epistoma nullibi prominens. Proboscis subexserta. Oculi ut in *Platypeza*. Abdomen elongato-cylindricum, apice acutum. Alæ incumbentes, fumatæ. Areæ: angularis brevissima, ad basin valde retracta; discoidalis nulla. Nervi longitudinales: 5:tus longe furcatus, 4:tus simplex in apice alæ excurrens, 7:mus (infra aream angularem) non usque ad summum marginem interiorem ductus, at non ita longe abbreviatus ut in figura Meigeni. Nervuli transversi: medius nullus, at anticus ante apicem nervi auxiliaris situs. Halteres nudi. Squamæ minutissimæ. Pedes subnudi, inermes, simplices, metatarsis posticis articulo sequente fere duplo longioribus. *Color* niger. *Motus* forte *Platypezæ*. *Habitatio* in fruticibus. *Discrimen sexus; mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis remotis.

1. *O. nigra:* nigra, alis fumatis; pedibus obscure fuscis. ♂♀. (Long. fere 1¼ lin.).

Meig. Dipt. 6. 357. 1. t. 66. f. 17—19. ♂♀. Macq. Buff. 2. 21. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Coryli &c., per Sueciam mediam, in fine mensis Jun. & iterum Septemb., rarius; scilicet in Smolandia & Ostrogothia (ad Omberg), D. Prof. *Boheman*, ad Gusum, D. Prof. *Wahlberg*, qui eandem etiam in Uplandia ad Holmiam invenit.

♂♀. Pusilla. Tota nigra, parum nitida. Oculi obscure rufi, in ♂ magni, arcte cohærentes, linea media transversim impressa. Alæ præsertim ad costam fumatæ. Halteres nigri, petiolo dilutiori. Pedes fusco-nigri. — Generi *Cyrtomæ* (46) sat affinis, sed antennis perspicue 3-articulatis, nec 2-articulatis, tibiis posticis simplicibus &c., distincta.

---

## 96. CONOPS Linn.

*Corpus* mediæ aut majoris magnitudinis, elongatum, cylindricum, glabriculum l. brevissime puberulum, opacum. Caput vesiculosum, nudum. Antennæ capite nonnihil longiores, porrectæ, basi approximatæ geniculatæque, articulo 1:mo cylindrico, 2:do 3:tioque clavatis, stylo apicali brevi, biarticulato. Haustellum elongatum, porrectum, basi geniculatum. Palpi minuti. Oculi exserti, in utroque sexu remoti, nudi, brunnei, unicolores. Ocelli nulli. Thorax subquadratus. Scutellum parvum. Abdomen 6-annulatum (præter apparatum genitalium), basi angustatum, sæpe petiolatum, posterius sensim crassius, subclavatum, apice incurvum. Alæ abdomine paullo breviores, incumbentes. Areæ apicales 2, quarum per nervulum brevem una in apicem, altera ad marginem interiorem excurrit. Area angularis elongata, nervulo brevi non usque ad marginem extenso, terminata. Halteres nudi. Squamæ vix ullæ. Pedes simplices, inermes, posticorum tibiis basi coarctatis, metatarsis articulo sequente fere triplo longioribus. *Color* niger,

abdomine flavo-cingulato. *Motus* celer. *Habitatio* in hortorum & pratorum floribus; æstivalis. *Larvæ* parasitæ in nido *Bomborum* degunt. *Differentia sexus; mas:* abdominis segmento 5:to subtus in laminam transversam, subfornicatam, plus minus elongato; in mortuis elevatam, rectam; *Femina:* eodem segmento subtus aut omnino mutico, aut leviter tantum elevato.

A. Abdomen petioliforme. Caput flavum. Alarum costa testacea.

1. *C. rufipes:* nigra, capite flavo, vitta frontali atra; antennis brunneis; abdominis cingulis 5 flavido-albis, segmento 2:do pedibusque, rufis. ♂♀. (Long. 4, raro 5 lin.).

Fabr. Antl. 176. 7. Latr. Gen. 4. 336. Fall. Conops. 7. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 126. 9. ♂♀. Macq. Buff. 2. 21. 7. ♂♀.

Hab. in floribus Epilobii angustifolii, Achilleæ Millefolium, &c., per Sveciam mediam & meridionalem, 8 Jul.—5 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd in parœc. Tranås, Gyllebo &c.; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, Wadstena, D. *Dahlbom*, & Lärketorp, ipse; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Nigra. Caput flavum. Vitta frontalis lata, quæ in lineolas 3, mediam elongatam, sub antennis dividitur, atra. Antennæ obscure lividæ. Haustellum & genæ, atra. Thorax in illæsis antice maculis 2 flavo-albis. Abdominis segmenta: 1—5 margine apicali, 6 dorso toto, & ano superne, flavo-albis; 2:dum rufum aut piceum. Alæ hyalinæ, vitta intracostali testacea. Halteres flavi. Pedes testaceo-rufi, coxis & tarsis apice, obscuris. Valvula ventralis maris elevata, parum elongata, nitida nigra, in individuo duplo majore, picea; abdominis segmentum 2:dum in ♀ filiforme & duplo tenuius, quam in mare.

2. *C. vittata:* nigra, antennis concoloribus; capite flavo; abdominis cingulis 4 albis, segmento 2:do toto, 3:tio basi late, thoracis lateribus pedibusque rufis. ♂♀. (Long. 4½ lin.).

Fabr. Antl. 176. 6. Meig. Dipt. 4. 129. 12. Macq. Buff. 2. 27. 13. ♂♀.

Hab. in Suecia media rarissime; in Gottlandia ad diversorium Kinnare in parœc. Lummelund d. 2 Aug. 1841 specimen masculum inveni, atque in parœc. Fardhem 2 Jul. ejusdem anni individuum femineum legit D. *Dahlbom.* (Sub nomine *Con. vittata* Fabr. specimina utriusque sexus e Gallia meridionali a D. *v. Winthem* missa).

♂♀. Similis priori, sed capite toto flavo, tantum striga verticis transversa & lineolis 2 l. 3 sub antennis obsoletissimis, fuscis, callo humerali, thoracis lateribus abdominisque segmento 2:do toto, & 3:tio a basi ad medium, rufis, distincta. Antennarum clava subtus rufescens. Calli humerales rufi, macula flava. Thoracis latera anguste rufa. Pleuræ rufæ, maculis nigris. Sternum nigrum. Alæ albo-hyalinæ, vitta brunnea intra costam, versus apicem abbreviata, relicta in apice tantum macula fusca, per nervulum infuscatum (in ♀) cum vitta cohærente. Costa fere a basi ad medium anguste alba. Area apicalis apice obtusior, quam in priore, ubi magis acuta. Pedes rufi, coxis nigris, tibiis basi flavis, tarsorum articulis 2 ultimis nigris. *Mas:* abdomen atrum, cingulis 4 albis, 4:to ad latera abbreviato; segmento 2:do toto, 3:tio ad dimidium, rufo, 5:to immaculato, 6:to & ano superne leviter cinerascentibus; valvula ventrali mediocri, nigra. *Femina:* abdomen rufum l. rufescens, basi valde tenue, cingulis 5 albis, segmento 1:mo, exceptis tuberculis lateralibus rufis, nigricante, 3:tio posterius obscuro, 4 & 5 fere totis nigricantibus. — Specimina exotica a nostris descriptis pictura leviter discrepant.

3. *C. macrocephala*: nigra, capite antennisque flavis, vitta frontali atra; abdominis cingulis 5 flavido-albis; pedibus luteis, femoribus basi annulo nigro. ♂♀. (Long. circiter 5 lin.).

Linn. Fn. Su. 1902. Fabr. Antl. 176. 9. Fall. Conops. 7. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 125. 7. t. 36. f. 27. ♀. Macq. Buff. 2. 24. 2.

Hab. in Suecia media, 24 Jun.—2 Aug., passim; flores visitans, terræ sæpe insidens; scilicet in Ostrogothiæ pascuis ad Lärketorp, Gusum &c.; in Wermelandia; in Uplandia ad Holmiam (in Caltha), D. *Wahlberg*; specimen masculum e pupa brunnea in abdomine Bombi Muscorum, in Wermelandia a D. *Elfvendahl* 1836 capti, d. 1 Maj. 1837 egressum, mecum communicavit Cel. D. *Dahlbom*.

♂♀. Prioribus nonnihil major robustior. Antennæ luteæ, femorum annulus basalis niger, & segmentum 2:dum nigrum, nec rufum, speciem a præcedentibus distingvunt. Caput ut in *C. rufipede* pictum, sed haustellum in medio sæpe luteum. Thorax niger, immaculatus; in illæsis striga infra tuberculum humerale flavida. Abdominis cinguli 5 flavidi, 3 posteriores angustiores. Alæ ut in *rufipede*. Halteres flavi. Pedes lutei, coxis, trochanteribus, femorum basi l. annulo basali, nigris. Tarsorum articuli apice lateribus fusco. Valvula ventralis in ♂ mediocris, nigra.

Var. b. ♀ abdomine toto nigro, cingulo tantum unico basali albo, Fall. l. c. var. *β.*, mihi ignota.

B. Abdomen basi paullo coarctatum, non vero petiolatum.

*). Alarum costa testacea.

4. *C. vesicularis:* nigricans, capite flavo, macula frontali nigra; antennis, thoracis lateribus, scutello, ano

pedibusque rufo-ferrugineis; abdomine cingulis 5 flavidis (♂), aut cingulis 2 flavidis & segmentis posterioribus griseoflavis (♀). ♂♀. (Long. 4—4¾ lin.).

*Mas:* epistoma flavum, immaculatum; abdomen nigrum, segmentis: 1:mo angustissime luteo-marginato, 2:do apice late flavo-cingulato, 3, 4 & 5 albido-marginatis, reliquis analibus ferrugineis, superne leviter griseo-micantibus; valvula ventralis sat magna, ferruginea, intus nigra;

*Fem.:* epistoma flavum, carina media nigra; abdomen ferrugineum, segmentis 1:mo basi fusco, 2:do nigro, apice cingulo flavo, 3:tio basi nigro, apice late, & reliquis totis, griseo-flavido-nitentibus.

Linn. Fn. 1903. Fabr. Antl. 174. 1. Fall. Conops. 8. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 120. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 24. 1. ♂♀.

Hab. in floribus Ranunculi Ficar., Ribis rubri, Salicis pentandræ &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 9 Maj.—24 Jun. mihi obvia, minus frequens; scilicet in Scania ad Lund; in Ostrogothia ad Lärketorp, ipse, ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, ut & ad Gusum, D. *Wahlberg*, qui eandem in Uplandia ad Holmiam quoque invenit; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Similis *C. macrocephalæ*, sed adhuc robustior & in multis diversa. Macula supra radicem antennarum atra, & alia in fronte, fusca, varie dilatata, & intra lineam fere quadratam nigram inclusa; hæc pictura in ♀ præsertim perspicua. Calli humerales, thoracis limbus posticus, pleuræ & scutellum, ferruginea. Abdominis segmentum primum fasciculo pilorum nigrorum supra tuberculum laterale flavum. Alæ albo-hyalinæ, vitta costali lata usque ad apicem extensa, testacea. In singula arearum apicalium adest macula albida, sed linea illa alba a basi ad medium costæ, quæ in *C. vittata* observatur, in hac specie non adest. Nervi ut in *C. rufipede*. Pedes cum coxis toti ferruginei,

tarsorum articulis apice laterali nigro. Coxæ anticæ antice albo-micant. — *C. elegans* Meig. Dipt. 4. 122. 2. ♀. parum a nostra differre videtur.

5. *C. flavipes:* nigra, capite flavo (♂), aut nigro (♀); thoracis macula humerali, puncto pone alas, abdominis cingulis 2 (♂), aut 3 (♀), pedibusque in utroque sexu, flavis; femorum medio late, tarsorumque apice, nigris. ♂♀. (Long. 3½ fere 4 lin.).

*Mas:* caput flavum, vitta frontali sinuata nigra; epistoma in medio album, apice circa emarginaturam oris brunneo; abdomen segmentis 2 & 3 cingulo apicali flavo, 5:to margine apicali anguste albido; valvula ventralis ovato-elongata, nigra;

*Fem.:* caput sæpissime nigrum, vesica verticali flava nitida; epistoma in medio flavido-lineatum; abdomen segmentis 2, 3, 4 apice flavo-cingulatis, reliquis argenteo-cinereis, nitidis; in copula.

Var. a. ♂♀, in copula; ♂ capite flavo, fronte nigro-maculata, ♀ capite nigro.

Linn. Fn. 1904. ♀. — Fabr. Antl. 177. 10. ♀. — Fall. Conops. 8. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 122. 3. ♂♀. Macq. Buff. 2. 24. 3. ♂♀. — *C. trifasciata* DeGeer Ins. 263. 2. t. 15. f. 7. 8.

Var. b. ♂♀, in copula: capite in utroque sexu flavo, frontis macula plus minus dilatata, nigra.

Panz. Fn. Germ. 73. t. 21. ♀. (immerito "Mas"), 22. ♂. (immerito "Femina"). Fall. l. c. var.

Hab. in floribus Ericæ vulgaris, Achilleæ, Dauci &c., per Sueciam mediam, 16 Jul.—18 Aug., passim; in copula; scilicet var. a. in Ostrogothia: ad Lärketorp, Omberg, Lindenäs & Norra Fredberga (D. *Dahlbom*), Gusum (D. *Wahlberg*), Häradshammar (D. *Stenhammar*); in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Dania,

D. *Staeger*; Var. b. cum var. a. ad Lärketorp &c. rarius capta.

♂♀. Præcedente paullo minor, angustior, colore nigro intensiore. Antennæ nigræ, articulo ultimo subtus plerumque obscure rufescente. Scutelli summi apex & membranula inter radicem alarum & scutellum, pallide flava. Abdominis segmentum primum totum nigrum, tuberculo laterali flavo, supra quod fasciculus pilorum nigrorum ut in priori. Alæ omnino ut in *C. vesiculari*, at costa minus intense testacea. Halteres & pedes flavi, coxis, trochanteribus, femorum anticorum medio latissime, posterioribus ab apice ad medium & ultra, tarsorumque omnium articulis 4 (raro 3) ultimis, nigris. Maris abdominis segmenta 4 & 5 subhiantia, per membranam sæpissime nigram, raro flavidam, connexa. — In ♂ varietatis b. genæ macula nigra.

**). Alæ totæ hyalinæ, immaculatæ.

6. *C. quadrifasciata*: nigra, capite, thoracis macula humerali, abdominisque cingulis 4, flavis; antennis fronteque atris; vesica verticis, ano pedibusque luteis. ♂♀. (Long. ♂ 4½, ♀ 3¾—4, lin.).

*Mas:* abdominis angustioris segmentis 2, 3, 4, 5 cingulo apicali mediocri-flavo, reliquis fere totis luteis, basi nigrofasciatis l. maculatis, valvula ventrali breviter ovata, valde fornicata, lutea, supra nigro pilosula;

*Fem.:* abdominis crassioris segmentis 2, 3, 4 cingulo apicali mediocri flavo, 5:to cingulo apicali lato sinuato, anoque toto ochraceo-flavis, micantibus; in copula.

De Geer Ins. 6. 261. 1. t. 15. f. 1. Fall. Conops. 9. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 123. 4. Macq. Buff. 2. 25. 5. ♂♀. *C. aculeata* Fabr. Antl. 174. 2.

Hab. in floribus Achilleæ, Chrysanthemi, Dauci &c., per Sueciam mediam, 20 Jul.—14 Aug., passim; in co-

pula; scilicet in Smolandia rarius; in Ostrogothia ad Lärketorp, Omberg, Gusum, Häradshammar &c., haud infrequens; in Gottlandia ad Lummelund, Westös, Kellunge, Gothem, Martebo, Stenkyrka, Furillen &c., sat frequens; in Nericia ad diversorium Skärmarboda, rar., D. *Dahlbom*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger*.

♂♀. Similis *C. flavipedi*, sed alis hyalinis & pedibus luteis subimmaculatis, præcipue distincta. Caput flavum, antennis, fronte tota inter oculos, & vitta supra os, nigris. Thorax niger, callis humeralibus flavis. Scutellum nigrum. Maculæ pleurarum 2 geminatæ & 2 simplices ad latera metathoracis, albo-micantes. Abdomen nigrum, segmento 1:mo omnino ut in *C. flavipede*, sed margine apicali tenuiter flavo; reliqua segmenta ut in diagnosi sexuum picta. Alarum nervi ut in priori directi. Halteres flavi. Coxæ & trochanteres nigra. Femora rufo-lutea, basi præsertim posterioribus latere indeterminate sæpe submaculatis. Tibiæ tarsique luteo-flava, articulo ultimo fusco. Coxæ anticæ latere antico albo-flavido-micant.

***) Species dubia.

7. *C. aculeata:* nigra, capite, thoracis macula humerali, scutello abdominisque cingulis 5, flavis; antennis frontisque vitta nigris; vesica verticis pedibusque luteis. (Long. circ. 4 lin.).

Linn. Fn. Su. 1906. Meig. Dipt. 4. 124. 5. Macq. Buff. 2. 25. 6. ♂♀.

Hab. in Suecia, teste D. a *Linnè*, post illius vero tempora nemini, quantum novi, obvia, mihique omnino ignota.

Similis erit *C. 4-fasciatæ*, sed scutello flavo &c, diversa videtur. "Caput flavum, antennis & vitta antice dilatata

nigris. Vesica verticis lutescens. Calli humerales & maculæ 2 pone alas, flava. Pleuræ maculis albo-micantibus. Scutellum flavum. Alæ hyalinæ, ad costam levitertestaceæ, sed non usque ad apicem ita pictæ. Pedes lutei, tarsorum apice fusco. Abdominis cingula subemarginata." Linn. & Meig.

*Obs.* Cum Ill. *Linnè* l. c. affert: " *Aculeus* in femina niger, incurvus, inflexus"; hoc sine dubio ita interpretari debemus: valvula ventralis in mare nigra, incurva. Mares scilicet hujus generis ab auctoribus veteribus pro femina habiti fuerunt.

---

## 97. ZODION Latr.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, cylindricum, parcissime setulosum, opacum. Caput vesiculosum, nudum. Antennæ capite nonnihil breviores, porrectæ, articulo 1:mo brevi cylindrico; 2:do clavato & 3:tio ovato subæquelongis, hoc stylo dorsali brevi, nudo. Haustellum elongatum, filiforme, basi geniculatum. Frons in utroque sexu lata. Oculi parvi, rotundi, nudi, in vivo virescentes, in mortuo fovea media rotunda impressi. Ocelli 3. Palpi parvi. Abdomen incurvum. Alæ incumbentes, nervis fere ut in *Conope* directis, at area angulari paullo minus elongata, unde nervus infra aream longior. Nervi longitudinales 3 & 4 intra apicem alæ per angulum acutum coëunt. Halteres nudi. Squamæ parvæ. Pedes mediocres, simplices, tarsorum ungvibus pulvillisque mediocribus. Metatarsus posticus articulo sequente duplo longior. *Color* cinereus. *Motus* haud celer. *Habitatio* in floribus. *Larvæ* parasitæ putantur. *Differentia sexus: mas*: ano inflexo, magno, plano, atro, glaberrimo, nitido, abdominis segmento 4:to ventrali in valvulam ovatam elongato: *femina:* ano inflexo, parvo, nigro; abdominis segmento 4:to ventrali mutico.

1. *Z. cinereum:* obscure cinereum, capite albo-

flavo, fronte postice fusca, antennis rufis, basi et apice setaque nigris; thoracis lineis abdominisque punctis nigro-brunneis; alis cinerascentibus, basi pallidis; pedum geniculis summis rufescentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 1. 133. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 39. 1. Germar in Ahrens. Fn. Eur. fasc. 14. t. 25. *Myopa cinerea* Fabr. Antl. 181. 12. ♂. Fall. Conops. 12. 7. ♂♀. *Zodion conopsoides* Latr. Gen. 4. 336.

Hab. in floribus pratensibus & campestribus, in Ericetis &c. per Scandinaviam meridionalem & mediam, 7 Jun.—30 Jul., passim, in copula; scilicet in Scania ad Esperöd, in campo Kjeflinge prope Lund, & ad Fjelkinge, haud raro; in Ostrogothia ad Lärketorp, Häradshammar & Gusum; in Ölandia, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Garde, Stenkyrka (specimina majora) &c., passim; in Dania rarius.

♂♀. Cinereum. Caput flavo-album. Frons flavida, posterius brunnea. Orbita oculorum alba. Antennæ aut rufæ, articulo primo toto & ultimo apice, setaque nigris; aut nigræ, articulo ultimo basi & medio præsertim subtus rufo-ferrugineo. Thoracis dorsum lineis 4 brunneo-nigris, interioribus 2 minutis, brevissimis; ad latera utrinque puncta 2, & postice 6 l. 8 fere in orbem disposita, nigra. Abdomen subpilosum, in singulo segmentorum 2, 3, 4 serie punctorum nigrorum, & præterea in medio segmentorum 2 & 3, macula gemina fusca obsoleta. Halteres flavi. Pedes cinerei, geniculis summis sæpe testaceis, tarsis nigricantibus. Tibiæ extus certo situ albo-micant. Valvula ventralis in ♂ mediocris, nigra.

2. *Z. notatum:* obscure cinereum, capite albo-flavo, fronte postice fusca, antennis totis atris; thoracis lineis abdominisque punctis nigro-brunneis; alis cinerascentibus, basi pallidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 139. 2. Macq. Buff. 2. 40. 2. *Myopa irrorata* Fabr. Antl. 180. 7. ♂. *Myopa tessellata* Fabr. Antl. 181. 11. teste D. *Meigen.*

Hab. cum priori, 24 Jun.—20 Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Wadstena, Fredensborg, D. *Dahlbom* & Häradshammar, D. *Stenhammar*; in Ölandia ad Borgholm, D. *Wahlberg.*

♂♀. Præcedenti simillimum, nec differt ab illo nisi magnitudine plerumque minore & antennis cum seta totis atris. Auctoritate D. *Meigeni* ut distinctam speciem propono, varietatem tantum prioris esse suspicans.

---

## 98. MYOPA Fabr.

*Corpus* mediæ, raro minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum, subpubescens, sæpissime opacum. Caput vesiculosum, nudum, raro pubescens. Antennæ fronti prominenti insertæ, capite breviores, porrectæ, articulo 1:mo brevissimo, subcyathiformi, piloso, 2:do sequente duplo longiori, clavato, basi compresso, toto pubescente, 3:tio rotundato aut breviter ovato, nudo, in medio stylo dorsali, brevi, biarticulato, nudo. Haustellum longissimum, filiforme, bis seu basi medioque geniculatum. Frons in utroque sexu lata. Oculi parvi oblongiusculi, nudi, in viva obscure ferruginei, unicolores. Ocelli 3. Palpi longitudine, forma & pilositate varii. Abdomen segmentis 6; apice incurvum, obtusum. Alæ incumbentes, subangustatæ. Area angularis elongata. Nervi longitudinales 3 & 4 nonnihil ante summum apicem in costam paullo remotim excurrentes, unde area 1:ma apicalis ibi sæpissime aperta. Halteres nudi. Squamæ non magnæ. Pedes simplices, pilosuli, femoribus validis, tarsorum ungvibus pulvillisque majusculis. Metatarsus posticus articulo sequente duplo major.

*Color* ferrugineus aut nigricans. *Motu* tarda, sed territa mox avolat. *Habitatio* in floribus. *Differentia sexus; mas:* ano inflexo, maximo, subplano aut convexiusculo, nitido; *femina:* ano inflexo parvo, nitido.

*Sect.* 1. Ferrugineo-brunneæ. Antennæ capite breviores. Frons latissima, (in *M. ferruginea* (6) modice lata). Area angularis elongata. Nervus longit. 4:tus juxta nervulum transversum fere rectangulatim in costam flexus. Valvula ventralis segmenti 4:ti in ♂ vix ulla. Genuinæ. Majores.

A. Capite ad genas villosulo.

1. *M. buccata:* ferrugineo-cinereoque variegata; epistomate albido, pilosulo; antennarum articulo ultimo fulvo; thoracis dorso obscuro; alis nebulosis, nervulis transversis anticis pallidis; pedibus nigro-annulatis. ♂♀. (Long. 3—3¾ lin.).

Fabr. Antl. 179. 5. Panz. Fn. Germ. 12. 24. Fall. Conops. 10. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 142. 2. certe. Macq. Buff. 2. 31. 2. Zett. Ins. Lapp. 619. 1. ♂♀. *Conops* Linn. Fn. Su. 1905. *Sicus buccatus* Scopol. Carneol. n. 1005.

Hab. in floribus Salicum, Leontodontis &c. etiam in graminosis, per Scandinaviam, 12 Maj.—26 Jun., passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Abusa, Björnstorp &c.; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi ad Wittangi, rar.; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Caput album & præsertim ad genas albo pubescens. Frons ferrugineo-flava, maculis & pilis fuscis. Antennæ testaceæ, nigro-pilosulæ, articulo ultimo rotundato, fulvo, nudo, seta lutea, apice nigra. Pone genas puncta utrinque 1 l. 2 brunnea. Palpi breves. Thorax ferrugineus, disco dor-

sali & punctis 2 pectoralibus, nigris; dorso lineis 2 cinereis. Scutellum obscure ferrugineum. Abdomen luteo-ferrugineum, ad latera & postice (præsertim in ♀) cinereo-variegatum, segmento 1:mo (et in ♂ interdum etiam incisuris) fusco. Alæ albo-hyalinæ, nervis late fuscedine cinctis, unde nebulosæ. Nervi auxiliaris apex ad exitum in costa, niger. Nervuli transversi antici pallidi. Squamæ albæ & albo-ciliatæ. Halteres flavo-albi. Pedes ferruginei, nigro-pilosi, femoribus pone medium fascia plus minus lata, nigra l. fusca. Tibiæ annulis 2, uno ante, altero pone medium, fuscis. Tibiæ basi extus albo-micantes. Tarsi ferrugineo-flavi. Abdominis apex in ♂ angustior, quam in ♀.

Var. b. ♀. duplo minor. In Scania ad Räften prope Lund d. 16 Jun. 1839 semel a D. *Dahlbom* inventa; & altera vice ad Lund a me deprehensa.

2. *M. testacea:* ferrugineo-cinereoque variegata, epistomate albido, pilosulo, antennarum articulo ultimo fulvo; thoracis dorso obscuro; alis subnebulosis, nervulo transverso antico nigro; pedibus nigro-annulatis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fabr. Antl. 179. 4. Fall. Conops. 11. 3. ♂♀. Latr. Gen. 4. 337. Meig. Dipt. 4. 142. 3. Macq. Buff. 2. 32. 3. Zett. Ins. Lapp. 619. 2. ♂♀. *Conops* Linn. Syst. Nat. 2. 1006. 11. *Myopa ferruginea* Panz. Fn. Germ. 22. 24. videtur.

Hab. in floribus Salicis cinereæ, Syngenesistarum &c. per Scandinaviam, 27 Maj.—Jun. — 29 Aug., haud raro, in copula multoties capta; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Abusa, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogoth. ad Wadstena, Gusum & Häradshammar; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Da-

lecarlia rar.; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime; in Dania, D. *Drewsen.* (Mas ad Sedinum 8 Jun. 1812 a Cel. *Dahlbom* captus).

♂♀. Simillima priori, sed vere differt: genis albis immaculatis, nec punctis fuscis notatis, alis vix nebúlosis, sed potius fusco-hyalinis, nervulo transverso antico atro, unde quasi punctum nigrum fere in medio alæ exstat, ut & apice nervi auxiliaris flavido, nec nigro. Magnitudine sæpe etiam paullo minor, quam *M. buccata.* Annuli femorum in *M. buccata* simplices & plerumque nigri, in *M. testacea* vero sæpius duplicati & fusci, interdum obsoleti. Palpi filiformes, pilosi. Omnia reliqua ut in præcedente.

B. Capite glabriculo aut glaberrimo.

3. *M. dorsalis:* antennarum fulvarum articulo 2:do ultimo vix dimidium longiore, ferruginea, capite albido, fronte flava, macula verticis magna triangulari, pallida, lucida, fusco-obumbrata; thoracis disco, scutello abdominisque dorso, nigris, segmentorum 2, 3, 4 margine apicali, reliquisque totis, cinereis; alis fuscanis; femoribus macula superna nigra; tibiis annulo fusco, extus albo-micantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$--$3\frac{1}{4}$ lin.).

Fabr. Antl. 178. 1.? Fall. Conops. 10. 2. ♂♀. certissime. — Meig. Dipt. 4. 143. 4? *M. ephippium* Fabr. Antl. 180. 8 videtur. — Forte etiam *M. fasciata* Meig. Dipt. 4. 144. 6. & Macq. Buff. 2. 33. 7. hujus varietas.

Hab. in floribus Chrysanthemi Leucanthemi, Jasion. montanæ &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 16 Jun.—Jul.—Aug.—15 Sept., vulgaris; in copula capta; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Lindö (insula in lacu Wettern), Gusum &c., haud rara; in Westrogothia ad Gotho-

burgum D. *Wahlberg*; e Dania sub nomine: »*M. fasciata* Meig.« a D: *Stæger* missa.

♂♀. Caput albido flavum, glabriculum. Frons flava. Macula verticis sat magna, triangularis, flava, albo-micans, nitidissima, basi puncto stemmatum nigro, anterius linea brunnea utrinque marginata. Antennæ fulvæ, articulo 2:do nigropilosulo vix dimidium longiore ultimo, qui ovatus & nudus est. Thorax ferrugineus, disco nigro, cinereo-vittato, ad latera (in ferruginedine) in illæsis albo-micans. Scutellum nigrum. Abdomen dorso nigrum, lateribus, ano & ventre ferrugineis. Segmenta 2 & 3 margine apicali in medio anguste, ad latera latius cinereo-alba; 4:tum album, basi fascia sub-interrupta brunnea l. nigra; reliqua segmenta tota alba. Alæ subfuscanæ, immaculatæ, nervis basi flavescentibus. Nervulus transversus medius subperpendicularis apici nervi auxiliaris oppositus. Segmentum costæ inter exitum nervorum longitudinalium 2 & 3, duplo longius segmento costali inter exitum nervor. longitud. 1 & 2. Pedes ferruginei, femoribus præsertim anterioribus superne in medio plus minus late nigris. Femora postica l. posteriora sæpe immaculata. Tibiæ omnes mox infra medium annulo fusco, interdum obsoleto; extus albomicantes. Anus inflexus ferrugineus, in cujus apice genitalia subexserta, nigra. Abdomen apice angustius in ♂, quam in ♀. Pictura pedum variat.

4. *M. occulta:* antennarum lutearum articulo 2:do ultimo fere duplo longiore, ferruginea, capite albido, fronte nigricante, macula verticis mediocri triangulari, pallida, lucida; thoracis disco, scutello abdominisque dorso, nigris, segmentorum 2, 3, 4 margine apicali reliquisque totis, cinereis; alis fuscanis; femoribus fere totis tibiisque nigricantibus, his basi extus albo-micantibus. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 145. 7. ♂♀. Macq. Buff. 2. 33. 8. ♂♀.

Hab. in floribus, Jul. Aug., cum priori minus frequens, & ♂ mihi rarissime obvius; scilicet in Scania ad Esperöd in paroec. Tranås, in Pinetis ad Lackalänga prope Lund; in Ostrogothia ad Lärketorp in paroec. Mjölby, rar. (E Reinerzi Silesiæ specimen femineum sub nomine: »*Myop. occulta* Meig.", nostræ simillimum misit D. *Zeller.*)

♂♀. Priori valde affinis & similis, sed magnitudine plerumque minore, fronte pedibusque obscurioribus, ut & antennarum articulo 2:do paullo longiore, ultimo vero nonnihil breviore, breviter ovato, distincta videtur. Femora subtus brevissime & rigide nigro-setulosa, unde in diagnosi *Meigeni* hujus speciei l. c. "femora subtus serrata" dicuntur. Ejusmodi autem armatura quoque in *M. dorsali* obtinet. Reliqua ut in præcedente.

5. *M. variegata:* antennarum lutearum articulo 2:do ultimo duplo longiore, obscure ferruginea, capite albido, fronte lutea, macula verticis mediocri, triangulari, pallida, lucida; thoracis albo-lineati disco, scutello abdominisque dorso, nigris, segmentorum 2, 3 margine apicali, reliquisque fere totis, cinereis, horum 4, 5, 6 basi punctis 2 nigris; alis fuscanis; pedibus variegatis. (♀.) (Long. 3 lin.).

Fall. Conops. 11. 4. ♀. Meig. Dipt. 4. 145. 8. t. 37. f. 16. Macq. Buff. 33. 9. *M. nitidula* Fabr. Antl. 180. 6.

Hab. in Scania orientali mense Aug. rarius; scilicet in arvis ad Esperöd paroeciæ Mellby 4 specimina inveni. Sub nomine »*M. picta* Panz." e Dania mecum communicata.

♀. Similis *M. dorsali*, sed antennarum articulo 2:do forte nonnihil longiore, maculis frontalibus 4 brunneis, quarum 2 strigiformibus inter antennas & oculos, & 2 juxta maculam verticis, peristomio punctis 2 minutis nigris, nec immaculato,

thoracis lineis dorsalibus albis evidentioribus, scutello vitta media alba, nec immaculato, abdominis segmentis 2 ultimis cinereis, punctis 2 mediis & 2 lateralibus in singulo nigris, alarum segmento costæ inter exitum nervorum longitudinalium 2 & 3 duplo fere breviori, quam segmento costali inter exitum nervor. longit. 1 & 2, ut & tandem femorum tibiarumque medio late nigro, albo-annulato, vere distincta. Tarsi flavicantes, articulis apicibus lateralibus nigro-pilosis, ultimo toto obscuro. Antennarum articulus ultimus fulvus, immaculatus. Thoracis calli humerales & latera ferruginea, maculis albomicantibus. In illæsis cingula alba in femoribus anterioribus tantum unum, in posticis duo.

6. *M. ferruginea:* ferruginea, capite rufo-flavido, antennis fulvis, fronte lutea; thoracis dorso griseescente, vittis 3 nigris, lateralibus abbreviatis; metathorace atro; abdominis elongati incisuris cinereo-micantibus; alis fuscanis, basi flavescentibus. ♂♀ (Long. 4 lin.).

Fabr. Antl. 178. 2. Fall. Conops. 12. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 144. 5. Macq. Buff. 2. 32. 6. Zett. Ins. Lapp. 620. 3. ♂♀. *Conops* Linn. Fn. Sv. 1907.

Hab. in graminosis, per Scandinaviam, 2 Jul.—26 Aug. sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., passim; in Calmaria ad Dalhem; in Ostrogothia ad Wadstena, Godegård, Gusum, Häradshammar &c., frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Bahusiā ad Uddevalla, D. *Gyllenhal*; in Helsingia ad Glösbo & Stråtjära, freq.; in Lapponia Umensi ad Lycksele rar.; in Norvegia ad Thynæs & Levanger in paroec. Skogn, passim; in Dania, D. *Stäger*, non raro. (E Berolino a D. *Hoffmann* 1842 missa).

♂♀. Prioribus paullo longior, abdomine angustiore, cylindrico, apice, præsertim in ♂ longe inflexo. Caput glaberrimum, occipite tantum nigropiloso; rufescenti flavum, epistomate sub antennis lucido, genis albo-nitentibus. Frons paullo an-

gustior, quam in prioribus, croceo-flava. Vertex puncto fusco. Antennæ breviusculæ, fulvæ, articulo ultimo brevi, rotundato, seta obscura. Haustellum longum, nigrum. Thorax ferrugineus nitidus, disco dorsali griseo, opaco, vittis 3 nigris, interdum confluentibus, media usque ad caput continuata. Scutellum rufum. Metathorax ater. Abdomen ferrugineum, nitidum, segmentis mediis maculis lateralibus & incisuris tenuiter, albo-micantibus. Abdomen basi apiceque præsertim in ♂ interdum nigro maculatum. Alæ fuscanæ, basi flavidæ. Segmentum costæ inter exitum nervorum longitudinalium 2 & 3 triplo longius, quam segmentum costale inter nervos longitudin. 1 & 2. Squamæ albidæ. Halteres flavi. Pedes toti ferruginei.

Var. b. ♂. antennis fronteque fulvis, thoracis disco dorsali griseo, lineolis 2 mediis angustis approximatis ferrugineis. Abdomen crassius, segmentis 2:do breviusculo 3:tioque fusco-maculatis. In Scania ad Lund 18 Jul. semel lecta a D. *Dahlbom*. Exemplum simile etiam ex Helvetia per D. *Konewkam* obtinui. — Speciem distinctam suspicor, sed ♀ mihi deest pro specie rite determinanda.

*Sect.* 2. Obscure cinerascentes l. nigræ. Antennæ longitudine fere capitis. Area angularis modice elongata. Nervus longitudinalis 4:tus juxta nervulum transversum obtusissime angulatim in ipso apice alæ flexus, ibique cum nervo long. 3:tio fere coiens. Valvula ventralis segmenti 4:ti mediocris, elevata, atra, nitida, glaberrima. Minores; forte proprii generis.

7. *M. atra:* obscure cinerea, thorace lineis tribus nigris; capite flavo-albido, antennis nigris, intus macula fronteque luteis, vertice obscuro; abdomine nigro, nitido, cingulis albidis; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice subcoëuntibus; pedibus ad partem luteis. ♂♀. (Long. 1 fere 2 lin.).

Var. a. ♂♀.: antennæ nigræ, intus in medio plus minus late rufæ; abdomen nigrum, nitidum, segmento 2:do fere toto reliquisque 3 & 4 margine apicali albo-cinera-

scentibus; pedes nigri, tibiis ima basi femoribusque posticis a basi fere ad medium, luteis.

Fabr. Ent. Syst. 4. 397. 3. Panz. Fn. 12. 23. Fabr. Antl. 179. 3. Fall. Conops. 12. 6. var. γ. Meig. Dipt. 4. 146. 9. var. a. Macq. Buff. 2. 35. 15. *M. femorata* Fabr. Antl. 181. 14. teste *Meigen*. *M. tibialis* Fabr. Antl. 182. 16. Nec *M. pusilla* Meig. Dipt. 4. 150. 16. multum a nostra differre videtur.

Var. b. ♂♀. similis var. a., sed pedibus omnibus piceis, femoribus posticis basi flavis. Meig. Dipt. l. c. var.

Var. c. ♂♀. similis var. b., sed abdominis segmentis 1 & 2 etiam nigro-piceis; forte juvenilis.

Var. d. ♂♀ in copula; similis var. a.; pedibus ut in var. a. & b., sed thorace subimmaculato, & abdomine minus nitido, subcinerascente. An *M. annulata* Fabr. Ent. Syst. 4. 399. 10? Media quasi inter *M. atram* & sequentem.

Hab. in graminosis locis aridis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 17 Jun.— tota æstate — 14 Sept., passim; scilicet var. a. in Scania ad Lund, Abusa, Silfåkra, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia rarissime; in Gottlandia ad Gothem & Kjellunge; in Helsingia ad Jerfsö, raro; in Dania ad Hafniam, D. D. *Fabricio* & *Stæger*. (♂ ad Sedinum 8 Jun. 1812, & ♀ ad Hamburgum Jul. 1838, a D. *Dahlbom* lecti).

Var. b. in Scania ad Lund, Abusa & Esperöd prope Stenshufvud, passim; Var. c. in Scania ad Silfåkra, & in Gottlandia ad Garde, rarius; Var. d. in Scania & Ostrogothia ad Wadstena raro.

♂♀. Pusilla, magnitudine tamen variat. Abdomen nigrum, nitidum, incisuris albis, speciem præcipue distinguit. — Pilosula. Caput glabriculum. Antennæ nigræ, in medio plus

minus lutescentes. Thorax cinerascens, callo humerali cano, dorso vittis 3 nigris, media angusta subintegra, lateralibus latioribus, abbreviatis & subinterruptis. Abdomen nigrum, nitidum, segmentis: 2:do fere toto, lateribus saltem late; 3 & 4 margine apicali, albidis. Anus inflexus aterrimus, nitidus. Alæ hyalinæ, leviter fuscanæ, basi pallescentes. Nervi longitudinales 3 & 4 in ipso apice alæ plus minus coëunt. Segmentum costæ inter exitum nervi longit. 1 & 2 parum brevius illo inter exitum nervi long. 2 & 3. Squamæ parvæ & halteres, alba. Pedes ut in diagnosi variant. Tibiæ extus albo-micantes.

8. *M. Sundewalli:* cinerea, thorace lineis tribus nigris; capite flavo-albido, antennis luteis, basi apiceque nigris, fronte fulva, vertice obscuro; abdomine grisescente, opaco, vitta dorsali nigra, obsoleta; alis fuscanis, basi flavescentibus, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice non coëuntibus; pedibus lutescentibus, coxis tarsisque nigris. ♂♀ (Long. 2 fere 3 lin.).

*Myopa atra* Var. *β.* Fall. Conops. 12. 6. Sub. varietatibus *M. atræ* Meig. Dipt. 4. 146. forte etiam latet.

Hab. in Sveciæ graminosis, locis aridis, etiam in floribus Compositarum ut Achilleæ, Chrysanthemi & Apargiæ autumnalis, obvia, 15 Jul.—10 Sept. passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Abusa, Silfåkra, Högestad &c.; in Smolandia; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c., non raro; in Gottlandia ad Kjellunge, rarius. (Ex Austria a D. *Andersch* sine synonymia olim missa).

♂♀. Affinis priori, sed magnitudine plerumque duplo majore, antennis in medio latius luteis, abdomine densius pilosulo, toto griseo-cinereo, nec nigro, aperte opaco, minime nitido, alis basi flavescentibus, nec albicantibus, nervis longitudinalibus 3 & 4 in apice nonnihil magis remotis, saltem num-

quam coëuntibus, ut & pedibus maxima ex parte luteis, vere & abunde distincta. Nec nisi similis cum simili ex utraque specie in copula juncta deprehenditur. Abdomen in ♂ cinenereo-nigroque tessellatum, in ♀ cinereum, linea dorsali subinterrupta obscura. Anus in utroque sexu ater. Alarum costæ segmentum 2:dum 3:o paullo brevius, quam in *M. atra.* Pedes lutei, coxis posterioribus, femoribus anterioribus superne, posticis apice, tibiis omnibus apice, tarsisque totis, nigris. Variat uterque sexus femoribus tibiisque fere totis luteis, femoribus vero intermediis in ♂ plerumque nigris. — Reliqua ut in priori. — Species celeberrimo D. Professori *Carolo Jac. Sundewall,* Holmiensi, amice dicata.

9. *M. distincta:* cinerea, thorace lineis quatuor nigris; capite flavo-albido, antennis nigris, intus macula fronteque luteis, vertice obscuro, abdomine griscscente, opaco, vitta dorsali nigra, obsoleta; alis fuscanis, basi flavescentibus, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice non coëuntibus; pedibus nigris, femoribus intermediis subtus, posticisque fere totis, lutescentibus. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 149. 14. ♂.

Hab. in Scania, 20 Aug.—10 Sept., rarius, scilicet ad Lund & in Pinetis ad Lackalänga 4 mares & 1 feminam invenimus amicus *Dahlbom* & ipse. (E Glogavia a D. *Zeller* sub nomine: "*M. distincta* Meig." quoque communicata).

♂♀. Simillima *M. Sundewalli,* sed antennis paullo obscurioribus, femoribus anticis fere totis, intermediis superne, posticisque apice, nigris, ut & lineis thoracis nigris 4, nec 3, certe distincta. — Haustellum longissimum, nigrum. Thorax cinereus, lineis 4 nigris, quarum 2 intermediis subapproximatis, angustis, & 2 lateralibus paullo latioribus, minus perspicuis. Alæ hyalinæ, leviter fuscanæ, basi & nervo auxiliari ferrugineo-flavis. Pedes nigri, femoribus interme-

diis subtus, posticis totis, tibiarumque omnium basi, rufo-flavis. Cetera ut in præcedente. Variat ♂ femoribus intermediis fere totis, posticisque apice piceo-nigris.

---

## 99. STACHYNIA Macq.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, puberulum. Caput vesiculosum, nudum, occipite pubescente. Antennæ capite breviores, articulo 1:mo brevissimo, subcylindrico, parum pilosulo; 2:do cyathiformi pubescente 3:tioque ovato nudo, subæque longis, hoc in medio stylo dorsali brevi nudo. Haustellum ut in *Myopa*. Oculi parvi, rotundati, nudi, in utroque sexu æque & modice remoti. Ocelli 3. Palpi parvi, pilosuli. Abdomen segmentis 6, 2:do sequente non longiore; ovatum, depressum, subcurvum. Alarum nervi fere ut in *Myopa dorsali & variegata* directi, scilicet segmentum costæ 2:dum, duplo fere brevius, quam 3:tium; nervi longitudinales 3 & 4 in apice alæ paullo remotim excurrunt; area vero angularis nulla. Halteres nudi. Squamæ parvæ. Pedes simplices, pubescentes, femoribus validis, tarsorum ungvibus pulvillisque mediocribus l. minusculis. *Color* varius, pictura maculata. *Motus* — — —. *Habitatio* — — —. *Differentia sexus;* alter sexus *(femineus?)*: ano inflexo, aculeo corneo lato, compresso, arcuato nitido terminato; alter *(masculus?)*: ano inflexo, tuberculato, tuberculo rotundo stylis 2 filiformibus puberculis terminato.

1. S. *punctata:* nigra, capite, callis humeralibus, scutelli apice, abdomine pedibusque, flavis; antennis, abdominis fascia basali maculisque trifariam dispositis, tarsisque, atris. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Macq. Buff. 2. 37. 1. *Myopa* Fabr. Antl. 181. 9. Meig. Dipt. 4. 151. 18. *Myopa virens* Meig. Class. 1. 289. 11. Latr. Gen. 4. 338. Fall. Conops. 13. 8.

Hab. in Suecia rarissime, testantibus D. D. *Gyllenhal*, qui specimina utriusque sexus ut incolas Sueciæ misit, & Prof. *Wahlberg*, qui in Ölandia eam invenerit; mihi in Scandinavia numquam obvia. (E Glogavia a D. *Zeller*).

♂♀. *Musca domestica* plerumque minor. Caput pallide flavum, fronte saturatiore, genis albo-micantibus. Antennæ, macula stemmatum in vertice, occiput haustellumque, atra. Thorax niger, nitidus, dorso sat dense griseo-pubescens, callis humeralibus, macula pleurarum & alia utrinque juxta scutellum, citrinis. Scutelli apex late citrinus, nigro-pilosus. Abdomen flavum (in viva forte virescenti flavum), pallide pubescens, fascia basali lata, punctisque triplici serie dispositis, atris. Puncta hæc in serie media plerumque elongata, numero 2 aut 3; lateralia vero 2 aut 3, rarissime 4, subtrigona plerumque discreta, raro cohærentia. Aculeus analis in ♀ niger; tuberculum anale in ♂ piceum, filis fuscis. In ♂ etiam, ni fallor, e sterno postice exit aculeus rectus niger, qui sub ventris basi occultatur. Alæ hyalinæ, parum fuscanæ, radice flava. Area discoidalis 1:ma nonnihil ante apicem alæ terminatur, ibique modice aperta. Pedes citrini, parce nigro-pubescentes, coxis nitidis basi, tarsisque totis, atris, pulvillis pallidis. Metatarsus posticus articulo sequente vix duplo longior.

*Obs.* Individua ano aculeato feminea, & filato mascula esse forte jure putat D. *Meigen*. D. D. *Robineau* & *Macquart* vero contrariam fovent sententiam, cui, ob analogiam cum *Pipunculinorum* apparatu genitalium, in ♂ rotundato inermi, in ♀ aculeato, accedere non possum.

2. *S. marginella:* nigra, epistomate tibiisque sordide albidis; puncto humerali abdominisque segmentis 2 & 3 margine apicali, flavis; ano macula rufa. ♂. (Long. fere 1½ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in museo meo ut Scaniæ

incola annotata exstat, ante plures annos ab alio Collectore inventa, loco specialiori non indicato.

♂. Specimen bene conservatum. Affinis & similis *Myopæ marginatæ* Meig., sed magnitudine nonnihil minore, abdominis incisuris tantum 2 & 3, nec 2, 3 & 4, flavis, ut & femoribus nigris, nec flavis, certe distincta. Nigra, nitida. Epistoma sordide album. Frons parum prominens, nigra, opaca. Antennæ & haustellum atra. Thorax dorso griseo- & scutellum nigro-pubescentia. Abdomen vix incurvum, supra planum, subtiliter punctulatum, præsertim lateribus cinereo-pilosulum, segmentis 2 & 3 apice linea transversa flava, non usque ad marginem lateralem extensa. In medio segmenti 5:ti macula rotunda rufa. Venter flavus. Alæ fusco-hyalinæ, radice subpallescente. Nervi ut in priori directi, sed 3 & 4 longitudinales in summo apice, nec paullo ante apicem, excurrunt. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes piceo-nigri, geniculis summis tibiisque (præsertim ánticis) flavo-albidis, his in medio infuscatis. Tarsi tenues, nigri. Femora subtus cinereo-pilosula.

---

## 100. NEPHROCERUS Zett.

*Corpus* mediæ magnitudinis, elongatum, angustum, glabriculum, nitidum. Caput hemisphericum. Oculi magni, approximati, nudi immaculati, postice ad latera excisi. Antennæ capite multo breviores, articulo 1:mo brevissimo, transverso, nudo; 2:do etiam brevissimo, piloso; 3:tio magno, reniformi, compresso, nudo, basi seta dorsali nuda, apice capillari. Frons & epistoma minime prominentia; hoc angustum, lineare. Proboscis magna subretracta. Ocelli in vertice 3. Thorax callo humerali vesiculoso. Scutellum inflatum. Abdomen 6-annulatum, thorace duplo & ultra longius, angustatum, lineare. Anus inflexus. Alæ abdomine longiores, hyalinæ. Nervi ut in *Myopa dorsali* & *variegata* directi, sed area angularis longior, & nervulus infra aream api-

calem (1:mam a costa, seu 3:tiam a basi marginis interioris) excurrit. Area scilicet angularis elongata, hinc nervulus infra angulum apicalem brevis. Nervi longitud. 3 & 4 in apice alæ approximati, non veri coëunt. Inter curvaturam nervi long. 4:ti & apicem excurrit nervulus appendiceus. Segmentum costæ 3:tium *) dimidium brevius segmento 4:to. Squamæ vix ullæ. Halteres subelongati, nudi. Pedes simplices, tenues, inermes. Metatarsi longissimi, longitudine scilicet reliquorum articulorum simul sumtorum & articulo sequente duplo longiores. *Color* niger, pictura flava. *Motus* fere *Pipunculi,* nempe aut volatus brevis, aut reptatus in foliis. *Habitatio* in foliis plantarum. *Differentia sexus; mas:* oculis in frontis postico arcte cohærentibus, ano rotundato, genitale dextrorsum flexo; *femina:* oculis in frontis postico rima angustissima disjunctis, ano obtuso, vagina aculeata inflexa. Habitus fere *Bacchæ & Asciæ*, sed abdomen basi non coarctatum.

1. *N. lapponicus:* ater nitidus; epistomate argenteo; antennis fusco-nigris; proboscide, callis humeralibus, thoracis limbo laterali, scutello, abdominis fasciis subbinis interruptis, halteribus pedibusque, flavis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

---

*) Propter brevitatem terminos quoad norvorum in alis directionem sequentes, quos Cel. *Stenhammar* finxit & in descriptione *Ephydrinarum* apte usurpavit, lubens adoptavi; scilicet: *segmentum costæ 1:mum* dicitur longitudo nervi costalis inter basin alæ & exitum nervi auxiliaris in costam; 2:*dum*: longitudo ejusdem nervi inter exitum nervorum auxiliaris & longitudinalis primi; 3:*tium*: longitudo nervi costalis inter exitum nervorum longitudinalium primi & secundi; & 4:*tum*: longitudo nervi costalis inter exitum nervorum longitudinalium secundi & tertii, hic aut ante apicem, aut in apice, aut pone apicem in variis Familiis terminetur. — Quando nullus nervus auxiliaris adest, *segmentum 1:mum costæ* a basi alæ ad apicem nervi longitudinalis; & sic porro.

Var. a. ♂♀. abdominis segmentis 2 & 3 fascia apicali late interrupta, flava.

Zett. Ins. Lapp. 578. 1. ♀.

Var. b. ♀. abdominis segmento 2:do apice macula utrinque flava.

Zett. l. c. var. b.

Hab. in foliis Pini Abietis & Betulæ albæ, per Sveciam borealem & Lapponiam, 22 Jun.—21 Jul., rarius; scilicet in Jemtlandia ad radicem alp. Åreskutan 1810 utrumque sexum, & in Lapponia Umensi 1832 ad novacculum Gransele atque ad pagum Wilhelmina 3 feminas, inveni.

♂♀. Affinis *Pipunc. aucto*, sed magnitudine multo majore, pictura alia, & essentialiter callis humeralibus vesiculosis, proboscide majore, subexserta, antennarumque forma, longe diversa. Valde similis etiam videtur *Pipunc. scutellato* Macq. Buff. 2. 9. 1. & Meig. Dipt. 7. 147. 19; sed præter antennas reniformes, nec ovatas, & proboscidem majorem, differt quoque antennarum articulo 2:do fusco, nec fulvo, & abdomine in medio flavo-maculato, nec toto nigro. — Lævis, nitidus, ater. Caput argenteum, certo situ nigro-micans, glabrum, occipite pubescente. Antennæ fusco-nigræ, articulo 2:do fusco-testaceo. Seta atra. Frons supra antennas longe triangularis. Proboscis magna, subexserta, flava. Oculi magni, ferruginei, unicolores. Thorax ad latera pallide flavus, setis paucis nigris. Calli humerales vesiculosi, pallide flavi. Pleuræ flavo-cinerascentes. Scutellum flavum, margine apicali setis aliquot nigris. Abdominis parce pilosi segmentum 2:dum, aut 2:dum & 3:tium margine apicis fascia plus minus interrupta, relicta interdum tantum macula laterali flava. In segmento 1:mo sæpe etiam utrinque punctum flavum. Anus maris rotundatus, inflexus, nigricans, apice hians, margine & genitale parum exserto, flavis; feminæ vagina inflexa, cornea, ferruginea, basi latior, subdepressa, apice acuta. Venter præsertim basi fla-

vo-lineatus. Alæ parum fuscanæ, radice flava. Nervi long. 4:ti nervus appendiceus non ad marginem extensus. Squamula & halteres, flava. Pedes flavi, brevissime puberuli, coxis basi, et sæpe tarsorum articulo ultimo, fuscis.

2. *N. flavicornis:* ater, nitidus; epistomate argenteo; antennis totis flavo-fulvis; proboscide, callis humeralibus, thoracis limbo laterali, abdominis fasciis binis ad latera dilatatis, halteribus pedibusque, flavis. ♀. (Long. 3 lin.)

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Qvercetis ad diversorium Röstånga Scaniæ specimen descriptum a Cel. D. *Dahlbom* 18 Jul. 1839 detectum.

♀. Simillimus præcedenti, sed antennis totis flavo-fulvis, seta tantum nigra, basi flava, abdominis segmentis 2 & 3 fascia apicali angusta, ad latera triangulariter dilatata, rufo-flava, 4 & 5 margine apicali anguste cinereo, ut & pedibus totis cum coxis pallide flavis, his albomicantibus, certe distincta. Loco natali quoque differunt. Reliqua ut in priori.

---

## 101. PIPUNCULUS Latr.

*Corpus* parvum aut minutum, subcylindricum, puberulum, sæpe opacum. Caput hemisphericum. Oculi ut in *Nephrocero*, sed postice haud excisi. Antennæ capite multo breviores, articulo 1:mo exiguo, nudo; 2:do etiam minuto, cyathiformi, pilosulo; 3:tio deflexo, compresso, nudo, aut acuto, aut ovato, aut rotundato, basi seta dorsali erecta (in ♂), nuda, apice capillari. Frons, ocelli & epistoma ut in *Nephrocero.* Proboscis occulta, retracta. Thorax callo humerali opaco, non vesiculoso. Scutellum opacum. Abdomen 6-annulatum, thorace nonnihil longius, subcylindricum. Anus inflexus. Alæ normaliter ut in *Nephrocero*, sed nervulus appendiceus nervi long. 4:ti non nisi in *P. aucto* adest. Raro nervuli

transversi desunt; hinc areæ discoidales in speciebus ultimis nullæ. Squamæ vix ullæ. Halteres nudi. Pedes simplices, validiusculi, subglabri, inermes. Metatarsi elongati; reliqvi articuli breves, subæque longi. *Color* niger. *Motus:* volatus continuus, placidus, velificans, aut reptatus in foliis. *Habitatio* in sæpibus vivis, graminosis & foliis plantarum. *Differentia sexus; mas:* oculis in fronte fere per totam longitudinem cohærentibus, ano rotundato, genitale dextrorsum flexo; *femina:* oculis in fronte per rimam æqualiter angustam disjunctis, ano obtuso, cauda inflexa, aculeo elongato, terminata. Typus generis *P. Pratorum.*

*Sect.* 1. Areæ alarum discoidales tres. *Pipunculi* proprii.

*) nervulo appendiceo pone curvaturam nervi longitudinalis 4:ti abbreviato.

1. *P. auctus:* ater holosericeus (♂), aut niger (♀), abdomine maculis lateralibus cinereis; pedibus nigris, geniculis pallidis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 23. 10. ♂. & 6. 358. ♀. Macq. Buff. 2. 9. 1. ♂♀. — *Cephalops* Fall. Syrphici 61. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis, libenter locis uliginosis, per prata Sveciæ meridionalis & mediæ, 4 Jul.—3 Aug., minus freqvens; scilicet in Scania ad Räften prope Lund, D. *Dahlbom*, & ad Esperöd, uterque sexus; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp, rarius; in Gottlandia ad Kjellunge, rarissime; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg.*

♂♀. Qvoad nervorum directionem in alis cum *Nephrocero* omnino convenit, præter quod in *P. aucto*, nervuli: transversus posticus paullo longius a margine remotus, & appendiceus nervi long. 4:ti nonnihil brevior sint. Cum *Pipunculis* reliqvis vero cetera omnia quadrant. Epistoma & frons supra antennas, argentea. Antennæ nigræ, ovatæ, superne albomicantes. Oculi ferruginei. Thorax & scutellum, atra &

atro-pubescentia (♂), aut cinerascenti nigra, subnuda (♀), setulis lateralibus paucis. Abdomen atrum, holosericeum, pilosum, maculis lateralibus cinerascentibus (♂), aut nigrum opacum, subpubescens, segmentorum margine apicali anguste, laterali latius, cano (♀). Anus obtusus (♂), aut aculeo longe arcuatim inflexo, basi crasso nigro, apice subulato ferrugineo (♀). Alæ hyalinæ, stigmate leviter fusco. Squamulæ albæ. Halteres albidi, clava fusca (♂), aut testacea (♀). Pedes nigricantes, geniculis pallidis. Pulvilli albi, in ♀ majores. Pleuræ in ♀ canæ. Tarsi in ♀ sæpe pallescunt.

**) nervulo appendiceo pone curvaturam nervi longit. 4:ti nullo.

a.) corpore glabro.

2. *P. Pratorum:* fusco-nigricans, opacus, antennis ovatis, fuscis; abdomine nitido, atro, 1:mo segmento fascia, reliquisque macula laterali, cinereis; alis hyalinis, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo; halteribus pedibusque flavo-testaceis, femoribus in medio latissime nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 22. 7? Macq. Buff. 2. 11. 7. Zett. Ins. Lapp. 579. 1. ♂♀. *Cephalops* Fall. Syrph. 15. 1. var. (sub quo plures species latent.)

Hab. in gramine hortorum & pratorum ut & foliis Populi Tremulæ, Coryli &c., per Sueciam totam usque ad Lapponiam, 16 Jun.—8 Sept., ubique vulgatissimus, copulatus in aëre, choreas ducens multoties captus; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia & Nericia, frequentissimus; deinde rarescit & in Gestricia atque paroecia Undersåker Jemtlandiæ parce lectus; in Norvegia ad Thynæs & Levanger iterum frequens; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Inter majores generis. Nigricans. Antennæ fuscæ, argenteo-micantes, basi atræ. Caput nigrum, occipite cinereo, epistomate & fronte supra antennas argenteo-micantibus. Thorax supra fuscus, opacus, limbo cinereo. Pleuræ cinereæ, scutellum nigrofuscum. Metathorax canus. Alæ hyalinæ, certo situ metallice nitentes, stigmate fusco. Segmentum costæ 2:dum & 3:tium (cfr. nota sub *Nephrocero)* fere æque longa. Nervulus transversus medius apici auxiliaris oppositus. Pedes testacei, coxis femorum medio late, tibiarum fascia media, tarsorumque apice, nigricantibus. Femora uno latere subpubescentia. Tibiæ anticæ sæpe totæ testaceæ. Cauda in ♀ inflexa atra, aculeo ferrugineo.

*Obs.* Individua, quæ sub nomine: "*Pip. campestris* Meig." e Danis obtinui, a nostro *P. Pratorum* haud differunt.

3. *P. campestris:* cinereo-nigricans, opacus, antennis ovatis, nigris; abdomine nitido, atro, 1:mo segmento fascia, reliquisque macula laterali, cinereis; alis hyalinis, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subrecto; halteribus testaceis; pedibus nigris, trochanteribus, genubus tibiarumque basi, flavis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Latr. Gen. 4. 332. Panz. Fn. Germ. 108. 17. ♂. Meig. Dipt. 4. 19. 1. Macq. Buff. 2. 10. 3. ♂♀.

Hab. in Suecia rarius, 29 Jun.—21 Jul. mihi obvius; nempe in Scania ad Esperöd parœciæ Mellby 1816, & in insula Furillen Gottlandiæ 1841, pauca specimina inveni.

♂♀. Magnitudo & summa similitudo præcedentis, sed alarum nervo longitudinali 4:to inter transversum & apicem magis recto, & pedibus fere totis nigris, trochanteribus, genubus tibiarumque basi tantum albo-flavis. Epistoma & frons, argentea. Antennarum articulus ultimus acutus, albo-micans. Pleuræ cinereæ. Alæ radice albida. Pulvilli & ungves, magna, alba, hi apice nigri. Thoracis dorsum in ♂ obscure cinerascens, brunneo-lineatum, in ♀ cinereum. Reliqua ut in

priori. — Ova hujus speciei a D. Prof. *Löw* in Horis Entom. Posnaniæ 1841. 1. fasc. 2. Tab. 4. f. 15. depicta sunt.

4. *P. ater:* fusco-nigricans; opacus, antennis ovatis, nigris; epistomate fronteque obscuris (♂), aut cinereis (♀); abdomine atro, nitido, aut segmentis basi opacis (♂), aut segmentis 1 & 2 fere totis, reliquisque puncto laterali, canis (♀); alis subfuscanis, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo; halteribus lividis (♂), aut flavis (♀); pedibus nigris, geniculis summis tibiarumque basi, flavidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 23. 9. ♂. *Pip. dispar* Zett. Ins. Lapp. 579. 3. ♂♀.

Hab. in graminosis pratorum humidorum 21 Jun. 4 Aug., rar.; scilicet in Scania semel lectus; in Lapponia Umensi ad Lycksele in copula captus; e Dania a D. *Staeger* missus; in Norvegia ad Björkvik Nordlandiæ rarissime.

♂♀. *P. Pratorum* similis, sed differt: magnitudine minore, epistomate fronteque angustioribus, obscurioribus; pleuris obscuris; abdomine atro, aut in ♂ immaculato, lateribus tantum fusco, fere toto opaco, segmentorum 2, 3, 4 margine summo reliquisque totis nitidis; aut in ♀ segmentis 1 & 2 fere totis, reliquisque puncto laterali, canis; alis subfuscanis, halteribus fusco-flavis (♂); & pedibus fusco-nigris, femoribus summo apice tibiarumque basi rufescentibus. Tarsi in ♀ basi flavi. Scutellum nitidum (♂♀). Femora postica subtus versus apicem brevissime spinulosa. — *P. spinipes* Meig. Dipt. 6. 359. 14 & ejusdem *P. dentipes* 7. 146. 15. forte etiam huc pertinent.

5. *P. fuscipes:* nigro-fuscus, opacus; antennis ovatis, acumininatis, fuscis; epistomate fronteque argenteomicantibus; pleuris, metathorace abdominisque maculis lateralibus, cinerascentibus; alis hyalinis, nervo long.

4:to inter transversum & apicem subrecto, stigmate integro, fusco; halteribus pedibusque nigricantibus, geniculis, tibiis basi metatarsisque, rufo-flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Stæg. in litt. 24 Oct. 1842. ♂♀. *Cephal. pratorum* Fall. Syrph. 15. 1. var. minor.

Hab. in Scandinavia mense Julio & Aug. passim; in copula; scilicet in Scania ad Silfåkra & Röstånga, rarius; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena & Godegård, ipse; in Gottlandia ad Wamblingbo; e Dania a D. *Staeger* communicatus. (Ex Helvetia a D. *Konewka* Berolinensi sine synonymia missus).

♂♀. Parvus. Totus fuscus, opacus. Epistoma & frons, argentea. Antennæ fuscæ, acuminatæ, extus albo-micantes. Pleuræ, metathorax & abdominis maculæ laterales, obscure cinerea. Anus vix nitidus. Alæ subfuscanæ. Nervulus transversus medius brevissimus apici auxiliaris præcise oppositus. Linea stigmaticalis obscura totum interstitium (segmentum costæ 2:dum) inter apice nervorum auxiliaris & longitudinalis 1:mi ad costam implet. Halteres nigri, petiolo pallido (♂), aut testacei (♀). Pedes nigricantes, geniculis summis, tibiarum basi anguste, metatarsisque, flavidis. Variat tarsis anticis fere totis fuscis; variat etiam tarsis posticis totis flavidis, articulo ultimo nigro. — Femina rarissime mihi obvia. — A *P. geniculato* stigmate distincto, & a *P. rurali* corpore opaco, hæc species præcipue dignoscitur. — In illæsis speciminibus maculæ laterales cinereæ in abdominis dorsum altius assurgunt, licet ibi sensim angustiores.

6. *P. unicolor:* nigro-fuscus, opacus; antennis ovatis, acuminatis, fuscis; epistomate fronteque cinereo-micantibus; pleuris metathoraceque obscure cinerascentibus; alis subhyalinis, nervo long. 4:to inter transversum

& apicem subrecto, stigmate integro, fusco; halteribus pedibusque nigris, geniculis summis rufescentibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime, ad Gothem 18 Jul. 1841 semel inventus.

♂. Similis priori, sed magnitudine nonnihil majore, abdomine nigro-fusco absque maculis lateralibus cinereis, halteribus pedibusque totis nigris, tantum geniculis summis levissime rufis, differt.

7. *P. fusculus:* nigro-fuscus, opacus; antennis ovatis, acuminatis, nigris; epistomate fronteque argenteo-micantibus; pleuris, metathorace abdominisque lateribus, cinerascentibus; alis hyalinis, nervo long. 4:to inter transversum & apicem recto; stigmate dimidiatim, halteribusque, fuscis; pedibus nigricantibus. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in Ostrogothia: ad Gusum ♀ a Cel. Prof. *Wahlberg* detecta, mihique amicissime communicata; ad Lärketorp uterque sexus 21 Aug. a me lectus.

♂♀. Similis *P. fuscipedi* (5), sed magnitudine minore, abdominis maculis lateralibus haud determinatis, nervulo transverso medio paullo pone apicem nervi auxiliaris sito, nigredine stigmatis non totum interstitium sed tantum dimidium implente, & pedibus totis nigricantibus, tarsis fuscis, ut & geniculis summis tantum puncto pallido, distinctus. Abdomen breviusculum, ovale, fere totum cinereum, segmentorum basi obscura; cauda ♀ inflexa atra, aculeo ferrugineo.

8. *P. geniculatus:* niger, nitidus; antennis acuminatis, apice albis; fronte supra antennas epistomateque argenteo-micantibus; pleuris, metathorace abdominisque 1:mo segmento, cinereis; alis hyalinis, stigmate nullo,

nervis longitudinalibus: 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; pedibus nigris, geniculis halteribusque albidis. ♂. (Long. 1—1¼ lin.).

Meig. Dipt. 4. 20. 2. ♂. Macq. Buff. 2. 10. 4. Zett. Ins. Lapp. 579. 4. ♂. (exclus. ♀).

Hab. in pratis Scandinaviæ, 24 Jun.—18 Jul., rarius; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Gothem &c., passim; in Lapponia Umensi ad Lycksele, rar.; in Dania, D. *Staeger*.

♂. Corpus proportione parvitatis elongatum, nigrum, nitidum, levissime cinereo-pollinosum, antennarum apex longe acuminatus, albus, oculi (in ♂) non cohærentes, nervorum directio, halteres albi, & pedes præter genicula summa albida nigri, sunt notæ, quæ speciem distingvunt. — Epistoma argenteum. Frons epistomate parum angustior, nigra, supra antennas cana. Thoracis dorsum disco fusco, opaco. Scutellum nigrum, nitidum. Abdomen elongatum, angustum, cylindricum, nigrum, subtus & segmento basali supra cinereum. Genitale ventri inflexum, rufum. Alæ hyalinæ stigmate nullo. Area angularis angulo acutissimo fere ad marginem extensa. Segmentum costæ 1:mum (confer. nota sub *Nephrocero)* elongatum, cujus apici opponitur nervulus transversus medius minutus; 2:dum seu stigmaticale brevissimum, immaculatum; 3:tium antecedente fere triplo longius; 4:tum longitudine 3:tii. Halteres albidi. Pedes nigri, geniculis anguste, & pulvillis, albis.

9. *P. sylvaticus:* æneescenti niger, nitidus; antennis acuminatis, apice albis; fronte supra antennas epistomateque argenteo-micantibus; metathorace abdominisque 1:mi segmenti margine, cinereis; alis hyalinis, stigmate nullo, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do breviusculo ejusque apici nervulo transverso

medio opposito; pedibus nigris, geniculis anguste, tarsorum basi late, halteribusque, albidis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 20. 3. Macq. Buff. 2. 10. 5. Zett. Ins. Lapp. 579. 5. ♂♀.

Hab. in graminosis sylvaticis, etiam in Pinetis, 18 Jun.—Jul.—22 Aug., per Scandinaviam, passim; scilicet in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Oelandia, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Ejsta; in Medelpadia ad Kjällsta, D. *Dahlbom*; in Jemtlandia usque ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen; in Lapponiis Umensi ad Lycksele & Tornensi ad Kengis; in Norvegia a Thynäs & Levanger usque ad Tromsö Nordlandiæ & Bossekop Finmarkiæ prope NordCap, rarius; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Similis priori, sed oculis in fronte ♂ cohærentibus, abdomine in utroque sexu æneseenti nitido, minime cinereo-pollinoso, segmento primo tantum margine apicali interrupte cinereo, nec toto cinerascente, segmento costæ 3:tio antecedente paullo tantum, sed vix duplo longiori, 4:to longissimo, nervulo transverso medio apici nervi long. 1:mi, nec auxiliaris, opposito, tibiis basi nonnihil latius flavis, ut & tarsis fere totis, præter articulum ultimum fuscum, albidis, vere distinctus. Nervus transversus posticus paullo pone apicem nervi longitudinalis 2:di ductus. — Variat tarsis sordide flavis, articulo ultimo nigro.

10. *P. nigritulus:* ater, nitidus; antennis acuminatis, apice albis; fronte supra antennas epistomateque argenteo-micantibus; metathorace toto, abdominisque 1:mi segmenti margine apicali anguste, canis; alis hyalinis, stigmate nullo, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do breviusculo ejusque apici nervulo

transverso medio opposito; pedibus nigris, geniculis, thoracis puncto humerali halteribusque, albidis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in pratis Sueciæ, 21—28 Aug., rarius; scilicet in Scania ad Silfåkra a D. *Dahlbom*, & in Ostrogothia ad Wadstena a me, lectus.

♂♀. Duobus proxime præcedentibus valde similis, sed a *P. geniculato* oculis in ♂ cohærentibus & alarum nervorum directione in utroque sexu, & a *P. sylvatico* pedum colore obscuriore, præcipue differt. Pedes omnino ut in *geniculato* colorati, alarum nervi præcise ut in *sylvatico* directi. Thorax puncto humerali albo. Abdomen vix æneseens. ♂: thoracis disco dorsali fusco, opaco.

11. *P. albitarsis:* niger, nitidus; antennis acuminatis, apice albidis; fronte supra antennas epistomateque argenteo-micantibus; pleuris, metathorace abdominisque 1:mi segmenti margine, cinereis; alis hyalinis, stigmate nullo, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; pedibus nigris, geniculis, tarsorum basi late, halteribusque totis, albidis. ♂. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Medelpadia ad diversorium Kjällsta 18 Jun. 1840 specimen unicum inventum.

♂. Simillimus *P. geniculato*, sed oculis (♂) cohærentibus, tibiis basi latius, tarsorumque articulis 3 primis, albidis, ut & area angulari longiori usque ad marginem extensa, differt. Nervi præterea ut in *geniculato* directi. A *P. sylvatico*, cui etiam similis, directione nervorum distingvitur. Thoracis dorsum fuscum, opacum. Venter basi cinereus.

12. *P. rufipes:* niger, nitidus, thoracis dorso fusco, opaco; fronte angustissima atra, antice supra antennas epistomateque argenteis; alis hyalinis, stigmate nullo, nervo long. 4:to inter transversum & apicem recto, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; halteribus pedibusque rufo-flavis, coxis, femoribus pone medium tarsorumque apice, nigris. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 21. 4. ♂. Macq. Buff. 2. 10. 6. ♂.

Hab. in Scandinavia rarius, in Scania ad Lund 25 Maj. duo specimina inveni; ad Holmiam a D. *Wahlberg* captus; in Dania mense Jun. a D. *Staeger* lectus.

♂. Epistoma modice latum, argenteum. Antennæ basi nigræ, apice in nostris individuis mutilatæ. Rima frontalis angustissima, atra, anterius sensim nonnihil latior, argentea. Thorax niger, disco dorsali fusco, opaco. Scutellum nigrum. Metathorax cinerascens. Abdomen elongatum, subcylindricum, nigrum, nitidum, 1:mo segmento cinerascente, ultimo (anali) rotundato, piceo. Venter griseus. Alarum segmentum costæ 1:mum elongatum; 2:dum brevissimum; 3:tium antecedente duplo & ultra longius; 4:tum 3:tio paullo longius. Area angularis fere ad marginem descendit. Pedes fulvi, coxis, femoribus paullo pone medium tarsorumque articulis 2 l. 3 ultimis, nigricantibus. Nervus transversus posticus apici nervi longit. 2:di oppositus.

*Obs.* Ni valde fallor, ambo specimina, a me capta, mascula sunt, licet simul deprehensa, & in copula juncta mentientia. Genitale inflexum, ventri arcte applicatum, rufum, in utroque individuo simile videtur, & sine dubio masculum prodit; nec aculeum indagare possum.

13. *P. hæmorrhoidalis:* niger, nitidus; antennis acuminatis, apice albis; fronte angusta atra, antice supra antennas epistomateque argenteis; alis hyalinis, stigmate

nullo, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; pedibus nigris, genubus, tibiarum tarsorumque apice, halteribusque, albo-flavis; cauda ♀ ferruginea. ♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 580. 6. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali 2 Jul.—2 Aug., rarius; scilicet in Lapponia Suecica Umensi ad Lycksele & in alpe Brattiksfjell, 1832; in Norvegia ad Thynæs & Levanger, 1840.

♀. Valde similis priori, & forte ejus femina; sed differt thorace nigro, nitido, fronte nonnihil latiore, nervo longitudinali 4:to versus apicem subinflexo, nec recto, genubus tarsorumque basi albidis, nec rufis, tibiarum apice nigro, ut & cauda inflexa ferruginea. Antennæ nigræ, articuli ultimi apice acuminato, albido. Abdomen angustum, cylindricum, elongatum, nigrum, segmenti 1:mi margine anguste cinereo, cauda inflexa tota ferruginea, aculeo obscuro, summo apicé pallido. Venter basi cinerascens. Alarum nervi subpallidi, basi albi; longitudinales 3 & 4 in apice fere coëuntes. Pedes haud validi, nudi, nigri, genubus, tibiarum basi, tarsorumque articulis 1, 2, 3, albidis. Tibiæ posticæ albidæ, fascia media fusca.

11. *P. fulvipes:* niger, nitidus; antennis nigris, articulo ultimo longe acuminato, albo; fronte epistomateque argenteis; alis hyalinis, stigmate nullo, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; halteribus pedibusque rufo-flavis; abdominis medio in ♂ macula laterali flava. ♂♀. (Long. 1⅓ fere 1½ lin.).

*Mas:* oculis in fronte cohærentibus; abdomine toto nigro;

*Fem:* oculis in fronte anguste remotis; abdominis segmentis 2:do & 3:tio lateribus flavis; in copula.

Var. a. ♂♀. pedibus rufo-flavis, coxis fere totis, femoribusque basi annulo angusto, nigris.

Macq. Buff. 2. 11. 9. ♂. Meig. Dipt. 7. 147. 18. ♂. *P. lateralis* Macq. Buff. 2. 11. 8. ♀. Meig. Dipt. 7. 147. 17. ♀. *P. annulipes* Zett. Ins. Lapp. 508. 7. (specimen femineum Botniense).

Var. b. ♀. pedibus totis flavis, coxis basi fusco-cinereis.

Hab. in graminosis & foliis fruticum Scandinaviæ, 6 Aug.—2 Sept., minus frequens; scilicet var. a. in Scania rarius; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg* in copula captus; in silva Fylla prope Wadstena, D. *Dahlbom;* in Botnia boreali ad Johannis Ro, rarissime; in Dania, D. *Staeger;* e varietate b. specimen tantum unicum 15 Aug. ad Abusa Scaniæ deprehendi.

♂♀. Similis & affinis priori, sed magnitudine nonnihil majore, antennarum articulo ultimo paullo magis acuminato, toto albo (seta nigra), ut & pedum colore, mox differt. Alæ quoque omnino ut in præcedente. Abdomen cum ano in utroque sexu externe fere simile; aculeus feminæ ventri arcte applicatus ægre discernitur.

*Obs.* Specimen masculum forte hujus speciei, magnitudine solito paullo minore, abdominis segmentis 3 & 4 lateribus leviter flavo-maculatis, oculis in fronte arctissime cohærentibus, e Smolandia 1834 mecum communicavit Cel. *Boheman*, sed cum illud ad manum mihi diutius non est, hanc tantum observationem ex annotationibus meis afferre potui.

15. *P. flavipes:* niger, nitidus; antennis ovatis, fuscis; fronte epistomateque argenteo-micantibus; metathorace abdominisque segmenti 1:mi margine, cinereis; alis hyalinis, stigmate fusco, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo trans-

verso medio apici auxiliaris opposito; halteribus pedibusque flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* oculis in fronte cohærentibus; abdomine nigro, nitidissimo, segmento 1:mo fascia cinerea;

*Fem.:* oculis in fronte modice remotis; abdomine subbreviore, nigro, subnitido, segmento 1:mo toto, reliquisque maculis lateralibus, cinereis; cauda inflexa, picea, aculeo rufescente; in copula.

Var. a. ♂♀. pedibus totis flavis.

Meig. Dipt. 4. 21. 5. t. 33. f. 21. ♂. (sed nervus longit. 2:dus justo brevior, & area angularis nimis ad marginem retracta). — Macq. Buff. 2. 12. 13. ♂.

Var. b. ♂ (in copula cum ♀ var. a.), pedibus flavis, femoribus in medio superne macula fusca.

Hab. in Suecia rarissime; marem unicum ad Lärketorp Ostrogothiæ, & utrumque sexum in copula junctum mens. Augusto ad Esperöd in parœcia Mellby Scaniæ semel, inveni.

♂♀. Antennis ovatis, pedibus flavis & stigmate fusco, a proxime præcedentibus in primis dignoscitur. Antennæ basi obscuræ, articulo ultimo fusco l. testaceo. Thoracis dorsum & scutellum in ♂ brunneo-nigra, in ♀ nigra; pleuræ in utroque sexu nigro-cinereæ. Abdomen in ♂ subænescenti nigrum, lucidum, 1:mo segmento margine cinereo; in ♀ paullo brevius, postice tantum nitidum, segmento 1:mo fere toto, reliquisque præsertim ad latera macula subtrigona, cinereis, ventre rufescente. Alæ cinereo-hyalinæ, certo situ iridicolores. Nervi longitudinales 3 & 4 in apice sat approximati. Segmentum costæ 2:dum seu stigmaticale dilute fuscum, & 3:tium æque longa; 4:tum seu ultimum duobus antecedentibus simul sumtis fere duplo longius. Pedes aut toti flavi, coxis basi fuscis, aut flavi, coxis, femorum annulo medio, tarsorumque apice, fuscis.

16. *P. varipes:* niger, nitidus; antennis ovatis, fuscis; fronte epistomateque argenteo-micantibus; metathorace abdominisque segmenti 1:mi margine, cinereis; alis hyalinis, stigmate fusco, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; halteribus pedibusque flavis, femoribus tibiisque fascia fusca. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas & Femina* ut in priori differunt; in copula.

Meig. Dipt. 4. 21. 6. ♂.

Hab. in Scandinavia, 24 Jun.—8 Jul., rarius; in copula bis deprehensus; scilicet in Scania ad Esperöd in parœcia Tranås; in Gottlandia ad Fardhem; in Norvegia ad Thynæs & Garnæs Værdaliæ; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Simillimus præcedenti, & vix nisi pedum pictura differt. Antennæ nigræ, articulo ultimo l. obscuro, l. fusco l. denique testaceo. *Mas:* supra totus obscure æneus, nitidissimus, metathorace & abdominis 1:mo 2:doque segmentis margine, cinereis; *femina:* supra tota nigra, nitida, thoracis limbo anguste, metathorace, abdominis segmenti 1:mi margine reliquisque maculis lateralibus subtrigonis, cinereis. Alæ in utroque sexu ut in priori. Pedes flavi, coxis basi nigris, femoribus fascia plus minus lata, tibiisque annulo medio plus minus obsoleto, nigricantibus l. fuscis. Pulvilli & ungves pallidi, hi apice nigri. Cauda ♀ inflexa atra, nitida, aculeo rufo.

17. *P. vittipes:* nigro-fuscus, nitidus; antennis ovatis, nigris, apice acuto albido; fronte epistomateque argenteis; abdomine nigro, segmento 1:mo fere toto, reliquisque maculis lateralibus, cinereis; alis hyalinis, stigmate obscuro, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio

apici auxiliaris opposito; halteribus pedibusque flavis, coxis basi, femoribus superne vitta longitudinali, tarsorumque apice, nigro-fuscis. ♂♀. (Long. 1 $\frac{1}{2}$ lin.).

*Pip. annulipes* Zett. Ins. Lapp. 580. 7. (specimen lapponicum ad Stensele).

Hab. in Suecia boreali, 4—30 Jul., rarissime; scilicet in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet utrumque sexum, & in Lapponia Umensi ad Stensele, unam feminam inveni.

♂♀. Simillimus iterum duobus proxime præcedentibus, sed thoracis disco dorsali olivaceo, stigmate paullo obscuriore & pedum pictura, distinctus. Antennæ parvæ nigræ, apice subacuto albo-micantes. Epistoma & frons angusta, argentea, vertice atro. Pleuræ & metathorax cinerea. Alæ ut in priori. Pedes flavi, coxis ad medium, femoribus superne a basi ultra medium vitta basi latiori, apice longe acuminata, tarsorumque articulo ultimo, fusco-nigris. Abdomen subcylindricum, nigrum, nitidum, in ♂ segmento 1:mo margine late, reliquisque macula laterali inferne parva, cinereis; in ♀ segmento 1:mo fere toto; reliquisque macula laterali, cinereis, cauda inflexa parva, nigra, aculeo recto ferrugineo. Thoracis limbus in ♀ cinereus.

18. *P. fascipes:* opacus, supra olivaceus; antennis acuminatis, fuscis, apice albis; fronte supra antennas epistomateque argenteis; pleuris, metathorace, abdominis 1:mi segmenti margine, reliquisque maculis lateralibus, cinerascentibus; alis hyalinis, stigmate fusco, nervo long. 4:to inter transversum & apicem subrecto, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; halteribus fuscis, coxis, femoribus in medio latissime, tarsorumque apice, nigris. ♂. (Long. 1—1$\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime; circa Wadstena mens. Julio 2 specimina capta.

♂. Simillimus *P. fuscipedi* (5) & *fusculo* (7); sed a posteriori magnitudine nonnihil majore, stigmate segmentum costæ 2:dum totum implente, & ab utroque pedum trochanteribus, femoribus basi apiceque anguste, tibiis totis tarsorumque articulis 4 primis, flavis. Nervi: transversus posticus apici nervi longitudinalis 2:di præcise oppositus; reliqui omnino ut in *P. fuscipede* directi. Alterum individiuum juvenile videtur, nam abdominis segmenta 1—4 basalia subrufescenti cinerea, & anus piceus deprehenduntur.

19. *P. ruralis:* nigro-fuscus, opacus (♂), aut niger, nitidus (♀); fronte epistomateque argenteis; pleuris abdominisque segmenti 1:mi margine, cinereis; alis hyalinis, stigmate halteribusque fuscis; pedibus fuscis, femoribus nigricantibus, genubus flavis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 22. 8. ♂♀. Macq. Buff. 2. 11. 10. ♂♀.

Hab. in Ostrogothia, teste D. *Wahlberg;* in Dania mens. Jun., D. *Staeger;* mihi in Scandinavia haud obvius.

♂♀. Species Meigeni genuina mihi non rite cognita, nisi inter specimina *P. fuscipedis* (n:o 5) occurrit & latet. Sed tamen in variis differre videntur hæ duæ species, ut ex comparatione pateat. Cum vero neque *Meigen*, neque *Macquart* de antennarum structura coloreque, nec de nervorum directione in alis, in hoc genere valde necessaria nota ad species dignoscendas, aliquid afferunt, dubium de identitate *fuscipedis* & *ruralis* semper manet. *Mas:* abdomine nigro-fusco, opaco, ano nitido, nigro; & *femina:* abdomine nitido, nigro, in *P. rurali* instructi erunt secundum *Meigen* l. c.

20. *P. obtusinervis:* opacus, supra olivaceus; antennis acuminatis fuscis, apice albis; fronte supra antennas epistomateque argenteis; pleuris, metathorace abdominisque 1:mi segmenti margine, cinerascentibus; alis hyalinis, stigmate fusco, nervo long. 4:to valde obtuse

angulato, inter transversum & apicem subflexo; nervulis transversis medio apici auxiliaris præcise opposito, postico ante apicem longitudinalis 2:di elongati paullo ducto; halteribus pedibusque flavis, coxis, femorum medio late, tibiarum annulo medio, tarsorumque apice, nigris. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; in Suecia meridionali semel inventus.

♂. Valde iterum similis *P. fascipedi* (18), sed nervi longitud. 4:ti angulo paullo magis obtuso (hinc transitus ad sequentem præparatur), nervo hoc 4:to inter transversum posticum & apicem nonnihil longiore, nervulo transverso postico paullo ante apicem nervi longit. 2:di ducto, nec præcise opposito, area angulari fere in summum marginem descendente, halteribus flavis, nec fuscis, abdomine forte nonnihil angustiore, & annulo tibiarum in medio nigro, nec tibiis totis flavis, distinctus.

21. *P. opacus:* opacus, cinerascens; antennis ovatis, fuscis; capite nigro, epistomate argenteo-micante; abdomine atro (♂), aut cinereo (♀); alis hyalinis, stigmate fusco, nervo long. 1:to leviter arcuato; nervulis transversis: medio apici auxiliaris subopposito, postico ante apicem longitudinalis 2:di elongati paullo ducto; halteribus pedibusque fuscis, geniculis summis tarsisque albidis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 359. 13? Macq. Buff. 2. 11. 11? *Cephalops* Fall. Syrph. 15. 2. ♂. (specimen nostræ descriptionis typicum.).

Hab. in Suecia media rarissime; ad Lärketorp Ostrogothiæ ante plures annos unicum marem unicamque feminam deprehendi. Individuum masculum in Blekingia a D. *Aspegren* olim captum, etiam vidi.

♂♀. Pusillus. ♂ niger, ♀ cinerea. Antennæ minutæ, ovatæ, parum acutæ, fuscæ, apice albicantes. Epistoma valde angustum. Alæ ut in priori, sed nervi long. 4:ti angulus ad nervum transversum posticum fere adhuc obtusior, ita ut hic nervus 4:tus leviter tantum arcuatus ad apicem ducitur. Fuscedo stigmatis non usque ad apicem nervi auxiliaris extenditur, fere ut in *P. fusculo* (7). Nervi transversi: medius non præcise apici auxiliaris oppositus, sed paullulum pone apicem ductus; posticus vero nonnihil ante apicem nervi long. 2:di situs. Segmentum costæ 2:dum seu stigmaticale 1:mo duplo saltem brevius, at 3:tio circiter dimidio longius; 3:tium iterum 4:to s. ultimo duplo brevius. Pedes fusci, geniculis puncto pallido, & tarsis albidis. Feminæ cauda nigra, aculeo incurvo, rufo. — Nostra species cum *Falleni* certe identica, a *Meigeni* & *Macquarti* in variis discrepat.

*Obs. Pip. annulipes* Zett. Ins. Lapp. 580. 7. deleatur, specimina enim l. c. descripta partim ad *P. fulvipedem* (14), & partim ad *vittipedem* (17) rectius referenda.

b.) corpore piloso.

22. *P. pilosus:* niger, pilosus, opacus; antennis ovatis, albo-micantibus; fronte supra antennas epistomateque argenteis; alis hyalinis, stigmate fusco; nervo long. 4:to inter transversum & apicem subflexo, 2:do elongato; nervulo transverso medio apici auxiliaris opposito; halteribus fuscis l. albis; pedibus fuscis, geniculis tarsisque albidis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* totus ater & distincte nigro-pilosus; oculis in fronte cohærentibus; pleuris, metathorace abdominisque maculis lateralibus, cinerascentibus; halteribus aut nigris, petiolo pallido, aut, ut in individuo Dovreensi, totis pallidis;

*Fem.:* obscure cinerea, parum pilosa; fronte angusta, cinerea, antice argentea; halteribus pallidis; cauda inflexa nigra, aculeo incurvo ferrugineo; in copula.

122

Zett. Ins. Lapp. 579. 2. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ mediæ & borealis graminosis & foliis fruticum, mense Julio, rarius; in copula; scilicet in Ostrog. ad Gusum; D. *Wahlberg*; in Dalecarlia rarissime; in Norvegia: in alpe Dovre 1832, D. *Boheman*, ad Björkvik Nordlandiæ 1821, ipse.

♂♀. Antennæ nigræ, articulo ultimo ovato, parum acuto, fusco, superne albo-micante. Epistoma modice latum (fronte tamen feminæ latius). Instrumenta cibaria flava. Segmentum costæ 1:mum fere ad medium extenditur, 2:dum duplo & ultra brevius, 3:tium antecedente dimidium fere brevius, & 4:tum 3:tio duplo longius. Nervus transversus posticus ante apicem nervi long. 4:ti ductus. Area angularis non ad marginem retracta. Pedes fusci l. obscuri, tenuiter fusco-pilosi, geniculis albis, tarsis sordide albidis aut fuscis.

*Sect.* 2. Areæ alarum discoidales nullæ. Antennæ rotundatæ. *Atelenevra* Macq.

23. *P. spurius:* pilosulus; opacus, ater holosericeus (♂), aut nigricans (♀); alis fusco-hyalinis; halteribus fuscis (♂), aut pallidis (♀); pedibus nigricantibus. ♂♀. (Long. 1 lin.).

*Mas:* ater holosericeus, halteribus fuscis;

*Fem.*: parum pilosa, nigricans; halteribus pallidis; cauda inflexa parva nigra, aculeo incurvo rufo; in copula.

Var. a. ♂♀. pedibus nigris aut fuscis.

Meig. Dipt. 4. 24. 11. t. 33. f. 21. ♂. Zett. Ins. Lapp. 580. 8. ♂♀. *Cephalops* Fall. Syrph. 16. 3. ♂ (exclus. ♀). — *Atelenevra velutina* Macq. Buff. 12. 1.

Var. b. ♂♀. pedibus aut totis flavis, aut femoribus nigris; ♀ etiam in copula cum var. a. ♂ deprehensa.

*Cephal. spurius* var. *β.* Fall. l. c. *Pip. obscurus* Zett. Ins. Lapp. 580. 9. ♀ (immerito ut ♂ descripta).

Hab. in graminosis & foliis fruticum Betulæ, Carpini &c., per Scandinaviam, 18 April.—20 Aug., vulgaris, præsertim ♂ frequens; in copula aliquoties captus; scilicet var. a. in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia (in Thorsborg, Nàhr & Lummelunda), Nericia, Uplandia (ad Holmiam, D. *Wahlberg*), usque ad Jemtlandiam ad Faubyn & Grimnäs, ubique frequens; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Lycksele, Stensele & Stöttingsfjellet, haud raro; in Norvegia passim ex. gr. ad Levanger, ut & ad Björkvik Nordlandiæ; in Dania D. *Dahlbom.*

Var. b. cum var. a. deprehenditur, sed multo rarius.

♂♀. Parvus. Antennæ nigræ aut fuscæ, superne albo-micantes. Rima frontalis angustissima nigra, antice argentea. Epistoma angustum, nigrum, certo situ albo-micans. Oculi rufi, juxta frontem profundius facietati. Abdomen subdepressum, opacum, ano subnitido. Alæ fusco-hyalinæ, stigmate abbreviatim obscuro. Nervulus transvers. medius paullo ante apicem auxiliaris situs. Nervi long. 4:ti vix vestigium. Area angularis incompleta, nervo scilicet interiori fere deficiente l. tantum rudimentario. Segmentum costæ 1:mum vix ad medium ducitur; 2:dum duplo brevius; 3:tium antecedente triplo brevius; 4:tum 3:tio iterum duplo longius. Pedes in ♂ plerumque toti nigri; in ♀ fusci l. plerumque albidi, femoribus tibiarumque annulo, nigris l. fuscis. — Sed variat color pedum. — In individuis detritis feminarum corpus cinerascens, subnitidum.

*Obs. Pip. holosericeus* Meig. 4. 24. 12: "ater holosericeus, femoribus nigris, tibiis tarsisque rufo-micantibus, facietatibus oculorum juxta frontem majoribus" forte inter specimina variantia *Pip. spurii* mihi, latet?

## 102. OESTRUS Linn.

*Corpus* magnum, oblongo-ovatum, hirtum (in *Oestr. Ovis* glabriculum). Antennæ foveis sub frontis antico insertæ, brevissimæ, articulis 1 & 2 parvis, ultimo subgloboso, seta nuda. Oculi non magni, ovales, in utroque sexu late remoti, nudi, ferruginei, unicolores. Os clausum (tuberculis 3 parvis loco oris). Ocelli 3 in vertice. Abdomen 4—5-annulatum. Alæ divaricatæ. Nervus longit. 4:tus pone transversum ordinarium obliquum angulatim l. arcuatim flexus plerumque in costam ante apicem alæ excurrit, ibique cum nervo costali cessante conjungitur. Nervulus transversus medius apici auxiliaris sæpissime oppositus. Area angularis nulla, sed loco ejus nervus obliteratus, abbreviatus versus marginem tendit. Squama sub alis duplex, inferior magna fornicata, halteres obtegit. Pedes validi, hirti. *Color* corporis niger; hirsutie varie colorata *Syrphum* majorem l. *Bombum* minorem mentientes. *Motu* celerrimus. *Volatus* rapidissimus sæpe altus & longus, continuus. *Habitatio larvarum* incrassatarum in pecoribus, modo sub cute, modo in intestinis, vel capite; segmentis 11 sæpe spinuloso-annulatis aut scabris; *pupæ* brunneæ in terra 4—6 hebdomat. sepultæ, segmentis æque spinuloso-annulatis; *imagines* Tarandos & Boves circumvolant, terræ ipsi sæpe insidentes, in provinciis borealibus frequenter obviæ, sed vix nisi tempore calido soleque sereno sub brevi vittæ curriculo vigentes & observandæ. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, genitale brevi, inflexo; *femina:* vagina articulata, sæpe longe erumpente, & oculis interdum latius remotis. (Cfr. etiam *die Oestraciden* a Prof. *Schwab.* München 1840).

*Subd.* 1. Alarum nervus longit. 4:tus ab angulo ad costam perspicuus. Oviductus ♀ brevis, sub ano retractus. Larvæ in sinu frontali mammalium versantes.

1. *Oe. Ovis:* parum pubescens, griseo-cinereus, fusco-adspersus; pedibus pallidis; alarum nervo long. 4:to ad 3:tium apice leviter flexum curvato. ♂♀. (Long. 4 lin.).

*Mas*: oculis subexsertis, versus verticem nonnihil approximantibus;

*Fem.*: oculis paullo minoribus, subdepressis, in fronte latissime & subæque remotis.

Linn. Fn. Su. 1731. Fabr. Antl. 230. 10. Schrank Austr. 843. Modeer Act. Holm. 1786 p. 125. Svensk Zoologi 1. 23. Fall. Hæmatomyz. 9. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 165. 1. ♂♀. t. 38. f. 16. ♀. — Schwab. Oestrac. 51. Dahlb. Skand. Ins. 310. 210. *Cephalemyia* Macq. Buff. 2. 51. 1. ♂♀. — Suecis: *Nosmask. Fårstyng.*

Hab. imagines in rimis parietum argillacearum extra domicilia Ovium, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 23 Jul.—24 Sept., passim; scilicet in Scania sat vulgaris; in Smolandia; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum, minus frequens; in Ölandia ad Ottenby &c. haud raro; in Hafnia, D. *Westermann*. Femina ovipara 30 Aug. Larvas ex ovis nuper egressas, vix $\frac{1}{4}$ lin. longas, apodas, 11-annulatas, albas, pellucidas, tentaculis (hamulis) capitis 2 nigris, vidi. Ova in margine interiori narium Ovium deponuntur.

♂♀. Magnitudo & statura fere *Syrphi Arbustorum.* Corpus subcylindricum. Antennæ in fovea simplici insertæ. Caput buccatum flavidum, articulo antennarum ultimo, & frontis utrinque foveolis, nigris. Thorax supra obscurus, scabropunctatus. Scutellum flavidum, punctis elevatis, scabris, nigris. Abdomen in fundo canum, maculis irregularibus & punctis fuscis variegatum. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi longitudinales: 3:tius sat procul ab apice alæ in costam excurrit, 4:tus versus 3:tium curvatur, 5:tus fere ad marginem obsolete producitur. Nervuli transversi: ordinarius 1. posticus obliquus & leviter flexus, anticus (medius) brevis, perpendicularis, apici auxiliaris oppositus, niger. Nervus costalis pallidus, punctis minutis nigris. Segmentum costæ 1:mum (cfr. nota sub *Nephrocero*, gen. 100) fere ad medium

extensum, 2:dum brevissimum, 3:tium antecedente duplo longius, 4:tum longitudine 2:di. Squamæ albæ. Halteres testacei. Pedes flavidi, femoribus basi sæpe infuscatis. Tarsi spinulosi, metatarso articulo sequente duplo longiore.

2. *Oe. Trompe:* flavo-hirtus, thoracis fascia media pedibusque nigris; alarum nervo long. 4:to ad costam angulatim flexo. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Modeer Act. Holm. 1786. Fabr. Antl. 229. 6. Panz. Fn. 107. f. 20. Fischer Dissert. Cont. 2. 78. 3. Fall. Hæmat. 10. 2. Meig. Dipt. 4. 170. 5. Læstad. Journal 1831. p. 447. Zett. Iter Lappon. 1821. P. 2. p. 39. & Ins. Lapp. 622. 1. *Cephenemyia* Macq. Buff. 2. 50. 1. — Lapponibus Fennicis: *Klupuperä;* Lapponib. meridionalibus: *Snörp;* Fennonibus: *Saulakat* (larvæ); Lapponibus: *Sadgim* (larvæ). — (Specimina sub nomine *Oestr. stimulator* Meig. e Silesia a D. *Zeller* etiam obtinui quæ nostræ speciei simillima).

Hab. larvæ in sinubus frontalibus & fauce ad radicem linguæ Tarandi; pupæ in terra; imagines mense Julio proveniunt. In Norvegia septentrionali ut in Nordlandia & Finmarkia, præsertim ad radicem montis subalpini Skaaddavaara initio mensis Aug. legi. (Quoad specimina Reinerzensia conferatur D. *Zelleri* observatio in Actis Sedinensibus 1841. p. 181 not.).

♂♀. Late ovatus. Niger, hirsutie (in bene conservatis) capitis, thoracis, scutelli abdominisque griseo-flava, in abdominis rotundati basi minus crebra. Proboscis & palpi, minuta. Antennæ foveæ simplici insertæ, articulo ultimo compresso, basi seta dorsali. Fascia thoracis nigra. Alæ hyalinæ, nervis obscuris; ima basi nigræ. Nervus longitudinalis 4:tus angulatim flexus (nervulo appendiceo sub angulo fere ut in *Tachina grossa)* excurrit in costam, ubi area paullo aperta. Nervuli transversi: ordinarius flexus, medius

infuscatus perpendicularis, paullo pone apicem nervi auxiliaris situs. Segmentum costæ 1:mum non usque ad medium costæ extensum, 2:dum duplo & ultra brevius, 3:tium antecedente nonnihil longius, 4:tum 3:tio duplo brevius, 5:tum (quod ex apertura areæ efficitur) 4:to triplo brevius. Squamæ albæ. Pedes nigri. — Frons nigra, ad latera nigro-, in medio flavido-hirta, in quibusdam individuis latissima, quæ feminea puto, in aliis antice lata, posterius nonnihil angusta, quæ mascula existimo.

*Subd.* 2. Alarum nervus long. 4:tus ab angulo ad costam obsoletus. *Mas:* ano obtuso, inflexo, oculis modice remotis, versus verticem paullo propioribus: *femina:* ano acutiori, vagina articulata subexserta, oculis in fronte latissime & subæque remotis. Larvæ sub cute mammalium degentes. *Oedemagena* Macq.

3. *Oe. Tarandi:* flavo-hirtus, fronte, thoracisque fascia postica lata, nigro-hirsutis; abdomine fulvo-villoso, basi pallido; tibiis tarsisque testaceis; alarum nervo 4:to ab angulo ad costam arcuatim flexo. ♂♀. (Long. 6 lin.).

Linn. Fn. Su. 1731. Modeer Act. Holm. 1786 p. 136. Fabr. Antl. 229. 5. Fall. Hæmat. 10. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 169. 3. ♂♀. t. 38. f. 15. ♀. Læstad. Journal 1831. p. 447. Zett. It. Lapp. 1821. P. 2. p. 39. 40. & Ins. Lapp. 622. 2. ♂♀. Dahlb. Skand. Ins. p. 311. 211. *Oedemagena* Clark. Act. Soc. Linn. Oestr. Tab. 2. fig. 13.—14. Macq. Buff. 2. 49. 1. ♂♀. Fennonibus: *Parma;* Lapponicis: *Spetha* (imago), *Kurbma* s. *Kurbmut* (larva); Suecis: *Renstyng.*

Hab. per omnes Lapponias, ubi Tarandi pascuntur, usque ad Öfver-Torneå Botniæ borealis descendens. Larvæ obovatæ, multiannulatæ, obscure brunneæ, in dorso & lateribus Tarandorum in primis juniorum, per totam

hiemem sub cute commorantes, diebus canicularibus prodientes. Pupæ in terra & sub lapidibus degunt. Imagines circumvolant Rangiferos, eorum hostes. Ad Talvig Finmarkiæ Norvegicæ, atque in alpibus Gamst-tind & Skaaddavaara, ut & in ipso alpium Tornensium jugo, 30 Jul.—10 Aug., præsertim legi.

♂♀. *Oestr. Trompe* paullo longior, at fere angustior, *Bombum* minorem referens. Flavescenti hirtus. Frons atra & atro-villosa. Antennæ foveæ biloculari insertæ, nigræ. Epistoma flavum & dense flavo-villosum, rarissime nigrohirtum. Proboscis nulla. Palpi 2. Oculi (in vivo) æneescenti violacei. Thorax fascia nigra inter alas. Anus in ♂ hamulis 2 incurvis, intra quos genitale; in ♀ vagina subcompressa, 6-articulata, nigra, sæpe longe erumpente. Alæ cinereo-hyalinæ, nervulo transverso medio fuscedine cincto. Nervus long. 4:tus inter transversum & costam levissime arcuatim flexus, pallidus, rudimentarius. Segmenta costæ fere ut in *Trompe*. Squamæ albæ. Halteres fusci. Pedes nigri, femoribus postice pallido-hirtis, tibiis tarsisque testaceis, griseo-hirtis. Ungves nigri & pulvilli fusci, utrique magni.

4. *Oe. Bovis:* flavo-hirtus, fasciis, thoracis postica, abdominisque media, latis nigris; ano fulvo-villoso; pedibus nigris, subtus griseo-pilosis, tibiarum apice tarsisque testaceis; alarum nervo 4:to ab angulo ad costam subrecto. ♂♀. (Long. 4— fere 5 lin.).

Modeer Act. Holm. 1786 p. 148. De Geer Ins. 6. 297. t. 15. f. 22. Fabr. Antl. 228. 3. Svensk Zoologi. 4. Fall. Hæmat. 11. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 167. 2. ♂♀. — Dahlb. Skand. Ins. p. 312. 212. Zett. Ins. Lapp. 623. 3. ♂♀. Schwab Oestrac. p. 43. ♂. *Hypoderma* Clark. Act. Soc. Linn. Oestr. T. 2. f. 8. 9. Macq. Buff. 2. 48. 1. Suecis: *Nötstyng*, *Krokhumla;* Norwegis: *Wärreflue* s. *Kuewärre* & *Buwärre.*

Hab. per totam Scandinaviam, vulgaris. Larva apoda, rugosa, brunnea, intra cutem boum, ulcera caussans. Imago bestias præsertim juniores infestat, 3 Jun.—14 Aug. obvia. In viis arenosis Scaniæ sæpe vidi. — In Blekingia, Gottlandia, Ostrogothia, Westrogothia, haud raro capta; in Jemtlandia usque ad Skalstugan, raro. In Lapponia Norvegica uterque sexus a D. *Boheman* lectus. (E Berolino 1840, D. *Bökman).*

♂♀. Priori paullo minor. Pallide flavo- seu sordide albido-hirtus. Frons grisea. Antennæ foveæ biloculari insertæ, nitidæ, fuscæ l. testaceæ. Epistoma ut in priori. Palpi & proboscis subdeficientia. Thorax dorso trisulcatus. Organa sexus ut in priori. Alæ sordide albæ, nervis pallidis, costalibus fuscis. Nervi: 4:tus inter angulum & costam subobsoletus, rectus; transversus ordinarius etiam subobsoletus, nonnihil flexus. Præterea segmenta costæ fere ut in *Oe. Tarandi.* Squamæ albæ. Halteres fusci. Tibiæ obsbure testaceæ. Tarsi albidi, nigro-spinulosi, ungvibus pulvillisque magnis.

*Obs.* Sub hac specie sine dubio latet *Oe. hæmorrhoidalis* Linn. Fn. Su. 1733, diagnos., nulla vero habita ratione ad verba: "habitat in recto ani Equorum". Cfr. *Modeer* l. c. p. 149.

---

## 103. GASTRUS Meig.

*Corpus* majoris magnitudinis, oblongum, hirtum. Antennæ foveæ sub frontis antico insertæ, brevissimæ, articulis 1 & 2 parvis, ultimo rotundato, compresso, seta dorsali nuda. Cavitas oralis nulla. Os tuberculis 2 parvis (palpis?). Oculi, ocelli & abdomen ut in *Oestro.* Alæ incumbentes. Nervus long. 4:tus rectus longe pone apicem alæ in marginem excurrit. Nervuli transversi: medius & ordinarius sæpe quasi in eadem linea perpendiculari apici nervi auxiliaris fere

opponuntur. Nervus long. 3:tius in costam ante apicem alæ recta ducitur. Area angularis nulla. Squamæ mediocres, ciliatæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, hirti. *Color* hirsutiei griseo-ferrugineus, parum varius. *Motus* celer. *Volatus* velox. *Habitatio*, larvarum in ventriculo mammalium; puparum in terra; imaginum in pratis & pascuis, equos, boves &c. infestantium. *Differentia sexus; mas:* oculis modice distantibus, ano brevi, incurvo; *femina:* oculis latissime remotis, cauda crassa, longe inflexa.

A. Alæ albido-hyalinæ, fusco-maculatæ.

1. *G. Equi:* ferrugineus, griseo-hirtus, thoracis cingulo alarumque fascia media & maculis duabus apicalibus, fuscis. ♂♀. (Long. 5 lin.).

Meig. Dipt. 4. 75. 1. ♂♀. t. 38. f. 21. ♂. 28. ♀. Zett. Ins. Lapp. 623. 1. ♂♀. *Oestrus* Fabr. Antl. 228. 4. Fall. Hæmat. 13. 8. ♂♀. Svensk Zool. 4. — Dahlb. Skand. Ins. 313. 213. fig. 22. — Macq. Buff. 2. 52. 1. ♂♀. *Oe. Bovis* Linn. Fn. 1730. *Oe. intestinalis* De Geer Ins. 6. 291. t. 15. f. 16. *Oe. hæmorrhoidalis* Modeer Act. Holm. 1786. p. 140. *Oestr. gastricus major* Schwab. Oestrac. p. 31. — Frisch Ins. 5. p. 21. t. 7.

Var. b. ♂. duplo minor, oculis brunneis, nec glaucis. Exclus. in Scania 8 Sept.

Hab. in Scandinavia temperata, 10 Jul.—2 Sept., var. a. vulgaris; scilicet in Scania (ubi in summitate montis Stenshufvud minoris innumerum agmen d. 13 Aug., sole sereno, quasi examinantes & in aëre sub volatu copulantes observavi), Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia & Uplandia, frequens; deinde rarescit, & in provinciis magis borealibus non nisi parce occurrit. In Norvegia meridionali & Dania, haud raro. — Larva apoda, flavo-grisea, 8 lin.

longa (ad maturitatem proventa), ungvibus 2 corneis oris ventriculo Equorum adhæret. Ova nempe in crinibus genuum & abdominis laterum Equi a matre sub volatu deponuntur, deinde lingua equi excipiuntur, & cum cibo in ventriculum descendunt. Pupas oblongas, cylindricas, brunneas, in segmentis coronatas vidi, in terra, etiam in stercore equino captas. Larvæ mense Julio in pupas abeunt, quæ post 1 mensem excluduntur. Imagines femineæ Equos persequuntur.

♂♀. Corpus lividum s. ferrugineo-testaceum parcissime nigropictum, hirsutie flavo-grisea undique tectum. Antennæ pallidæ in fovea biloculari minus profunde insertæ, articulo 2:do superne fasciculo pilorum. Fascia thoracis media angusta, nigra. Abdomen pubescens. Alarum nervi pallidi, puncto ad basin nigro. Nervi transversi medius & ordinarius paullo pone apicem nervi auxiliaris ducti. Segmentum costæ 1:mum non usque ad medium extensum, 2:dum duplo brevius, 3:tium longitudine 2:di, 4:tum antecedente fere triplo brevius. Squamæ albæ & albo ciliatæ. Halteres testacei. Pedes pallidi. Anus incurvus, apice in ♂ laminis 2 corneis nigris, nitidis, conniventibus, intra quas genitale; cauda in ♀ longa, cylindrica, inflexa, nigra, nitida.

*Obs.* *Oe. ferruginatus*, alis obsoletissime maculatis, sub n:o 3 inveniendus.

B. Alæ subhyalinæ, immaculatæ (in *Oe. ferruginato* (3) obsoletissime maculatæ).

*) nervulo transverso ordinario deficiente.

2. *G. Pecorum:* niger, thorace abdominisque basi sordide luteo-hirtis; alis infuscatis, tibiis tarsisque pallidis. ♀. (Long. 5 lin.).

Meig. Dipt. 4. 176. 2. t. 38. f. 23. Zett. Ins. Lapp. 623. 2. ♀. *Oestrus* Fabr. Antl. 228. 2. Fall. Hæmat. 12. 5. ♀. Macq. Buff. 2. 53. 2.

Hab. in Lapponia, museo D. *Gyllenhali*, mihi nec in Lapponia, nec alibi in Scandinavia obvius. Larva in intestinis pecorum degit, teste *Fabricio*.

♀. "Magnitudo *Gastr. Equi*. Caput obscurum, vertice cinereo-hirto. Oculi oblongi, parvi. Thorax cum scutello dense cinereo- s. luteo-hirsutus, pectore nigro. Abdomen aterrimum, segmento basali luteo-hirto; ano incurvo, conico. Pedes nigri, tibiis tarsisque pallidis, breviter pilosis. Alæ subnigricantes, basi pallidiores. Nervi alarum similiter diriguntur atque ut in *Anthomyia;* at nervus transversus ordinarius deest? Squama haud magna, & margine distincte lanata". Fall. l. c.

*Obs.* 1. In figura *Meigeni* l. c. nervus transv. ordinarius adesse videtur; an rite delineatus?

*Obs.* 2. Individuum masculum *Gastri* cujusdam ex Uplandia a D. *Marklin* olim mecum communicatum fuit, cujus magnitudo, color, hirsuties & alia cum descsiptione supra data *G. Pecorum* haud male quadrant, præter quod femora omnia genubus albis & anteriora in nostro specimine subtus in medio fasciculo pilorum & dente magno nigro antrorsum incurvato gaudeant. Sed hoc exemplum, e pupa brunnea nitida, supra lævi, subtus in segmentis seriatim scabra, egrediendum, alas convolutas & vestitum illæsum obtinuit, unde determinatu difficile.

3. *G. ferruginatus:* ferrugineus, totus ferrugineo-flavo-hirtus; thorace postice fasciola brunnea; alis albidis, maculis fuscis obsoletissimis. ♂. (Long. vix 4 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in gramine prato arido ad Esperöd in parœcia Tranås Scaniæ d. 1 Aug. 1820 specimen descriptum inveni.

♂. *G. Jubarum* Meig. 4. 179. 7. affinis & similis videtur, & ejusdem speciei a me olim habitus; sed magnitudine minore, thoracis fascia postica brunnea, nec nigra, pectore non

nigro, alis levissime maculatis &c., forte distinctus. Antennæ foveæ simplici haud profunde insertæ, ferrugineæ, summo apice & seta obscurioribus; articulo 2:do distincte flavo-piloso. Epistema ferrugineum, flavo-villosum. Frons brunnea, posterius angustata, tota griseo-pilosa. Oculi majusculi, in vertice anguste remoti. Thorax supra niger, subtus ferrugineus, totus flavo villosus, fascia postica brunnea. Scutellum densè flavo-pilosum. Abdomen incurvum, ferrugineum, pilis nitidis flavis tectum, ventre parce fusco-piloso. Alæ subalbidæ, costa anguste, fascia media & macula apicali, fuscis, valde obsoletis. Nervi pallidi; transversi: ordinarius nullus, sed medius apici auxiliaris oppositus. Segmenta costæ ut in *G. Equi.* Squamæ albæ & albo-ciliatæ. Halteres fusco-testacei. Pedes ferruginei, flavo-hirti, femoribus basi subfuscis, ungvibus apice nigris.

**) nervulo transverso ordinario præsente.

†. Nervulus transv. ordinarius cum medio unam quasi lineam formans, apici nervi auxiliaris suboppositam.

4. *G. nasalis:* corpore nigro; capite ferrugineo thoraceque rufo-villosis; abdomine basi cano-, medio nigro-, postice flavo-hirto; pedibus brunneis, femoribus flavo-hirtis, tibiis ferrugineis, geniculis tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. vix 4 lin.).

Meig. Dipl. 4. 178. 5. Zett. Ins. Lapp. 624. 3. ♂♀. *Oestrus* Linn. Fn. Su. 1732. vix Modeer Act. Holm. 1786. p. 145? ♂♀. — Panz. Fn. 107. 21. Macq. Buff. 2. 51. 5. ♂♀. *Oe. veterinus* Fabr. Antl. 230. 8. Fall. Hæmat. 12. 6. ♂♀. certe.

Hab. in Suecia, 20 Jul.—10 Aug., rarius; scilicet in Scania in prato prope urbem Ystad, D. *A. Lundström*; in Ölandiæ paludosis ad Ottenby Alunbruk 1817, ipse; in Lapponia, D. a *Linnè*. — Larvas per nares intrantes,

in faucibus Equi, Cervi, Capreæ &c. habitare, contendunt auctores.

♂♀. Inter minores generis. Similis *G. ferruginato*. Caput cum antennis ferrugineum, rufo-villosum. Antennarum articulus 2:dus superne flavo-pilosus. Margo foveæ supra antennas albus, nitidus. Oculi in ♂ modice, in ♀ late remoti. Thorax & scutellum nigra, dense fulvo-hirta; in thoracis postico & scutello pilis aliquot obscuris præsertim in ♀. Abdomen atrum, segmentis 1 & 2 albido-hirtis, 3 nigro-, & reliquis, flavo-hirtis. Venter flavo-hirtus. Cauda ♀ ut in *G. Equi*. Alæ albidæ, immaculatæ, nervis costalibus saturate flavis. Præterea directio nervorum omnino ut in *G. Equi*. Squamæ albæ. Halteres pallidi, puncto fusco. Femora fusca, postice, & subtus flavo-villosa.

5. *G. salutaris:* corpore nigro; capite ferrugineo thoraceque rufo-villosis; abdomine basi cano-, medio nigro-, postice flavo-hirto; pedibus brunneis, femoribus nigro-hirtis, tibiis ferrugineis, geniculis tarsisque testaceis. ♂. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 4. 176. 3? ♂♀. *Oestrus* Clark, Tab. 1. f. 35—36. Numan, T. 6. f. 10, a & b.? Hertwig, T. 1. f. 34 & 35? *Oestr. duodenalis* Schwab. Oestrac. p. 35?

Hab. in Suecia rarissime; in Bahusia ad Quille specimen descriptum d. 4 Aug. a D. Prof. *B. F. Fries* captum mihique communicatum.

♂. Magnitudo, color, directio nervorum in alis & omnia ut præcedente, a quo non differt, nisi femoribus anterioribus postice & subtus dense & longe nigro-villosis. Alarum nervi albi, ad costam parum flavescentes. Thorax in nostro individuo postice tantum paucis pilis brunneis inter fulvos gaudet. Alæ etiam ad basin albidæ, tantum nervis ibi superne atris. Reliqua cum adumbratione *Meigeni & Schwabii* hujus speciei bene conveniunt.

6. *G. nigritus:* ater & atro-villosus; capite fusco; pectore antice abdominisque basi cano-hirtis; ano rufo-villoso; geniculis albis. ♂. (Long. 4½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania inter Lund & diversorium Kjeflinge 1837 a Cel. D. *Dahlbom* detectus. Larva in stercore equino 14 Jul. capta, in pupam obscure brunneam, segmentis ad incisuras coronatis d. 15 ejusdem mensis abiit, & imago declarata 18 Aug. ejusdem anni egressa.

♂. Habitu & fere pictura *Oestro Bovis* sat similis, sed præter nervorum directionem aliam differt quoque magnitudine nonnihil minore & thorace fere toto, scutelloque atris. Caput fusco-rufescens, nigro hirtum. Antennæ foveæ subsimplici insertæ, fuscæ. Margo foveæ supra antennas flavidus. Thorax totus atro-hirtus, pilis aliquot flavis l. albis in humeris & postice inter alas & scutellum atrum. Pleuræ macula albo-villosa. Abdomen atrum, segmentis 1 & 2 albido-villosis, 3 atro-hirto, reliquis fulvo-villosis. Alæ albidæ. Nervi toti albi, costalis obscurus. Nervuli transversi medius & ordinarius in eadem linea ducti apici nervi auxiliaris præcise oppositi. Præterea nervi ut in *G. nasali* directi. Squamæ albæ & albo-ciliatæ. Halterum clava fusca. Pedes nigri, femoribus postice nigro-hirtis. Summa flexura genuum alba. Tarsi fusci, pulvillis ungvibusque albidis, his apice nigris.

††. Nervuli transversi ordinarius & medius distantes.

7. *G. hæmorrhoidalis:* corpore nigro, capite subferrugineo, thorace antice scutelloque, sordide flavo-villosis; antennis femorumque basi fuscis; abdomine basi cano-, medio nigro-, postice fulvo-hirto; pedibus ferrugineis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 4. 177. 4. verus. ***Oestrus*** Fabr. Antl. 229. 7. (excl. forte syn. Linn.). — Fall. Hæmat. 13. 7. ♂♀. certe. — Macq. Buff. 2. 53. 4. ♂♀. Schwab Oestrac. p. 37. ***Oe. nasalis*** Modeer Act. Holm. 1786. p. 145. 4. forte.

Hab. in Suecia meridionali mense Julio rarius; in Scania ad Lund 1836, D. *Andr. Sjöbeck*, ad Abusa, ipse. — *Ova* in labiis aut naribus equorum deponuntur. *Larvæ* in intestinis equorum hospitantur.

Var. b. ♀. fronte atra & atro-villosa; macula supra antennas nigras lunata alba; epistomate albo & albo-pubescente. Ad Esperöd Scaniæ, D. *J. Pettersson* 1842 rarissime.

♂♀. *O. Bovis* habitu non dissimilis, sed paullo minor, angustior, pictura corporis minus determinata; nervis transversis remotis ab antecedentibus mox dignotus. Caput ferrugineum, flavo-hirtum, antennis foveæ subbiloculari insertis, fuscis. Oculi ♂ in vertice subappropinquantes, ♀ in fronte modice distantes. Thorax niger, flavido-hirtus, hirsutie postice fasciam nigram formante. Scutellum nigrum, flavo-hirtum. Abdomen nigrum, basi sæpe ferrugineum, hirsutie basi (segmentis 1 & 2) albida, medio (segmento 3) nigra, apice fulvo. Cauda ♀ nigra. Alæ albidæ, nervis albis, costali nigricante. Nervi transversi: medius apici auxiliaris oppositus, ordinarius paullo ante apicem longitudinalis 1:mi situs. Segmenta costæ fere ut in *G. Equi*. Squamæ albæ. Halteres pallidi. Pedes ferruginei l. flavi, coxis femorumque griseo-hirtorum basi, tarsorum annulis articuloque ultimo, fuscis. Ungves apice nigri. Femora in ♂ fere tota nigro-fusca.

# 104. PROSENA St. Farg. & Serv.

*Corpus* majoris magnitudinis, subcylindricum, pubescens & setosum, opacum. Antennæ incumbentes, longitudine canthi inferioris oculorum, subnudæ, articulis 1 & 2 brevissimis, 3 elongato, compresso, lineari, obtuso, basi seta dorsali undique plumata. Caput margaritaceum. Frons prominula, canaliculata, biseriatim setosa. Epistoma carinatum. Oculi mediocres, oblongi, in utroque sexu distantes, nudi, ferruginei, in viva æneo-micantes. Os mystacinum. Haustellum horizontaliter longe porrectum, basi geniculatum. Palpi parvi, breves, clavati, pilosuli. Thorax dorso antice sutura transversa. Abdomen 4-annulatum (præter segmenta analia parva, retracta). Alæ divaricatæ, hyalinæ; nervus long. 4:tus subrectangulatim flexus mox ante apicem alæ cum nervo costali ibi cessante & long. 3:tio fere in eodem puncto (area nempe apice anguste aperta) conjunctus. Nervi transversi: ordinarius a margine paullo remotus, levissime flexus; medius apici nervi auxiliaris suboppositus s. fere inter apicem nerv. auxiliaris & long. 1:mi ductus. Segmenta costæ (cfr. *Nephrocerus* gen. 100 in nota): 1 non ad medium extensum, 2 duplo brevius, 3 antecedente fere duplo longius, 4 3:tio nonnihil brevius. Squamæ duplicatæ, magnæ. Halteres tecti. Pedes elongati, simplices, spinosi. Tarsi, præter spinulas articulorum apicales, inermes, metatarsis articulo sequente duplo longioribus. Pulvilli & ungves non magni. *Color* cinerascens. *Motus* haud celer. *Habitatio* in foliis plantarum, in floribus mellificantes, minime pungentes. *Differentia sexus; mas:* oculis per frontem æque approximatis, setarum seriebus simplicibus, abdomine conico, lateribus diaphano; *femina:* oculis per frontem æque & modice remotis, setarum seriebus postice subduplicatis, abdomine ovato, non diaphano. Genus affine *Dexiæ*, haustello elongato absque labiis proboscidis perspicuis mox dignotum. — Meig. Dipt. 7. p. 276. 8. T. 73. f. 35—37. ♂♀.

1. *P. siberita:* cinerea, capite margaritaceo; antennis pedibusque flavis, tarsis nigris; abdominis segmentis basalibus 3 ad latera in ♂ flavo-subpellucidis. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Macq. Buff. 2. 208. 1. T. 15. f. 14. — *Stomoxys* Fabr. Antl. 280. 4. ♂. Fall. Hæmatomyz. 5. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 160. 2. ♂♀. T. 38. f. 2. ♂. *Stom. grisea* Fabr. Antl. 279. 2. ♀. — *Stom. irritans* Panz. Fn. 5. 21. ♀. (cum *St. calcitrante* ut videtur commixta).

Hab. in foliis & floribus Umbellatarum &c., truncis arborum viventium sæpe insidens, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 10 Jul.—20 Aug., vulgaris, in copula capta; scilicet in Scania frequens; in Smolandia passim; in Ostrogothia ex. gr. ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c.; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Bahusia rarius; in Dania circa Hafniam, D. D. *Fabricius* & *Staeger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg*).

♂♀. Cinerea, setis nigris. Caput albo-corneum, nitens. Antennæ & seta, flavæ. Canalicula frontis pallida, setis utrinque nigris armata. Mystaces serie simplici sub genis continuantur. Haustellum nigrum, basi palpisque flavis. Thorax cano-subpubescens, setis nigris sparsis; lineolis 4 fuscis quarum 2 mediis anticis, postice abbreviatis, & 2 lateralibus interruptis. Scutellum parce nigro-pubescens, apice indeterminate flavidum, setis nigris. Abdomen parce nigro-pubescens, segmentorum singulo margine apicali setis 5 l. 6 rigidis, nigris. Alæ cinereo-hyalinæ, nervo costali nigro, reliquis pallidis. Area angularis rudimentaria. Squamæ albæ & albo-ciliatæ. Halteres flavi. Pedes flavi, coxis basi cinereis. Tarsi nigri. Femora antica subtus una serie sat dense, posteriora & tibiæ omnes parce, nigro-setosa.

## 105. STOMOXYS Geoffr.

*Corpus* mediæ aut minoris magnitudinis, ovatum, pubescens, vix l. parum setulosum, opacum. Antennæ incumbentes, longitudine fere epistomatis impressi, articulis 1 brevissimo, 2 brevi setuloso, 3 elongato, compresso, lineari, obtuso, seta dorsali latere supero plumata. Caput albidum. Frons haud prominula, subplana, utrinque setulosa. Epistoma non prominulum. Oculi valde oblongi, infra antennas longe descendentes, nudi, ferruginei; in utroque sexu distantes. Os mystacinum, sed series setarum haud sub genis continuata. Haustellum horizontaliter porrectum, basi geniculatum. Palpi breves l. elongati; pilosuli. Thorax sutura transversa. Abdomen 4-annulatum, setis nullis. Alæ divaricatæ, hyalinæ; nervus long. 4:tus leviter arcuatim flexus, mox infra apicem alæ cum nervo costali ibi cessante conjunctus. Nervus long. 3:tius in apice alæ excurrit, unde area ibi latius aperta. Nervi transversi ut in *Prosena*.-Segmentum costæ 1 non ad medium extensum, 2 fere triplo brevius, 3 longitudine 1:mi, 4 longitudine 2:di. Squamæ mediocres. Halteres subtecti. Pedes mediocres, simplices, pubescentes. Metatarsi articulo sequente duplo longiores. Pulvilli & ungves parvi. *Color* cinerascens. *Motus* tardior. *Habitatio* in domibus; in parietibus sæpe tranquillæ sedentes; sangvisugæ. Larvæ coprophagæ. *Differentia sexus; mas*: oculis in fronte propioribus; *femiaa:* oculis sat late remotis, & abdomine sæpe tumido. — *Stomoxys* a *Musca* ut *Pangonia* a *Tabano*, aut *Orthochile* a *Dolichopo*, fere dignoscitur.

A. Palpi breves fere intra os occultati. Oculi in ♂ paullo distantes. Domesticæ. *Stomoxys* Macq.

1. *S. calcitrans:* cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque maculis triplici serie dispositis, nigricantibus; palpis brevibus flavis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Fabr. Antl. 280. 5. Fall. Hæmat. 6. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 160. 3. ♂♀. Macq. Buff. 2. 242. 1. Zett. Ins. Lapp. 221. 1. ♂♀. *Conops* Linn. Fn. Su. 1900. Schrank Austr. 990. *Stom. tessellata* Fabr. Antl. 281. 6. — Suecis: *Stick-fluga.*

Hab. in parietibus stabulorum, per totam Scandinaviam, a primo vere (mense Majo) usque ad serum autumnum (Novemb.), omnium vulgatissima; scilicet a Scania extrema usque ad Lapponiam supremam, iis nempe tractibus, ubi homines exstruxerunt domicilia & pecuariam faciunt; sangvinem mammalium hauriens, strenue pungens, præsertim instante pluvia. — Pupas in stercore equino recenti inveni, d. 25 Maj. excludendas. — In Norvegia & Dania æque frequens ac in Suecia.

♂♀. *Museæ domesticæ* habitu similis. Cinerea. Caput albonitens. Antennæ, vitta frontalis didyma, & haustellum, nigra. Palpi filiformes, flavi. Thoracis dorsi lineæ 4, scutelli punctum basale, abdominisque maculæ triplici serie dispositæ, fusca. Alæ hyalinæ. Squamæ & halteres, albida. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes, tibiis basi anguste pallidis.

B. Palpi elongati haustelli apicem fere attingentes. Oculi in ♂ fere cohærentes. Pratenses l. sylvaticæ. *Hæmatobia* Macq.

2. *S. stimulans:* cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque maculis triplici serie dispositis, nigricantibus; palpis elongatis, flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 161. 4. ♂♀. T. 38. f. 8. ♀. — Zett. Ins. Lapp. 621. 2. ♂♀. *Hæmatobia* Macq. Buff. 2. 243. 1. ♂♀. T. 16. f. 7. — *Sbomoxys irritans* Fabr. Antl. 281. 10. Fall. Hæmat. 7. 4. ♂♀.

Hab. in sylvis, pratis & pascuis, per Scandinaviam totam, tota æstate, æque ac præcedens vulgaris, pecora infestans eorum dorso insidens, flores rarius visitans, in copula sæpe deprehensa. E pupis cylindricis, nudis, rufo-testaceis, punctis in apice antico 2 nigris, ad Wittangi & Juckasjervi Lapponiæ Tornensis captis, 18 Jun. & 3 Jul. exclusa.

♂♀. Simillima priori, plerumque paullo minor, & palpis multo longioribus, subclavatis, alarum nervo transverso ordinario magis recto, ut & oculis in ♂ fronte cohærentibus, facile dignota. Lineæ thoracis laterales brunneæ interruptæ, in ♀ relictis tantum utrinque maculis 2. Maculæ abdominis fuscæ in serie media conicæ, in seriebus lateralibus rotundatæ; hæc vero pictura in segmentis 2 & 3 præsertim perspicua, in ceteris valde obsoleta. — Femora postica in ♀ testacea. Abdomen in junioribus basi quoque sæpe pallescit.

3. *S. irritans:* obscure cinerea, subimmaculata; palpis elongatis, nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 162. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 621. 3. ♂♀. *Conops* Linn. Fn. Su. 1901. *Hæmatobia* Macq. Buff. 2. 213. 3. ♂♀. *Stomox. pungens* Fabr. Antl. 282. 12. Fall. Hæmat. 7. 5. ♂♀.

Hab. in bovibus præsertim nigris, dorso insidens, per Scandinaviam meridionalem & mediam, Jun.—Aug., sæpe copiosissime, bobus molesta, sangvisuga; in copula; scilicet in Scania vulgatissima; in Ostrogothia ad Wadstena &c., passim; in Gottlandia ad Westö in Hall, Lausmyr &c.; in Nericia; deinde rarescit & in provinciis borealibus non nisi rarissime occurrit.

♂♀. Simillima iterum præcedenti, sed adhuc paullo minor, & corpore toto obscure cinereo, haud maculato, pubescente, antennis nonnihil brevioribus, palpis nigris, nervis trans-

versis: ordinario omnino recto, medio apici nervi longit. 1:mi præcise opposito, ut & oculis in fronte maris tantum approximatis, nec cohærentibus, vere distincta. Genicula pallida. Tibiæ & tarsi in juvenilibus sæpe etiam pallescunt. In illæsis thorax linearum fuscarum rudimento. — Synonymon *Linnæi* (Fn. Sv.) non certissimum propter brevitatem descriptionis. Parvitas corporis l. c. allata identitatem cum nostra affirmat, habitatio speciei nec tam longe, nec tam late, ac *S. stimulantis*, extensa, negat. — *Hæmatobia* (Stomox.) *tibialis* Macq., "griseo-fusca; pedibus fuscis: tibiis anterioribus rufis", parum a nostris speciminibus junioribus abludere videtur.

---

## 106. SIPHONA Meig.

*Corpus* minoris magnitudinis, ovatum, pubescens, rigide setosum, opacum. Antennæ incumbentes, longitudine epistomatis seu canthi inferioris oculorum, articulis basalibus parvis, ultimo elongato, lineari, apice suboblique obtuso, basi seta dorsali 3-articulata, nuda. Caput albidum. Frons haud prominula, subplana, subquadrifariam setosa. Oculi mediocres, ovati, in utroque sexu late distantes, nudi, obscure ferruginei. Os mystacinum. Genæ haud pilosæ. Haustellum horizontaliter longe porrectum, filiforme, basi medioque geniculatum. Palpi mediocres, subclavati, pilosuli. Thorax absque sutura transversa, lateribus & postice setosus. Scutellum setosum. Abdomen oblongum, segmentis 4, eorum singulo margine apicali setis 4—6 nigris. Alæ divaricatæ, hyalinæ. Nervus long. 4:tus subangulato-arcuatim flexus, in ipso apice alæ cum nervis costali ibi cessante & long. 3:tio in eodem fere puncto conjunctus. Nervi transversales: ordinarius rectus a margine alæ sat longe remotus, medius apici nervi auxiliaris oppositus. Area angularis nulla, sed loco illius nervus unicus ad marginem ductus. Nervus tertius long. basi setulis 5—6. Segmentum costæ 1:mum ad 3:tiam partem totius alæ extensum, brevissime

ciliatum s. serratum, basi setulosum, apice setulis 2 terminatum; 2:dum brevissimum, 3:tium longitudine 1 & 2 simul sumtorum, 4:tum 1:mo duplo brevius. Squamæ duplicatæ, inferiores magnæ, fornicatæ, marginatæ, vix ciliatæ, halteres supertegentes. Pedes mediocres parce setosi, tarsis inermibus articulo 1:mo sequente duplo longiore. Pulvilli & ungves minuti, nec ut in maribus Tachinariarum magni. *Color* griseus. *Motus* agilis: volatus sat celer, brevis. *Habitatio* in floribus & graminosis. *Larvæ* in pupis Noctuarum degunt. *Discrimen sexus* vix nisi antennis *maris* majoribus, abdomine nonnihil angustiore & ano obtusiore, quam in *femina*, externe detegendum. Articulus ultimus antennarum setæ in ♂ quoque brevior est, quam in ♀. Frons maris subbifariam, feminæ quadrifariam setosa.

1. S. *geniculata:* grisea, capite albido; antennarum basi, macula frontali, palpis, halteribus, pedibus, & in ♂ abdominis lateribus, testaceis; antennarum articulo ultimo, haustello tarsisque nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 620. 1. ♂♀. *Musca* De Geer Ins. 6. 38. 15. f. 19. 20. vera. *Stomoxys* Fall. Hæmat. 5. 2. ♂♀. certe. — *Stomoxys cristata* Fabr. Antl. 281. 9. ♂. *Stomox. minuta* Fabr. Antl. 282. 17. ♀. — *Siphon. tachinaria* Meig. 4. 156. 3.? (a qua Ejusdem *Siph. geniculata* & *cinerea* parum abludunt). Macq. Buff. 2. 94. 3. ♂♀. *Bucentes cinereus* Latr. Gen. 4. 339.

Hab. in graminosis & floribus, per totam Scandinaviam, 10 Maj.—26 Sept., vulgatissima, in copula multoties capta; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia atque Gottlandia, ubique frequentissima; in Nericia ad Öskevik, non rara; in Bahusia; in Jemtlandia ad Faxelfven &c. passim; in Lapponia Umensi ad Almsele, rarissime; in Nordlandia & Fin

markia Norvegica usque ad Bossekop, parce; in Dania haud infrequens. — E pupis cylindricis, nudis, ferrugineis imagines egressæ 10—24 Maj. — (Ad Eldena prope Gryphiam; & Jungfern-Heyde atque ad Moabite' prope Berolinum, utrumque sexum Jul. Sept. 1842 collegit mihique communicavit Cel. D. *Dahlbom).*

♂♀. Magnitudine variat. Caput albo-corneum. Frons supra antennas macula sordide rufescente. Antennæ rufæ, articulo ultimo cum seta atro. Mystaces pauci. Thorax griseus. Scutellum apice summo testaceum. Abdomen griseum, in ♂ lateribus plus minus late testaceo-diaphanis, in ♀ unicolor, in utroque sexu segmentorum margine apicali albido, & sæpe punctis 2 minutis atris in singulo segmentorum. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamæ albæ. Pedes cum coxis flavi, tarsis nigris.

Inter plures hujus varietates, quas partim ipse inveni partimque ab Amicis Entomologicis sub variis Auctorum nominibus, communicatas possideo, præcipue afferam.

Var. b. ♂. abdomine toto testaceo-diaphano. Ad Faxelfven Jemtlandiæ, cum var. a. 9 Aug. 1840. rar.

Var. c. ♂♀. similis var. a. paullo minor, antennis etiam basi obscuris. Scania, Ostrogothia & Holmia.

Var. d. ♂♀. similis var. a. abdomine aut toto (♀), aut apice (segmentis analibus 1 l. 2.) (♂♀) nigro nitido; in speciminibus sine dubio detritis. — *Siph. analis* Meig. 4. 157. 5. T. 37. f. 24. — In Scania & Ostrogothia, non raro, in copula cum var. a. aliquoties capta.

Var. e. ♂♀. similis etiam var. a, paullo minor, abdomine toto cinereo, segmentorum marginibus albis. Forte *Stom. minuta* Fabr. Antl. 282. 17. genuina. In Scania, Ostrogothia, Gottlandia &c. — Sub. nomine: *Siph. cinerea* Meig. e Dania quoque missa. (E Glogavia a D. *Zeller* quoque communicata).

Var. f. ♀. similis iterum var. a. abdominis 1:mo segmento testaceo-subpellucido. *Stom. cristata* Fabr. Antl. 281. 9. Scania, Ostrogothia.

---

## 107. ECHINOMYIA Dumeril.

*Corpus* magnum, crassum, ovatum, pubescens, setosum. Antennæ fronti prominenti insertæ, oblique deflexæ, longitudine canthi inferioris oculorum, articulo ultimo antecedente breviori, latiori, subquadrato, compresso, ante basin seta dorsali nuda, 3-articulata, articulo 2:do 1:mo longiori. Os mystacinum, margine antico reflexo. Palpi (in nostris) sæpissime filiformes. Facies ciliis vibrissisque nullis. Setæ frontales infra antennarum basin nonnihil descendunt. Oculi non magni, oblongi, in utroque sexu distantes, obscure ferruginei. Abdomen rotundato-ovatum, tantum ad incisuras rigide multisetosum, segmento anali postice sparse setoso. Alæ divaricatæ. Nervus long. 4:tus angulatim flexus, per nervulum subcurvum in costam ante apicem alæ excurrens; infra angulum vix continuatus. Nervi transversi: ordinarius a margine longe remotus, obliquus, flexus; medius paullo pone apicem auxiliaris ductus. Nervus long. 3:tius basi 2-4-setulosus. Segmentum costæ (cfr. *Nephrocerus* gen. 100): 1 non ad medium extensum, 2 1:mo duplo & ultra brevius, 3 antecedente duplo fere longius, 4 3:tio fere triplo brevius, 5:tum iterum 4:to fere triplo brevius. Squamæ duplicatæ, marginatæ, parum ciliatæ, inferiores magnæ halteres obtegentes. Pedes simplices, validi, spinosi, tarsorum articulo 1:mo sequente duplo longiori, reliquis subæqualibus. Ungves & pulvilli magni. *Color* niger l. nigricans. *Motu* agilissima, valde inqvieta. *Habitatio* in floribus, etiam in graminosis l. arenosis. Æstivalis. *Larvæ* in aliorum insectorum larvis præsertim Noctuarum parasitæ. *Differentia sexus; mas:* oculis modice remotis, antennarum articulo ultimo

subbreviore, latiore, fronte serie simplici utrinque setosa, ano obtusiore, hamulis 2 corneis inflexis, ungvibus pulvillisque majoribus, tarsis anticis simplicibus, a *femina:* oculis latius distantibus, antennarum articulo ultimo nonnihil longiore, fronte serie subduplici setosa, vagina anali brevi, articulata, sæpe recondita, tarsis anticis subdilatatis, dignoscitur. — Abdominis segmenta non in medio, sed tantum ad incisuram esse setosa, probe attendas ut *Echinomyiam* a *Tachinis* pluribus similibus distingvas.

A. Palpi filiformes, intra os suboccultati.

1. *E. grossa:* atra, capite alarumque basi flavis; antennarum articulis 1 & 2 ferrugineis; squamis fuscis; tibiis rufo-piceis. ♂♀. (Long. 5—6 lin. — lat. 3 lin.).

Latr. Gen. 4. p. 343. Macq. Buff. 2. 71. 1. t. 14. f. 1. *Musca* Linn. Fn. Su. 1837. De Geer Ins. 6. p. 21. Tab. 1. f. 1. Reaum. Ins. 4. t. 26. f. 10. Panz. Fn. 32. f. 21. (Ejusdem vero *Musca grossa* 10. 18 alia omnino species, ad *Tachin. Radicum* nobis potius forte referenda). — *Tachina* Fabr. Antl. 310. 7. Fall. Act. Holm. 1810. 261. 1. ♂♀. Dipt. Suec. Muscid. 3. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 239. 1.

Hab. in floribus pratensibus & sylvestribus, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 26 Jun.—28 Aug., passim; scilicet in Scania haud raro; in Smolandia; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Hagalund, Gusum &c., sat frequens; ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* in Ölandia, D. *B. F. Fries;* in Gottlandia ad Thorsborg, Ruthe &c.; in Helsingia ad Jerfsö, Arbrå &c.; in Dania, passim, D. *Staeger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Maxima nostratum; lata. Tota atra & atro-setosa. Caput flavum. Frons ochracea, vitta grisea. Barba occipitis pallida. Antennarum articulus 2:dus longissimus, ferrugineus, supra in medio setulosus; ultimus subquadratus, niger,

seta nigra. Series setarum nigrarum sub genis. Scutellum piceum. Abdomen late rotundatum. Alæ basi fulvæ, costa basi nigro-setosa. Squamæ fuscæ. Ungves rufi. Pulvilli albidi.

*Obs.* Feminam hujus speciei in copula cum mare *Echin. feræ* semel inveni.

2. *E. Marklini:* nigra, nitida; epistomate flavide albido; fronte cinerascente, vitta obscuriore; antennarum articulis 1 & 2 scutelloque ferrugineis; abdominis lateribus inæqualiter pellucido-rufis; alarum basi squamaque flavescentibus. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$—5 lin.).

*Tachina* Zett. Ins. Lapp. 634. 1. ♂♀.

Hab. in Scandinavia septentrionali, 22 Jul.— 28 Aug., minus frequens; scilicet in Lapponia sylvatica Umensi ad Lycksele, Wilhelmina & Frederica, passim; e Lapponia in Botniam descendit, & ad Öfver-Torneå, Haparanda, Luleå, Skellefteå atque Hernösand Ångermanniæ, rarius quoque deprehensa.

♂♀. Affinis & similis sequenti, sed paullo major, & corpore nigro, nitidissimo, abdominis vitta dorsali atra latiore, squamis flavis, pedibus totis atris &c., ab illa certe distincta; nec cohabitant. Caput cum antennis ut in præcedente constructum & setosum, sed oculi in ♂ multo propiores & antennarum articulus ultimus nonnihil longior. Caput postice flavo-villosum. Epistoma ad latera fusco-pubescens. Palpi flavi. Abdomen atrum segmentis aut plerumque 2, 3, aut 1, 2, 3, aut rarius 1, 2, 3 & 4 basi, lateribus pellucido-ferrugineis, relicta vitta media lyrata, atra. Segmentum 4:tum summo margine interdum etiam rufum. Ungves rufi. Pulvilli albidi.

*Obs.* Specimen femineum vidi, epistomate albidiore ad latera parum pubescente, & utrinque prope canthum inferiorem oculorum setis 2 distinctis nigris armato, scutello nigro, vix piceo, at abdominis lateribus latius rufis, dignotum;

forte propria species; ex unico vero exemplo, haud bene conservato, novam fingere nolui.

3. *E. fera:* nigra, nitida, epistomate flavide albido, ad latera nudo; fronte cinerascente, vitta media, antennarum articulis 1 & 2, scutello pedibusque rufo-ferrugineis; palpis alarumque basi flavis; squamis albis; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali subangusta, femoribusque basi late, nigris. ♂♀. (Long. circit. 4 lin.).

Macq. Buff. 2. 72. 5. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. 1836. Schrank Austr. 934. Vix Panz. Fn. 20. 18? *Tachina* Fabr. Antl. 308. 1. Fall. Act. Holm. 1810. 262. 2. Muscid. 3. 2. ♂♀. (sub qua vero plures species latent). Meig. Dipt. 4. 240. 3. ♂♀.

Hab. in Umbellatis, etiam in campis & viis, per Scandinaviam temperatam, 8 Jul.—5 Sept. vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Bjärsgård, Öfvedskloster, Esperöd &c., passim; in Smolandia; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Gusum &c., frequens; in Ölandia, D. *B. Fries;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Löfvik & Stråtjära; in Dania haud rara. (♀ e Glogavia sub nom. "*Tach. Virgo* Meig.?" missa).

♂♀. Similis priori, minor, & vitta frontali rufa, abdominis vitta dorsali nigra angustiori, squamis sub alis albidis, ut & pedibus fere totis ferrugineis, distincta. Frons bifariam setosa. Antennarum articulus 2:dus longissimus rufus, ultimus præsertim in ♂ latus, rotundato-quadratus, niger, interdum brunneus l. rufescens. Thorax niger, levissime cinerascenti micans, lineis obscurioribus parum perspicuis. Pleuræ rufo-maculatæ. Abdomen rufescenti flavo-pellucidum, vitta media atra in primi segmenti basi subdilatata; tota in ♂ angustata, ante anum abbreviata, in ♀ plerumque latiori, inæquali s. angulata, ad anum sæpe extensa, ibique interdum dilatata. Incisusæ certo situ leviter albo-micant. Nervi

flavi. Pedes in ♂ rufi, coxis femoribusque ultra medium indeterminate, nigris; in ♀ nigri, femoribus inprimis posticis apice, tibiis omnibus, tarsorumque posticorum articulis 2 basalibus, rufis. Genitale maris ferrugineum. Epistoma in ♂ & ♀ ad angulum inferiorem oculorum setis nullis.

Var. b. ♂♀. macula humerali & altera ad scutellum rufis. Ostrogothia. — Variant etiam ♂♀ tarsis apice obscuris.

*Obs.* Marem hujus speciei in copula cum femina *Echin. grossæ* junctum semel observavi. — Teste D. *Siebold* unica femina circiter 20,000 larvas parere valet.

4. *E. Virgo:* nigra, nitida, epistomate flavide albido, ad latera nudo; fronte grisea, vitta media, antennarum articulis 1 & 2, callo humerali, scutello pedibusque totis, rufo-ferrugineis; palpis alarumque basi flavis, squamis albis; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali modice lata, nigra. ♀. (Long. 4 lin.).

Macq. Buff. 2. 73. 9. *Tachina* Meig. Dipt. 4. 213. 6. ♀. *Tach. fera* var. β. Fall. Musc. 4. *Musca fera* Panz. Fn. 20. 18. videtur.

Hab. in Suecia meridionali, 30 Aug.—15 Sept., passim; scilicet in Scania circa Lund, ad Abusa & Fogelsång, 9 specimina inveni.

♀. A priori, cui simillima, tantum pedibus totis, præter coxas & trochanteres nigra, rufo-ferrugineis differt. Antennarum articulus 2:dus forte etiam nonnihil brevior est quam in *E. fera*. Frons obscure grisea. Antennarum articulus ultimus mediocris, rotundato-subquadratus, nigro-fuscus l. sæpe rufus, & tunc parum ab *Echin. ruficorni* Meig. Dipt. 7. 183. 9. abludere videtur. Thorax in fundo niger, levissime cinereo-micans; dorso obsolete nigro-lineatus, scapulis & lateribus usque ad scutellum rufus, pleuris rufo-maculatis. Abdomen rufo-testaceum, vittis nigris: dorsali mediocri, subangulata, ad summum anum non extensa;

ventrali angusta. Segmenta ultima in illæsis albo-micant. Alæ cinereo-hyalinæ, basi flavæ, nervis, longitudinali 4:to ab angulo ad apicem, & transverso ordinario flexo, fuscis. Epistoma ad angulum oculorum inferiorem nudum h. e. absque pubescentia & setis.

5. *E. magnicornis:* nigra, nitida, epistomate albido, ad latera nudo; fronte grisea, vitta media, antennarum articulis 1 & 2, scutello, tibiis tarsorumque basi, obscure ferrugineis; palpis alarumque basi flavis, squamis albis, antennarum articulo ultimo magno, cuneiformi, pedibusque, atris; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali modice lata, nigra. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

*Tach. fera* variet. Fall. Muscid. 4.

Hab. in floribus pratensibus præsertim Sueciæ mediæ, 2 Jul.—2 Aug., passim; in copula; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena, Omberg &c., haud rara; in Gottlandia ad Gothem, Rohne, Storugns, Fårön &c., frequens. (Sub nomine: "*Tach. Virgo* ut videtur" e Glogavia a D. *Zeller* mas communicatus).

♂♀. Duabus proxime præcedentibus valde affinis & similis, sed interdum nonnihil major, & differt: ab *E. fera* femoribus fere totis tarsorumque apice late, nigris, & oculis in ♂ latius remotis, ab *E. Virgo* pedum colore, & ab utraque epistomate margaritaceo, nec flavido, antennarum articulo ultimo (præsertim in ♂) multo majore, cuneiformi seu extrorsum distincte dilatato, toto atro, articulo 2:do setæ paullo longiore, ut & antennarum articulis basalibus, scutello tibiisque obscurius ferrugineis, fere piceis. Similis etiam *E. argentifronti* Macq. Buff. 2. 73. 7. ♂. seu *E. argentiferæ*. Meig. Dipt. 7. 184. 15. ♂, sed antennarum setæ articulo 2:do 1:mo longiori, nec æque longo, thorace nigro, nec cæruleo-nigro, scapulis nigricantibus, nec ferrugineis, distincta videtur. Epistoma ad oculorum angulum inferio-

rem pilis aliquot parvis obscuris vestitum, sed setis 2 l. 3 nullis. Frons in utroque sexu 4-fariam- (nec ut in ♂ *E. feræ* bifariam-) setosa. Thorax niger, leviter cinereo-micans, lineis obscuris. Scapulæ raro subferrugineæ. Scutellum plerumque obscure ferrugineum, saltem apice. Abdominis vitta dorsalis nigra subangulata, in basi segmenti 1:mi, & apice ultimi paullo dilatata ad anum extensa, relicto tantum margine summo segmenti 4:ti flavo. Segmenta ultima lateribus albo-micant. Genitale masculum obscurum aut ferrugineum. Alæ ut in *E. Virgo.* Tarsi intermedii articulo 1:mo, postici articulis 1, 2, 3 basalibus, rufi.

6. *E. tessellata:* nigra, nitida, epistomate argenteo, ad latera 2- l. 3-setoso; fronte cana, vitta grisea; antennis pedibusque atris; scutello tibiisque rufescentibus; palpis flavis; alis basi subfuscis; squamis albis; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali modice lata, nigra. ♂♀. (Long. 4—$4\frac{1}{2}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 73. 10? *Tachina* Fabr. Antl. 309. 5. Meig. Dipt. 4. 242. ♂♀. *Tach. fera* var. γ. Fall. Muscid. pag. 4. Forte etiam *Echin. nigricornis* Meig. Dipt. 7. 182. 8. ♂♀.

Hab. in campis aridis & collibus arenosis, 15 Jun. —30 Aug., per Scandinaviam temperatam, vulgaris; sæpe in copula deprehensa; scilicet in Scania ubique frequens, præsertim in campis arenosis ad Silfåkra copiose; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Omberg, sed imprimis in Wadstena-löt valde frequens; in Ölandia pass.; in Gottlandia ad Hafdhem &c., non rara; in Dania Maj. Jun., D. *Stæger.*

♂♀. A proxime præcedentibus mox differt præter alias notas antennis nigris, & setis 2 l. 3 atris in latere utrinque epistomatis juxta angulum inferioris oculorum. Epistoma argenteum, vix rubenti micans. Frons in utroque sexu lata, 4

fariam setosa. Antennæ totæ nigræ, articulo ultimo modice magno, suboblongo-quadrato, setæ articulo 2:do 1:mo parum breviore. Thorax cinereo-micans, lineis nigris. Abdominis vitta dorsalis nigra angulata, in 1:mo segmento dilatata, segmentum ultimum fere totum & supra & subtus occupans; pone incisuras albo-micans. Segmentum 4:tum lateribus etiam albo-micans. Linea ventralis nigra parum perspicua. Genitale maris nigrum. Alæ subfusco-hyalinæ, nervis basi fusco-flavescentibus. Pedes nigri, tibiis posticis piceis. Ungves fusci. Pulvilli albidi.

7. *E. ferina:* nigra, nitida, epistomate argenteo, ad latera bisetoso; fronte fusca, vitta media rufescente; antennis ferrugineis, articulo ultimo modice magno, rotundato-quadrato, atro; palpis flavis; alis basi fuscis; squamis albis; pedibus nigris; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali modice lata, nigra. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Wahlb. in litteris 1842. ♀.

Hab. in Suecia media rarius; mares duos in Gottlandia ad Hoburg & Thorsborg 6—14 Jul. 1841 inveni; feminam e Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg* missam obtinui.

♂♀. Simillima priori, antennis basi rufis & fronte in ♂ angustiore præcipue distincta. Ab *E. fera*, cui quoque similis, pedibus totis nigris & epistomate ad angulum oculorum inferiorem setis 2 nigris, facile dignota. Caput ut in *tessellata*, fronte antice multo minus prominente posterius obscura; antennarum articulo ultimo quoque forte paullo breviore. Scutellum interdum piceum. Alarum nervus transversus ordinarius fere rectus. Tibiæ posticæ in ♂ piceæ, an semper?

*Obs.* An hæc aut præcedens sit *Tach. tessellata* Fabr. genuina pro certo dicere non possum.

B. Palpi clavati, extra os breviter exserti. *Fabricia* Rob. Desv.

8. *E. ferox:* nigra, nitida, epistomate albido, ad latera nudo; fronte flavo-cinerascente, vitta rufescente; antennis pedibusque nigris; palpis alarumque basi flavicantibus; squamis albescentibus; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali angulata, nigra. ♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin. & ultra).

Macq. Buff. 2. 75. 17. *Tachina* Panz. Fn. Germ. 101. 20. Meig. Dipt. 4. 210. 2. ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp semel inveni, ad Gusum, D. *Wahlberg*, qui in floribus Succissæ eandem ad Holmiam etiam legit.

♀. Similis *E. magnicorni*, capite subflavido, antennis nigris, palpis clavatis &c. distincta. Robusta. Caput flavo-albidum, epistomate ad latera inermi. Antennæ nigræ, articulo 2:do apice superne puncto rufo, ultimo sat magno cuneatim subquadrato. Scutellum piceum. Abdomen pellucido-testaceum, segmentis 1, 2, 3 macula sat magna, trigona, nigra, 4:to & supra & subtus fere toto nigro, macula utrinque basali testacea. Alæ fusco-hyalinæ, basi pallidæ, nervo transverso ordinario subrecto. Squamæ albido-flavæ. Pedes nigri, tibiis posticis obscure ferrugineis.

*Obs.* In mare abdominis vitta dorsalis in segmento 3:tio abbreviato.

---

## 108. TACHINA Meig.

*Corpus* magnum, medium aut parvum, oblongo-ovatum, pubescens & setosum. Antennæ fronti plerumque prominenti insertæ, deflexæ aut incumbentes, articulo ultimo sæpius elongato, basi seta dorsali sæpissime nuda, bi- l. triarticu-

lata, recta. Caput non buccatum, vibrissis faciei sæpe, & mystacibus oris semper, distinctis. Oris margo anticus sæpe subreflexus. Palpi filiformes. Oculi ovati, obscure ferruginei, in utroque sexu sæpissime distantes (in *T. atrata* & quibusdam affinibus oculi maris cohærentes). Ocelli 3 in vertice. Setæ frontales infra antennas sæpissime descendentes. Thorax sutura transversa. Abdomen plerumque ovato-conicum, segmentis 4 præter ultimum retractum; rigide setosum. Anus non caudatus. Alæ divaricatæ. Nervus long. 4:tus angulatim, raro arcuatim flexus, cum nervo 3:tio recto aut in apice aut ante apicem alæ in costa connivens. Nervi transversi normaliter ut in *Echinomyia.* Segmenta costæ fere quoque ut in illa. Squamæ & halteres ut in *Echinomyia.* Pedes etiam ut in illa; plerumque nigri. *Color* nigricans, cinerascens, raro viridis. *Motu* agilissima, valde inquieta. *Habitatio* in floribus, foliis fruticum & graminosis. Media æstate l. versus finem, imagines præsertim vigent. Feminæ sæpe viviparæ. *Larvæ* in larvis aliorum insectorum, præprimis Lepidopterorum, vivunt. Hinc *Tachinæ* in oeconomia naturæ utiles, larvarum nocentium multiplicationem moderantes. *Pupæ* oblongæ, cylindricæ, nudæ, inermes, obscure ferrugineæ. *Discrimen sexus* varium; *mas:* aut oculis interdum approximatis & fronte utrinque simplici serie setosa, aut semper ano obtusiore, hamulis 2 corneis inflexis, & pulvillis intra ungves majoribus longioribus, albidis, a *femina* oculis semper remotis, fronte postice utrinque duplici serie setosa, vagina anali brevi articulata, sæpe retracta, dignoscitur.

E speciebus ab una in alteram per leviores gradus sæpe transientibus (cfr. ex. gr. *T. elegantula*, 13, *spathulata*, 21, *Goniæoides*, 60, & 94, 129, 138, &c.) vix nisi genera notis vacillantibus exstructa & multis exceptionibus obnoxia, proponere potuissem. Numerosæ igitur *Tachinarum* gentis examen (quando quæstio fuit describere Diptera Scandinaviæ, nam inter Exotica specierum formæ & plures & magis evolutæ & determinatæ exstant) per Subdivisiones artificiales æque facile ac per earum in genera vaga distributio-

nem *), me reddere posse credidi. Interea Indicem sequentem harum Subdivisionum loco generum sæpe dubiorum allegare haud inutile duxi.

*Sect.* 1:*ma.* Nigricantes l. cinerascentes, rarissime flavicantes.

*Subd. I.* Seta antennarum nuda (in *T. collari* 68, & *stulta* 106, subtilissime microscopice puberula).

*Phalanx* 1:*a.* Oculi nudi, in utroque sexu sæpissime distantes (in ♂ *T. nigrisquamæ* 62, cohærentes).

---

*) Si methodus Meigeniana (in Suppl. P. 7), generibus *Tachinariarum* abundans, cuidam magis arrideret, is Conspectum ejusdem ad nostras quoque *Tachinæ* species accommadatæ heic habeat:

*I. Antennarum articulus ultimus longitudine* 2:*di aut illo parum longior.*

*a.) Oculi nudi.*

*) *Alarum cellula (area) media apice aperta.*

Tachina: *Lavarum* 3. *sannio* 9. *pilitarsis?* 10. *devia* 12. *vilis?* 22. *plebeja* 24 *Soror* 25. *futilis* 26. *albisquama* 27. *sordidisquama* 28. *tibialis* 51. *nigripes* 52. *mutabilis* 53. *discolor* 54. *incana* 55. *incurva* 56. *scutelligera* 57. *albinervis* 58. *spathulæcornis* 59. *nigrisquama* 62. *bisignata* 147. *circumflexa* 173. *pubicornis* 174. *cingulata* 177.

Plagia: *ruralis* 4. *ambigua* 5. *curvinervis* 6. *ruficornis* 7. *interrupta* 8. *trepida* 14. *subcincta* 15. *marginata* 76. *cuneicornis* 77. *ruricola* 90.

Uromyia?: *hirticornis* 175.

Medoria: *pullula* 176. *funesta* 178.

Clytia: *pellucens* 81. *continua* 82. *rotundiventris* 83.

*Cohors* 1. Nervus alarum long. 4:tus subfurcatus, infra angulum subrectum saltem apparenter continuatus; ab angulo tamen ramus alter sursum leviter arcuatim flectitur versus costam, ibique cum nervo costali & interdum etiam cum longitudinali 3:tio paullo ante apicem alæ connectitur.

---

**). *Alarum cellula occlusa (h. e. nervulus transversus apicalis intra apicem alæ cum nervo longitud. 3:tio conjunctus).*

Gymnosoma &c. *vide nostrum genus* 116 *&c.*

Peteina: *Erinaceus* 75.

Clista?: *lugubrina* 78.

*b.) Oculi hirti. (Facies non vibrissata).*

*) *Alarum cellula media aperta.*

Chrysocoma: *viridis* 193. *aurata* 194.

Micropalpus: *vulpinus* 84. *comtus (nec comptus)* 91. *hæmorrhoidalis* 92. *fulgens* 93.

Nemorea: *grandis?* 85. *truncata* 86. *Nemorum* 87. *Puparum* 95. *pellucida* 96. *rudis* 97. *strenua* 98. *vivida* 99. *consobrina* 100. 4-*pustulata* 101. *rubricornis* 102. *Radicum* 109. *intermedia* 110. *cæsia* 111. *connivens* 112. *protuberans* 113. *fumata* 114. *diligens? (an* Exorista?) 120. *strigifrons* 134. *breviseta* 135. *floralis* 148.

Erebia: *tremula* 152.

Macquartia: *dispar* 136 *rotundicornis* 156. *lucida* 179. *crucigera* 180. *ciliaris* 181. *chalconata* 182. *nitida* 183. *atrata* 184. *chalybeata* 185. *nigrita* 186. *grisea* 187. *prolixa* 188. *angulicornis* 189.

**) *Alarum cellula media occlusa.*

Panzeria: *lateralis* 192.

*II. Antennarum articulus ultimus 2:do duplo & ultra longior.*

A. Palpi, saltem apice, flavi, l. testacei, l. ferruginei, l. fusci.

a.) Carinæ faciales vibrissis distinctis saltem ad dimidium epistomatis assurgentibus instructæ.

---

*a.) Oculi nudi.*

*) *Alarum cellula media aperta.*

†) *Facies absque vibrissis lateralibus.*

Miltogramma: *agrestis* 11. (*Reliquæ Meigenianæ species* Miltogrammæ *etiam apud nos sub proprio genere militant*).

Myobia: *aurea* 170. *inanis* 171. *nigritarsis?* 172.

Hypostena: *cylindracea* 61.

Masicera: *elegantula?* 13. *silvatica* 23. *geniculata* 30. *furibunda* 31. *scutellata* 32. *flavo-scutellata* 33. *validicornis* 34. *cinerea* 35. *usta* 36. *pallipes* 49. *festinans? (rectius ad* Exoristam) 129.

Thryptocera: *pilipennis* 37. *crassicornis* 38. *Infantula* 39. *versicolor* 40. *rufina* 41. *zonella* 63. *minutissima* 64.

Illigera: *goniæoides* 60.

††) *Facies vibrissis lateralibus instructa.*

Metopia: *leucocephala* 16. *argyrocephala* 17. *campestris* 18. *amabilis* 19. *tincta* 20.

Degeeria: *lætabilis* 42. *muscaria* 45. *hystrix* 46. *albo-cingulata* 47. *laticornis* 66. *ornata* 67. *collaris* 68. *blanda* 69. *convexifrons* 70. *albicincta* 71. *semicincta* 72.

Fabricia: *fasciata?* 1. *flavescens?* 2. *pacta* 29.

**) *Alarum cellula media occlusa. (Facies vibrissata).*

Baumhaueria: *vertiginosa* 43. *scutellaris* 44.

1 *fasciata.* 2 *flavescens.*

b.) Carinæ faciales aut nudæ, aut vibrissis tantum paucis l. spuriis inferne instructæ. (*T. imber-*

---

Scopolia: *spathulata?* 21. *ocypterata* 48. *morio!* 73. *ocypterina?* 74.

***) *Alarum nervus transversus apicalis deest.*

Rœselia: *antiqua* 50. *nigrina* 65. *Lamia* 80.

*b.) Oculi hirti.*

*) *Cellula media aperta.*

†) *Facies vibrissis nullis.*

Exorista: *Pavoniæ?* 88. *maculipennis* 89. *affinis* 103. *Bohemanni* 104. *demens* 105. *stulta* 106. *ruficauda* 107. *dubia* 108. *linearicornis* 115. *fimbriata* 116. *Westermanni* 117. *cornuta* 118. *spernenda* 119. *prætervisa* 120. *excisa* 127. *excavata* 128. *festinans?* 129. *argentifera* 130. *bicingulata* 131. *albicans* 132. *perturbans* 133. *vulgaris* 137. *confinis* 138. *magnicornis* 139. *genarum* 140. *rotundaticornis* 141. *straminifrons* 142. *duplinervis* 143. *hyalipennis* 144. *tricingulata* 145. *villica* 161. *ambulans* 162. *fulva* 163. *libatrix* 164. *arctiea* 190. *hyalinata* 191.

Harrisia: *ænea* 153. *crassitarsis* 154. *simplicitarsis* 155.

††) *Facies vibrissis instructa.*

Phorocera: *obliquata?* 94. *assimilis* 122. *obscura* 123. *lata* 124. *inepta* 125. *pumicata* 126. *confinis?* (potius Exorista) 138. *pantherina* 159. *mundula* 160. *squamosa* 166. *unicolor* 169.

Doria: *mobilis* 167. *trizonata* 168.

**) *Cellula media occlusa.*

Tryphera: *umbrinervis* 146. *interruptella* 149. *grossicornis* 150. *amplicornis* 151.

Fallenia: *longicornis* 157. *pectinata?* 158. *vibrissata* 165.

*bis* Zett. Ins. Lapp. 636. 9. ♀. antennis brevibus, seta breviuscula; seta mystacina utrinque unica, ad *Miltogrammæ* genus relata).

3 *Larvarum.* 4 *ruralis.* 5 *ambigua.* 6 *curvinervis.* 7 *ruficornis.* 8 *interrupta.* 9 *sannio.* 10 *pilitarsis.*

B.) Palpi nigri (in *T. elegantula* 13, & *muscaria* 45, obscure flavi).

* Facies vibrissis nullis aut spuriis.

†. Alarum nervi inermes (in *T. devia* 12, nervus longitudinalis 3:tius basi setulosus). Frons ante oculos longe porrecta. — Species quasdam *Tachinæ* olim subjectas mystacibus paucis, & antennis setaque breviusculis instructas jam ad *Miltogrammam* ob magnam affinitatem retuli.

11 *agrestis.* 12 *devia.* 13 *elegantula.*

††. Alarum nervus longitud. 3:tius ultra medium setulosus. *Plagia* Meig.

14 *trepida.* 15 *subcincta.*

** Facies vibrissis distinctis. Frons plerumque porrecta. Alarum nervus longitudinalis 3:tius basi setulosus. *Metopia* Meig.

16 *leucocephala.* 17 *argyrocephala.* 18 *campestris.* 19 *amabilis.* 20 *tincta.* 21 *spathulata.* 22 *vilis.*

*Cohors* 2. Nervus alar. longitud. 4:tus infra angulum obtusum non continuatus, in costa propius ad apicem plerumque excurrit. (*T. ambigua* & *interrupta* nervo 4:to vix l. parum infra angulum continuato in Cohorte 1:ma sub n:o 5 & 8 quærendæ).

*Tribus 1:ma.* Antennæ longitudine epistomatis aut illo paullo breviores. Abdomen oblongum, cylindricum aut conicum.

A. Palpi flavi (*T. cylindracea* 61, *setipennis* 79, & *Lamia* 80, palpis luteis aut obscuris infra inveniendæ).

*Manipulus 1:mus.* Vibrissæ nullæ aut spuriæ.

*α.* pedibus aut totis aut maxima ex parte nigris.

23 *silvatica.* 24 *plebeja.* 25 *Soror.* 26 *futilis.* 27 *albisquama.* 28 *sordidisquama.* 29 *pacta.* 30 *geniculata.* 31 *furibunda.* 32 *scutellata.* 33 *flavo-scutellata.* 34 *validicornis.* 35 *cinerea.* 36 *usta.* 37 *pilipennis.* 38 *crassicornis.* 39 *Infantula.*

*β.* pedibus rufo-flavis. *Thryptocera* Meig.

40 *versicolor.* 41 *rufina.*

*Manipulus 2:dus.* Vibrissæ distinctæ (interdum vero tantum in medium epistomatis adscendentibus.

*). Pedes nigri. *Degeeria* & *Baumhaueria* Meig.

42 *lætabilis.* 43 *vertiginosa.* 44 *scutellaris.* 45 *muscaria.* 46 *hystrix.* 47 *albo-cingulata.* 48 *ocypterata.*

**). Pedes flavi.

a.) Nervus transversus apicalis adest. *Masicera* Meig.

49 *pallipes.*

b.) Nervus transversus apicalis deest. *Ræselia* Meig.

50 *antiqua.*

B. Palpi nigri l. nigricantes (in individuis quibusdam *T. setipennis* 79, obscure lutei).

*Decas 1:ma.* Alarum nervi inermes. (Nervus tantum longitudinalis 3:tius basi setulis 2—4).

†. Facies vibrissis nullis l. spuriis.

*) alarum nervo transverso apicali præsente.

51 *tibialis.* 52 *nigripes.* 53 *mutabilis.* 54 *discolor.* 55 *incana.* 56 *incurva.* 57 *scutelligera.* 58 *albinervis.* 59 *spathulæcornis.* 60 *Goniæoides.* 61 *cylindracea.* 62 *nigrisquama.* 63 *zonella.* 64 *minutissima.*

**) alarum nervo transv. apicali deficiente. *Rœselia.* Meig.

65 *nigrina.*

††. Facies vibrissis distinctis. *Degeeria* Meig.

66 *laticornis.* 67 *ornata.* 68 *collaris.* 69 *blanda.* 70 *convexifrons.* 71 *albicincta.* 72 *semicincta.* 73 *morio.* 74 *ocypterina.*

*Decas 2:da.* Alarum nervi longitudinales: aut solum 3:tius, aut 1:mus 3:tiusque, aut denique 1:mus, 3:tius 5:tusque, setulosi.

a. Alæ nervis longitudinalibus: 3:tio, aut 1:mo 3:tioque, setulosis. *Peteina*, & *Plagiæ* species Meig.

75 *Erinaceus.* 76 *marginata.* 77 *cuneicornis.* 78 *lugubrina.*

b. Alæ nervis longitudinalibus 1, 3, 5 setulosis.

*) Nervus transversus apicalis completus. *Thryptocera* Meig.

79 *setipennis.*

**) Nervus transversus apicalis deficiens. *Rœselia* Meig.

80 *Lamia.*

*Tribus* 2:*da.* Antennæ epistomate fere dimidio breviores. Abdomen rotundatum. Vibrissæ nullæ. Alæ inermes. Area plerumque aperta in apice alæ terminata. Minores. *Clytia* Meig.

81 *pellucens.* 82 *continua.* 83 *rotundiventris.*

*Phalanx* 2:*da.* Oculi hirti (in *T. festinante* 129, *bisignata* 147, & *rotundicorni* 156, fere nudi).

*Cohors.* 1. Alarum nervi: longitudinalis 4:tus angulatim flexus & infra angulum saltem apparenter plus minus longe continuatus; ab angulo vero ramus alter sursum ad costam curvatim flectitur; transversus ordinarius paullo curvatus. Alæ inermes præter nervum longitudinalem 3:tium basi setulis 3—6 instructum. Area apicalis aperta ante apicem alæ in costa educta. Frons prominens. Corpus ovatum plerumque sat magnum. (*T. pellucida* & *intermedia* nervo long. 4:to infra angulum subcontinuato in *Cohorte* 2:da sub n:o 96 & 110 quærendæ).

A. femoribus rufis. *Micropalpus* Meig.

84 *vulpina.*

B. femoribus nigris.

*α.*) Facies vibrissis nullis.

* Palpi flavi (in individuis quibusdam *T. truncatæ* 86, obscuri). *Nemoreæ* & *Exoristæ* species Meig.

85 *grandis.* 86 *truncata.* 87 *Nemorum.* 88 *Pavoniæ.* 89 *maculipennis.* 90 *ruricola.*

** Palpi nigri, parvi l. minuti, retracti. Nervus transversus ordinar. prope ad angulum nervi long. 4:ti insertus. Antennarum seta 3-articulata. *Micropalpus* Meig.

91 *comta.* 92 *hæmorrhoidalis.* 93 *fulgens.*

*β.*) Facies vibrissata.

94 *obliquata.*

*Cohors* 2. Alarum nervi longitudinales: 4:tus angulatim aut raro arcuatim flexus, infra angulum non continuatus (in *T. pellucida* 96, & *intermedia* 110, brevissime subcontinuatus); 3:tius basi setulis 3—6 (in *T. grossicorni* 150, & amplicorni 151, setulis circiter 8).

*Trib.* 1:*ma.* Nervus long. 4:tus angulatus & ab angulo ad costam curvatus seu sursum plus minus flexus *) (in *T. fumata* 114, subrectus). Majores pleræque. Ovatæ.

A. Vibrissæ nullæ (in *T. stulta* 106, *dubia* 108, &c., inferne spuriæ).

†. Palpi flavi (in individuis quibusdam *T. dubiæ*, nigri).

* Antennarum articulus ultimus 2:do ad summum duplo longior. *Nemorea* Meig.

95 *Puparum.* 96 *pellucida.* 97 *rudis.* 98 *strenua.* 99 *vivida.* 100 *consobrina.* 101 4-*pustata.* 102 *rubricornis.*

** Antennarum articulus ultimus 2:do saltem duplo, sæpe triplo & ultra longior. *Exorista* Meig.

---

*) curvatura hæc a Clar. *Meigen* "nervus transversus apicalis" dicitur.

103 *affinis.* 104 *Bohemanni.* 105 *demens.* 106 *stulta.* 107 *ruficauda.* 108 *dubia.*

††. Palpi nigri (individua *T. dubiæ* palpis flavis vide sub n:o 108).

a. Antennæ breviusculæ, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore. Magnæ. *Nemorea* Meig.

109 *Radicum.* 110 *intermedia.* 111 *cæsia.* 112 *connivens.* 113 *protuberans.* 114 *fumata.*

b. Antennæ elongatæ, articulo ultimo 2:do triplo & ultra longiore. Nervus transversus apicalis parum curvus. Mediæ l. minores. *Exorista* Meig.

115 *linearicornis.* 116 *fimbriata.* 117 *Westermanni.* 118 *cornuta.* 119 *spernenda.* 120 *diligens.* 121 *prætervisa.*

B. Vibrissæ distinctæ. Alarum area media aperta, mox ante apicem (in *T. inepta* 125, in ipso apice) alæ terminata. *Phorocera* Meig.

*) Palpi flavi.

122 *assimilis.* 123 *obscura.* 124 *lata.* 125 *inepta.*

**) Palpi nigri.

126 *pumicata.*

*Trib. 2:da.* Nervus 4:tus angulatim flexus & ab angulo ad costam rectus (in *T. umbrinervi* 146, & *lucida* 179, subcurvus).

*α.*) Vibrissæ nullæ aut tantum spuriæ (in *T. vulgari* 137, tenuibus interdum fere ad medium epistomatis assurgentibus).

*Decas 1:ma.* Palpi flavi (in *T. bicingulata* 131, nigri, summo apice flavi).

†. Antennæ elongatæ. *Exorista* Meig.

127 *excisa.* 128 *excavata.* 129 *festinans.* 130 *argentifera.* 131 *bicingulata.* 132 *albicans.* 133 *perturbans.*

††. Antennæ breviusculæ. *Nemoreæ* & *Macquartiæ* species Meig.

134 *strigifrons.* 135 *breviseta.* 136 *dispar.*

*Decas 2:da.* Palpi nigri (in ♀ *T. floralis* 148, flavi).

*) Antennæ elongatæ; validæ aut angustæ.

a. Scutellum l. totum l. apice rufum. Color corporis sæpe cinerascens. *Exorista* Meig.

137 *vulgaris.* 138 *confinis.* 139 *magnicornis.* 140 *genarum.* 141 *rotundaticornis.* 142 *straminifrons.*

b. Scutellum concolor (totum nigrum aut cinerascens).

143 *duplinervis.* 144 *hyalipennis.* 145 *tricingulata.* 146 *umbrinervis.* 147 *bisignata.* 148 *floralis.* 149 *interruptella.* 150 *grossicornis.* 151 *amplicornis.* 152 *tremula.* 153 *ænea.* 154 *crassitarsis.* 155 *simplicitarsis.*

**) Antennæ breves. *Macquartia* Meig.

156 *rotundicornis.*

*β.*) Vibrissæ distinctæ (in *T. villica* 161, *ambulante* 162, & *fulva* 163, abbreviatæ).

*) Palpi flavi (in ♂ *T. longicornis* obscuri).

157 *longicornis.* 158 *pectinata.* 159 *pantherina.* 160 *mundula.* 161 *villica.* 162 *ambulans.* 163 *fulva.* 164 *libatrix.*

** Palpi nigri.

165 *vibrissata.* 166 *squamosa.* 167 *nobilis.* 168 *trizonata.* 169 *unicolor.*

*Subd. II.* Seta antennarum breviter, sæpe tantum microscopice, pubescens.

*Cohors 1:ma.* Oculi nudi. Vibrissæ nullæ l tantum inferne paucæ, spuriæ.

A. Palpi flavi (in *T. inani* 171, apice obscuri).

*) Pedes flavi. *Myobia* Meig.

170 *aurea.* 171 *inanis.* 172 *nigritarsis.*

**) Pedes nigri.

173 *circumflexa.* 174 *pubicornis.* 175 *hirticornis.* 176 *pullula.*

B. Palpi nigri (in *T. cingulata* fusci).

177 *cingulata.* 178 *funesta.*

*Cohors. 2:da.* Oculi hirti (in feminis *T. atratæ* 184, *chalybeatæ* 185, & *nigritæ* 186, subnudi).

*Tribus 1:ma.* Palpi flavi. *Macquartia* Meig.

179 *lucida.* 180 *crucigera.* 181 *ciliaris.* 182 *chalconata.*

*Tribus 2:da.* Palpi nigri.

A. Alarum area ultima aperta.

a.) Area in summo apice l. mox ante apicem alæ terminata.

†. Nigræ, nitidæ. *Macquartia* Meig.

183 *nitida.* 184 *atrata.* 185 *chalybeata.* 186 *nigrita.*

††. Cinerascentes, opacæ. *Macquartiæ* & *Exoristæ* species Meig.

187 *grisea.* 188 *prolixa.* 189 *angulicornis* 190 *arctica.*

b.) Area paullo ante apicem alæ terminata. *Exorista* Meig.

191 *hyalinata.*

B. Alarum area ultima occlusa, subpetiolata *Panzeria* Meig.

192 *lateralis.*

*Sect. 2:da.* Aureo-virides. *Chrysocoma* Meig.

193 *viridis.* 194 *aurata.*

*Obs.* Reliquæ Fallenianæ *Tachinarum* species in hoc conspectu non allatæ, in generibus sequentibus apud nos inveniendæ; nempe:

*T. ruficeps* Fall. Musc. spec. 3, *capitata* 18, & *hebes* 19, in *Gonia; T. cylindrica* 13, *conica* 14, *minuta* 15, *œstracea* 17, in *Miltogramma;* &

*T. curvicauda* 33, in *Phania.*

1. *T. fasciata:* nigra, capite, thoracis vittis 5 anticis, abdominisque fasciis 3, albo-micantibus; scutello rufescente; antennis subtus subarcuatis. ♂♀. (Long. 4½—5 lin.).

*Mas:* frons modice lata, serie setarum utrinque simplici, per setas 5—6 infra antennarum basin descendente; tarsorum articulus ultimus longe setosus;

*Fem.:* frons paullo latior, serie setarum utrinque duplici, per setas 4 infra antennarum basin descendente; tarsorum articulus ultimus antecedentibus non longius setosus.

Fall. Muscid. 5. 4. ♂♀. genuina. — Vix Meig. Dipt. 7. 191. 3 eadem, nam ea "frontem flavam & palpos nigros" habet. — Sub *Musca puparum* Fabr. Antl. 299. 80. forte latet.

Hab. in Suecia meridionali tempore vernali rarius; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd, Högestad &c.; in Ölandia, D. *Bohemann.* — E larva *Bombycis (Arctiæ) Cajæ* 6 larvas *T. fasciatæ* virentes d. 12 April. 1823 egredientes vidi, quas statim in pupas mutatas & d. 20 Maj. ejusdem anni ut imagines utriusque sexus declaratas observavi.

♂♀. Magna, ovata, nigra. Caput albo-canum, fronte vix l. parum pallidissime flavescente, vitta media nigra. Antennæ non omnino longitudine epistomatis, nigræ, articulo 2:do apice puncto rufo, ultimo præsertim infra subdilatato, seta articulis basalibus brevissimis. Vibrissæ tenues adscendunt fere ad medium epistomatis, ubi setæ laterales descendunt. Palpi fusco-ferruginei, in uno specimine (cum reliquis e pupa excluso), fere nigricantes. Frons ante oculos sat magnos oblongos distincte porrecta. Occiput cinereo-villosum. Thorax cinereus, vittis 4 nigris, minus determinatis. Scutellum rufescens. Alæ hyalinæ. Nervus transv. ordinarius leviter flexus, apicalis leviter arcuatus. Area ultima ad costam anguste aperta. Spinula costæ ad exitum nervi auxiliaris parva. Squamæ albidæ. Abdomen nigrum, fasciis 3 sat latis, canis, anticis lineola media nigra interdum interruptis. Segmenta: 1:mum apice setis 2, 2:dum apice setis 2, 3:tium apice setis 8—12, 4:tum postice setulis pluribus. Venter niger, segmentis basi macula cinerea. Pedes nigri, pilosi & spinulosi, pulvillis albis.

2. *T. flavescens:* nigra, capite, thoracis vittis 5 anticis, abdominisque fasciis 3, albido-micantibus; fronte flavida; scutello rufescente; antennis linearibus. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.)

***Mas & Fem.*** ut in priori differunt.

Meig. Dipt. 4. 294. 98? ♂♀. (exclus. Syn. Fall). — Macq. Buff. 2. 141. 7. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, rarius; scilicet in Scania ad Abusa rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Dania ad Hafniam rar., D. *Dahlbom.* (E Glogavia uterque sexus a D. *Zeller* communicatus).

♂♀. Simillima priori, sed plerumque paullo minor, & antennis forte magis linearibus, fronte in ♂ nonnihil angustiore, magis flavida, abdominisque conici lateribus in ♂ sæpe macula rufa, differt. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—4 ut in priori.

3. *T. Larvarum:* nigra, capite, thoracis vittis 5, abdominisque conici fasciis 3 subinterruptis, albo-micantibus; fronte porrecta flavida, vitta nigra; antennarum articulo ultimo 2:do vix dimidium longiore; vibrissis spuriis; alarum nervis subinermibus. ♂♀. (Long. 2 fere 4 lin.).

*Mas & Fem.* ut in *T. fasciata*, n:o 1, differunt.

Meig. Dipt. 4. 295. 100. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *T. rurali*) & 7. 190. 19. — Macq. Buff. 2. 141. 8. ♂♀. Tab. 14. fig. 15. non bona. — Zett. Ins. Lapp. 634. 2. ♂♀. — *Musca* Linn. Fn. 1839. Fabr. Antl. 300. 81. (sed scutelli apex in nostra numquam rufus). *Tach. rustica* Fall. Musc. 5. 5. ♂♀. certe.

Hab. larva in larvis Lepidopterorum, imago in floribus Umbellatarum &c., per Scandinaviam, 29 Jun. — tota æstate — 14 Sept., ubique vulgatissima, multoties in copula capta; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia, ubique frequentissima; in Dalecarliâ ad St. Tuna &c., passim; in provinciis magis borealibus rarius; in Dania frequens. (E Finlandia, D. *Sahlberg*; e Rixdorf & Moabite &c., prope Beroli-

128

num D. *Dahlbom*; e Glogavia, Reinerzi & Wienna D. *Zeller*).

♂♀. *Muscæ domesticæ* habitu similis, plerumque longior, magnitudine mire varians. Valde similis priori, sed differt magnitudine minore, antennarum articulo ultimo paullo breviore quam 2:do vix dimidio longiore vibrissis paucioribus & abdominis setis aliter dispositis. Frons ante oculos distincte porrecta, in ♂ præsertim flava, vitta media nigra. Palpi flavi. Vibrissæ spuriæ. Scutellum cinereum. Abdomen præsertim in ♂ conicum in utroque sexu sparse setosum. Alæ hyalinæ. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—4. Spinula costæ ad apicem nervi auxiliaris parva. Squamæ albidæ. Pedes ut in prioribus.

Var. b. ♂. paullo major, abdominis lateribus in segmentis 2 & 3 ferrugineis. Ad Wadstena Ostr. cum v. a.

*Obs.* Individua pygmæa *T. Larvarum* sub nomine *Tach. extensa* olim inter Amicos meos entomologicos divulgavi.

4. *T. ruralis:* nigra, capite, thoracis vittis 5, abdominisque conici fasciis 3 indeterminatis, albo-micantibus; fronte lata ante oculos parum pòrrecta, cinerea, vitta fusca; antennarum articulis 2 & 3 subæque longis; vibrissis spuriis; palpis apice flavis; alarum nervis longitudin. 1 & 3 setulosis, 4:to subrectangulatim flexo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

*Mas:* fronte lata; tarsorum articulo ultimo longe piloso;

*Fem.:* fronte adhuc paullo latiore; tarsorum articulo ultimo subnudo; in copula.

Fall. Act. Holm. 1810. p. 265. 6. ♂♀. genuina. Ejusdem Dipt. Succ. Muscid. 5. 6. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 631. 3. ♂♀. *Tach. verticalis* Meig. 4. 299. 105. ♂♀. Macq. Buff. 2. 143. 14. ♂. *Plagia verticalis* Meig. Dipt. 7. 201. 2. Tab. 68. f. 37.

Hab. in floribus & foliis fruticum, per Scandinaviam temperatam, 17 Jun.—30 Sept., vulgaris, sæpe in copula

deprehensa; scilicet in Scania frequentissima; in Smolandia, Ostro- & Westrogothia, haud rara; in Ölandia 1835, D. *Boheman;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania, D. *Staeger.* (Ad Zirkow in insula Rügen 6 Jun. 1842, D. *Dahlbom.* E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Subsimilis priori, sed fronte ante oculos parum porrecta, cana, nec flavida, paullo latiore, in utroque sexu serie duplici setarum rigidarum utrinque ornata, vitta media fusca l. rufescente, nec nigra, vibrissis spuriis adhuc tenuioribus, abdominis fasciis albomicantibus minus perspicuis, alarum nervis longitudinalibus 1 toto & 3 usque ad nervulum transversum medium setulosis, ut & nervo transverso ordinario magis obliquo, abunde differt. Oculi magni. Palpi apice flavi. Antennæ longitudine vix epistomatis argentei, articulo 2:do cinerascente, ultimo subcuneato, nigro, seta 3-articulata, articulis basalibus brevissimis. Abdomen conicum, segmento 1 brevi, inermi, 2 apice plerumque bisetoso, 3 apice setis 8—12, & 4 multisetoso. Thorax cinerascens, lineis 4 nigris, vix nisi antice determinandis. Alæ hyalinæ absque spinula costæ. Nervulus transv. medius paullo ante apicem nervi long. 1:mi ductus. Squamæ albæ. — Series setarum frontalium per tantum 3 l. 4 setas infra antennarum basin in utroque sexu descendunt. Supra antennarum radicem lunula albida. Antennarum articulus ultimus in ♂ paullo longior, quam in ♀.

5. *T. ambigua:* nigra, capite, thoracis vittis 5, abdominisque conici fasciis 3 indeterminatis, albo-micantibus; fronte lata ante oculos parum porrecta, cinerea, vitta fusca; antennarum articulis 2 & 3 subæque longis; vibrissis spuriis; palpis flavis; alarum nervis longitudinalib. 1 & 3 setulosis, 4:to obtusangulatim flexo. ♀. (Long. 2 lin.).

Fall. Act. Holm. 1810 p. 275. 26. ♀. Ejusdem Dipt. Suec. Muscid. 7. 10. ♀. ipsissima secundum specimen originarium.

Hab. in Suecia rarissime; in Scania ad Lund specimen unicum inveni.

♀. Simillima *T. rurali*, sed tamen magnitudine duplo minore, palpis totis flavis, & nervo longitudinali 4:to per angulum obtusum, nec rectum, flexo, haud furcato h. e. infra angulum vix continuato, at per ramulum alterum rectum in costam ducto, certe differt. Reliqua omnia, exacte ut in priori. — A *T. ruricola* n:o 87, cui valde similis, oculis nudis mox differt.

*Obs. T. ambigua* Meig. Dipt. 4. 298. 103. serie setarum frontalium in epistomate fere ad antennarum apicem descendente & nervo tantum longitudinali 3:tio (nec quoque 1:mo) setuloso, instructa, alia est species, ad sequentem forte referenda.

6. *T. curvinervis:* nigricans, capite albo, fronte lata, ante oculos parum prominente cinerea, vitta fusca; thoracis vittis 5 indeterminatis, scutello, abdominisque conici fasciis 3 latioribus, albidis; antennis nigris, articulo ultimo 2:do fusco duplo longiore; vibrissis vix ullis; palpis flavescentibus; alarum nervo longitud. 3:tio setuloso, transverso ordinario obliquo, recto, mox pone medium areæ inserto. ♂♀. (Long. circit. $2\frac{3}{4}$ lin.).

*T. ambigua:* Meig. Dipt. 4. 298. 103? ♂♀ (exclus. syn. Fall.). *Plagia* Meig. Dipt. 7. 201. 1?

Hab. in Suecia rarius; in Scania ad Lund 15 Jun. 1813, D. von *Borck*; in Gottlandia & ad Holmiam. D. *Wahlberg;* in Dalecarlia 1836, D. *Boheman;* mihi viva semel tantum in Ostrogothia obvia. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synon. missa).

♂♀. *T. rurali* affinis & similis, sed plerumque paullo minor, & antennarum articulo ultimo saltem in ♂ longiore, vibrissis nullis, ut & alarum tantum nervo long. 3:tio (nec simul 1:mo) ultra nervulum transvers. medium setuloso, distincta. Frons lata, cinerea, vitta media lata, grisea, opaca, antice puncto supra antennas albido. Setæ frontales validæ superne quadrifariam dispositæ, in medium epistomatis utrinque per simplicem seriem descendunt. Antennarum articulus 2:dus subcinerascens l. piceus, duplo brevior (♂) ultimo nigro, lineari. Seta vix ad medium incrassata, apice sat longe capillari, articulis basalibus 2? brevissimis (an tantum unico?). Thorax cinerascens, lineolis 4 nigris, parum determinatis. Abdomen cinereum, segmento 1:mo toto, reliquis margine apicali, nigris. Segmentum 1:mum breve, inerme; 2:dum in medio & apice setis 5—6 nigris; 3:tium setis 2 in medio & circiter 8 in margine apicali; 4:tum postice multisetosum. Alæ hyalinæ, basi parum fuscæ. Nervus long. 1:mus inermis, cujus apici opponitur nervulus transvers. medius; 4:tus subrectangulatim flexus, infra angulum paullo continuatus, flexura inter angulum & costam levissime arcuata; transversus ordinarius ab angulo longe remotus, distincte oblique ductus, subrectus. Spinula costæ nulla.

*Obs.* *T. ambigua* Meig. "setis frontalibus fere ad apicem antennarum descendentibus" a nostra differt. — Forte tamen nostra cum Meigeni identica, nam in ceteris bene quadrat.

7. *T. ruficornis:* nigricans, capite albo, fronte lata ante oculos parum prominente, cinerea, vitta fusca; thoracis vittis 5 indeterminatis, scutello, abdominisque conici fasciis 3 latioribus, albidis; antennarum articulo 2:do ferrugineo quam ultimo nigro duplo breviore; vibrissis nullis; palpis flavis; alarum nervo long. 3:tio setuloso, transverso ordinario obliquo, subrecto. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Hab. in Suecia rarissime, 2 tantum individua inveni,

unum (♂) ad Wadstena Ostrogothiæ, & alterum (♀) ad littus maris ad Lomma Scaniæ 20 Jul. 1830, lectum. (Similem omnino sub nomine "*T. ambigua*" e Glogavia a D. *Zeller* obtinui).

♂♀. Simillima iterum *T. curvinervi*, a qua vero antennarum articulo 2:do ferrugineo & nervo transverso ordinario non tam longe, sed modice, ab angulo nervi long. 4:ti remoto, vere differt. In uno specimine nervum transvers. ordinarium flexum vidi. — Vix varietas *T. ambiguæ* Meig.

8. *T. interrupta:* nigra, capite, thoracis vittis 5, abdominisque conici fasciis 3, albo-micantibus; fronte lata ante oculos parum porrecta, cinerea, vitta fusca; antennarum articulis 2 & 3 subæque longis; vibrissis nullis; palpis flavis; alarum nervis long. 1 & 3 setulosis, 4:to obtusangulatim flexo, in medio interrupto. ♀. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in Scania specimen descriptum inveni.

♀. Simillima *T. ambiguæ* (n:o 5), & fere ejusdem monstrosam varietatem crederem; sed præter magnitudinem paullo majorem differt etiam nervorum directione abnormi in utraque ala simili, & nostra *interrupta* ab *ambigua* fere ut *T. antiqua* (50) a *pallipede* dignoscitur. Nervus longitudinalis 4:tus mox pone nervulum transv. medium interruptus iterum a nervo transverso ordinario ad angulum breviter ducitur, spatio inter ambos nervos transversos vacuo relicto. Reliqua omnia ut in *T. ambigua*.

9. *T. sannio:* cinerea, capite argenteo, vitta frontali latissima grisea; thorace dilute brunneo-lineato; abdomine ovato nigro-fuscoque maculato, incisuris albis; fronte ante oculos longe porrecta; antennis articulo ultimo 2:do

triplo longiore totis, pedibusque, nigris; vibrissis nullis; palpis flavis; alis subinermibus. ♀. (Long. fere 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 636. 11. ♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; ad Åsele 28 Jul. 1832 semel inventa.

♀. Statura *Muscæ domesticæ*. Habitu & pictura abdominis *Miltogrammæ* fere similis, sed antennis setaque longioribus & mystacibus distinctioribus diversa. Antennæ longitudine epistomatis, nigræ, levissime cinereo-micantes, articulo 2:do apice rufescente; seta longitudine articuli antennarum 3:tii, biarticulata? tota fere æque crassa, apice tantum capillari. Frons cana, utrinque serie duplici setarum tenuiarum, nec rigidarum, ad radicem antennarum cessante, nec infra antennas descendente; vitta latissima postice subochracea. Palpi toti flavi. Thorax & scutellum disco læte brunneo-tincta, ille lineolis 2 fuscis obsoletis. Abdomen subdepressum, ovatum, griseum, maculis trifariam dispositis anoque, nigris, nitidis, segmentis 3 posticis basi anguste, maculisque lateralibus, albis. Segmentum 1 & 2 subæqualia; horum singulum apice in medio setis 2 & ad latera 1, gaudet; segmentum 3:tium apice setis 12 ornatum; anus 10-setosus. Venter niger. Alæ hyalinæ, nervis omnino ut in *T. Larvarum* (3). Squamæ niveæ. Halteres fusci.

10. *T. pilitarsis:* nigra, cinereo-micans, capite cano, vitta frontali lata, grisescente; abdomine ovato, nigro, maculis triplici serie albis; fronte ante oculos longe porrecta; antennis articulo ultimo 2:do quadruplo longiore pedibusque nigris, anticorum articulo tarsorum 2:do subtus longe piloso; vibrissis nullis; palpis flavis; alis subinermibus; nervo transverso ord. inflexo. ♂? (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad Oestre Næs Værdaliæ 10 Jul. 1840 specimen descriptum legi.

♂? Similis priori, a qua vero, antennarum articulo ultimo paullo longiore, fronte minus lata, corpore obscuriore, alarum nervo transverso ordinario circumflexo, nec recto, ut & pedum anticorum articulo tarsorum 2:do subtus dilatato sat longe piloso, differt. An ♂ præcedentis? Antennarum articulus 2:dus brevis, superne rufescens; seta apice capillari. Frons modice lata, setis tenuioribus utrinque duplici serie tantum ad antennas continuata; vitta media lata fusco-cinerea. Thorax & scutellum obscure cinerascentia, parum (in specimine forte paullo detrito) maculata. Abdomen nigrum, nitidum, segmentis 3 posticis basi anguste, maculis 3 albis. Alarum nervus longitudinalis 3:tius basi setulis 5—6; transversus ordinarius distincte flexus. Pedes nigri; anticorum tarsi breves, articulo 2:do subtus dilatato apice fasciculo pilorum nigrorum, longitudine fere reliquorum articulorum simul sumtorum & (in mortua) incurvatorum. Ungves & pulvilli tarsorum omnium minuti. Reliqua ut in priori.

11. *T. agrestis:* cinerea, capite argenteo-micante; thoracis lineis 3, abdominis subovati vittis totidem, pedibusque, nigris; fronte modice lata, ante oculos longe porrecta, vitta media atra; antennis breviusculis, nigricantibus, articulo ultimo 2:do triplo longiore; mystacibus paucis. ♂ (♀?). (Long. $1\frac{3}{4}$—3 lin.).

Fall. Muscid. 6. 7. genuina. Meig. Dipt. 4. 302. 110. ♂. Macq. Buff. 2. 143. 16. ♂. *Miltogramma* Meig Dipt. 7. 233. 21.

Hab. in floribus Umbellatarum, per Sueciam meridionalem & mediam, Jul. Aug., passim frequens; scilicet in Scania haud raro; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Ölandia, D. *B. Fries;* in pratis Gottlandiæ ad Fårön &c., sat frequens. (E Glogavia, *Zeller*).

♂. Cinerea, opaca. Antennæ epistomate breviores, articulo 2:do superne distincte setoso. Seta elongata, biarticulata,

vix ad medium incrassata. Frons angustata, setis mediocribus (non magnis) utrinque duplici serie, tantum ad basin antennarum continuata; vitta media atra. Occiput parum pubescens. Vibrissæ nullæ. Seta mystacina utrinque unica distincta, at setæ plures minores ad os. Thoracis lineæ nigræ, media subtriplicata, laterales simplices. Scutellum immaculatum. Abdomen vittis 3 nigro-brunneis. Segmenta subæqualia, 1:mum in medio apicis setis 2, 2:dum setis 4, 3:tium setis 8—10; 4:tum postice multisetosum. Alæ hyalinæ. Nervi transversi: ordinarius subrectus, parum obliquus, pone medium areæ insertus; medius medio segmenti costalis 2:di breviusculi oppositus; curvatura nervi 4:ti inflexa, area apice aperta. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Pulvilli magni, albidi.

♀? fronte nonnihil minus porrecta, paullo latiore, thoracis vitta media perspicue triplicata; alias mari descripto etiam quoad pulvillos magnos similis.

12. *T. devia:* nigra, capite argenteo-micante; thoracis vittis 4 abdominisque maculis 3 fasciformibus albo-micantibus; fronte modice lata, ante oculos distincte porrecta, vitta media atra; antennis breviusculis, articulo ultimo lato 2:do duplo longiore; mystacibus pluribus. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Fall. Musc. 6. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 301. 108. ♂♀. Macq Buff. 2. 144. 22. Zett Ins. Lapp. 634. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 190. 29.

Hab. cum priori, 3 Jul.—15 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, utrumque Esperöd nempe in Tranås & Mellby (ad littus maris), rarius; in Gottlandia ad Westö in Hall, & ad Ruthe &c., passim; in Lapponia Umensi ad Stensele rarissime.

♂♀. Similis priori, a qua tamen, corpore subnitido subcærulescenti nigro, maculatim albo-micante, antennarum

articulo ultimo paullo breviore & latiore, 2:do superne parum setoso, fronte nonnihil minus porrecta, setis mystacinis pluribus, nervis transversis: ordinario magis flexo & nonnihil magis ad angulum approximato, medio paullo ante apicem nervi long. 1:mi ducto, atque spinula costæ minuta præsente, abunde differt. Antennarnm seta 3-articulata, capillaris, fere ad medium incrassata ibique annulo albido. Epistoma apice reflexo albido. Series setarum frontalium paullo longius, quam in priori, procedit, sed vix infra antennarum basin descendit, & in ♂ utrinque vix nisi simplex. Vittæ thoracis 4 cinereæ antice tantum perspicuæ. Abdomen fasciis 3 albo-micantibus, interruptis. Frons in ♀ paullo latior, quam in ♂. De cetero ut in priori.

13. *T. elegantula:* cana; capite argenteo, fronte ante oculos distincte porrecta, concolore; antennis longitudine fere epistomatis, thoracis vittis 3, abdominis fasciis 4 latis, pedibusque, nigris; alarum nervo transv. ordinario longe a margine remoto, area apicali apice occlussa. ♀? (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: "*T. imberbis* Zett. Ins. Lapp.? l. nov. sp.?" nuper missa. (Ad Jungfern-Heyde & Moabite prope Berolinum d. 7—12 Jul. 1842 specimina quædam a D. *Dahlbom* lecta mihique benigne communicata).

♀? Parva. Pulchra. Albo-cana. Angusta, cylindrica. Caput totum argenteum, nitidum. Antennæ elongatæ, lineares, nigræ, apice superne angulo subacuto. Articulus ultimus 2:do triplo & ultra longior. Seta antenna paullo longior, capillaris, bi?-articulata, fere ad medium leviter incrassata. Frons lata, argenteo-alba, stria media angusta, rufescenti cana, postice furcata; serie setarum mediocrium utrinque subduplici ad antennarum basin continuata. Seta mystacina utrinque unica. Setulæ sub ore paucæ, parvæ. Palpi flavi, apice nigri. Thoracis lineæ 3 fuscæ. Abdomen co-

nico-cylindricum, atrum subnitidum, segmentis 3 posticis basi ad latera macula triangulari alba, opaca, quæ in dorsum assurgit & cum opposita fasciolam tenuem ad basin segmenti format. Segmentum 1 sequenti subæquale, inerme; 2 & 3 in medio apicis setis 2; ultimum subacutum nitidum, apice 6-setosum. Venter niger, incisuris anguste albis. Alæ hyalinæ. Nervi transversi: ordinarius levissime flexus, in medio areæ insertus; medius apici nervi long. 1:mi præcise oppositus; area apicalis occlusa, brevissime subpetiolata. Nervi inermes, at spinula costæ distincta. Squamæ niveæ. Pedes nigri, parum setulosi, pulvillis & ungvibus minutis. — Habitus *Miltogrammæ*, sed antennæ longæ & seta elongata, tenuis *Tachinæ*. — In dispositione Meigeniana hæc species vix ullum idoneum habet locum, *Masiceræ* appropinquans, sed per aream occlusam &c. diversa.

11. *T. trepida:* cinerascens; capite albido, fronte lata, ante oculos parum prominente grisea, vitta fusca; antennis longitudine fere epistomatis, seta mediocri, palpis, thoracis lineolis 4, abdominis fasciis 4, pedibusque, nigris; alarum nervo long. 3:tio setuloso, transverso ordinario obliquo, recto, areæ medio inserto. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 300. 106. ♀. *Plagia* ejusdem 7. 201. 3.

Hab. in Suecia meridionali & media, 25 Jun.—26 Jul., minus frequens; scilicet in Scania ex. gr. in fruticibus Horti Academici Lundensis, passim; in Ostrogothia ad Wadstena, & Gusum (D. *Wahlberg*); in Ölandia rar. ♂♀. Valde affinis & similis *T. curvinervi* (6) & *ruficorni* (7); sed ab illa nervo transverso ordinario præcise in medio areæ apicalis, nec paullo pone medium, inserto; ab hac antennis basi nigro-fuscis l. piceis, nec ferrugineis, & ab utraque palpis nigris, nec flavis, dignoscitur. — Antennæ lineares, non usque ad os extenduntur, haud latæ, seta capillari fere ad medium incrassata, articulis basalibus 2?

parvis. — Sub nomine: "*T. curvinervis*" hanc speciem olim divulgavi.

15. *T. subcincta:* nigro-cinerascens, capite albido, fronte lata, ante oculos parum prominente, cinerea, vitta obscura; antennis longitudine fere epistomatis, seta valida, palpis, thoracis lineolis 4, abdomine pedibusque, nigris; abdominis cingulis 3 albidis; alarum nervo long. 3:tio setuloso, transverso ordinario valde obliquo, subrecto, fere areæ medio inserto. ♂♀. (Long. 2¾—3 lin.).

Hab. in Scandinavia, 19 Jun.—20 Jul., passim; scilicet in Scania rarissime; in Ostrogothia semel lecta; ad radicem Åreskutan ut & ad diversoria Grimnäs & Fanbyn Jemtlandiæ 3 individua a D. *Dahlbom* 1840 inventa; in Norvegia ad Thynæs, Næs & Suul Værdaliæ passim. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Simillima priori, differt vero corpore paullo obscuriore, antennis nonnihil validioribus, seta distincte crassiore, 3-articulata, abdominis cingulis albis paullo magis perspicuis, ut & nervo transverso ordinario magis oblique ducto. Abdomen nigrum subnitidum, segmentis 2, 3 & 4 basi late cinerascentibus, singulo cingulo pone incisuram angusto, albo. Antennarum seta ultra medium incrassata. Frons in ♂ nonnihil magis prominens, quam in ♀. Reliqua ut in priori. Affinis *T. marginatæ* n:o 76, sed nervo long. 4:to infra angulum continuato &c. distincta.

16. *T. leucocephala:* cinerascens, epistomate albo; fronte longe prominente, antice in ♂ argentea tota nitidissima, in ♀ argentea, vitta media lata, verticeque in utroque sexu, nigricantibus; antennis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis maculis trigonis trifariam positis, pedibusque, nigris; vibrissis continuis. ♂♀. (Long. 1¾—2¼ lin.).

Fall. Muscid. 8. 11. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 371. 229. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 635. 5. ♂♀. *Musca* Panz. Fn. 54.

14. *Metopia* Macq. Buff. 2. 126. 13. T. 14. f. 13. ♂. Meig. Dipt. 7. 218. 2. *Musca labiata* Fabr. Antl. 304. 100. ♂. *Tach. argyrocephala* Zett. Ins. Lapp. 635. 6. ♂. var. (exclus. synonym.).

Hab. in plantis & foliis fruticum, locis aridis sabulosis, soli expositis, & vallis ab Hymenopteris perforatis, per Scandinaviam, 20 Maj.—17 Aug., passim frequens, in copula; scilicet in Scania vulgaris; in Ostrogothia frequens; in Ölandia & Gottlandia (ad Fardhem, Wamlingbo, Gothem, Olle Hau in Fårön, &c.), passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Medelpadia ad Kjällsta; in Helsingia ad Glösbo & Löfvik; in Botnia; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Stensele, non raro; in Nordlandia Norvegica ad Björkvik, raro. Ad Hafniam passim. Valde agilis & inquieta, fere perpetuo in motu.

♂♀. Oblonga, cinerascens. Frons præsertim in ♂ longe porrecta, in ♂ antice argentea nitidissima, plerumque subintegra, interdum per rimam angustam nigram interrupta, ut in *T. argyrocephala* Ins. Lapp.; in ♀ antice nigra, utrinque argenteo-micans; postice in utroque sexu nigra, opaca, setis haud validis utrinque bifariam positis, in ♂ antice subabbreviatis, in ♀ usque ad antennas ductis. Series vibrissarum usque ad antennarum radicem continuata. Antennæ lineares, incumbentes in ♂ longissimæ, os attingentes, in ♀ paullo breviores. Seta biarticulata, capillaris, vix ad medium incrassata. Abdomen conicum cinereum, segmentis 1:mo toto, singuloque reliquorum maculis 3 trigonis, nigris. Segmenta apice: 1 & 2 setis in singulo 2 l. 4; 3 & 4 setis in singulo circiter 8—10. Alæ hyalinæ. Nervi transversi: ordinarius subperpendicularis, rectus pone medium areæ insertus; medius apici nervi auxiliaris oppositus. Area apice aperta, curvatura paullo flexa. Spinula costæ nulla. Nervus long. 3:tius setulis 8—10 vix ad nervum transversum medium continuatis. Squamæ albæ, margine pallide flavicante. Hal-

teres testacei. Pedes parce spinulosi, tarsis in utroque sexu subnudis, ungvibus pulvillisque minutis. In illæsis individuis masculorum abdomen lateribus ex maculis albis micat.

17. *T. argyrocephala:* cinerascens, epistomate albo; fronte distincte prominente, antice argentea, postice cinerea, vitta media continua atra; antennis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis maculis trigonis trifariam positis, pedibusque, nigris; vibrissis continuis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 372. 230. ♂♀. *Metopia* Macq. Buff. 2. 127. 14. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 248. 3.

Hab. in Suecia, Jun. Jul., minus frequens; in Scania ad Abusa & Esperöd, & in Ostrogothia ad Wadstena, pauca specimina inveni. (E Sedino 8 Jun. 1842, D. *Dahlbom*).

♂♀. Valde similis & affinis priori, nec differt ab illa nisi magnitudine paullo minore, fronte nonnihil minus prominente, in utroque sexu similiter constructa, ut & antennis in ♂ paullo minoribus. Mas hujus a femina prioris (qui valde similes sunt) ægre dignoscitur, nisi frontem in ♂ *argyrocephalæ* antice serie setarum simplici, at in ♀ *leucocephalæ* eandem totam etiam antice serie setarum duplici, instructam probe observes; ad structuram ani diversam quoque attendas. ♀ vero *argyrocephalæ* præter magnitudinem minorem, vitta frontali angustiore & fronte postice utrinque cinerascente, nec obscura, a ♀ *leucocephalæ* parum discrepat. Frons ♂♀ setis tenuioribus & validioribus immixtis ornata.

18. *T. campestris:* cinerascens, epistomate albo; fronte modice prominente, vitta media lata atra; antennis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis fasciis sinuatis lineaque dorsali media angusta, pedibusque, nigris; vibrissis continuis. ♂♀. (Long. 2—1½ lin.).

Fall. Muscid. 8. 12. ♀. specimina typica. — Meig. Dipt. 4. 373. 231. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 635. 7. ♂♀. *Metopia* eadem Macq. Buff. 2. 124. 5. Meig. Dipt. 7. p. 249. 5.

Hab. in terra locis aridis, etiam in foliis fruticum & Umbellatis, per Scandinaviam, 20 Jun.—24 Aug., vulgaris; scilicet in Scania copiose; in Smolandia, Ostro- & Westrogothia, frequens; in Ölandia, D. *Boheman*; in Gottlandia ad Wamblingbo, Rohne &c.; in Helsingia ad Arbrå, Jerfsö &c., passim; in Lapponia Umensi ad Stensele, raro; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, ut & ad Björkvik Nordlandiæ pupæ inventæ, e quibus imagines d. 15 Jul. egressæ; in Dania. (E Finlandia a D. *Sahlberg* communicata).

♂♀. Similis præcedenti, a qua magnitudine paullo majore, fronte minus porrecta, vitta media latiore, & abdominis pictura nigra magis fasciata quam maculata, præcipue differt. Scutellum cinereum. Abdomen canum l. griseo-canum, 1:mo segmento toto, reliquis margine apicali sinuatim, & linea dorsali, nigris. Squamæ sub alis albæ. Reliqua ut in priori. *Mas* a *femina* ægre dignoscitur, nisi per comparationem sexus in femina frontem perparum latiorem, abdomen paullo magis depressum & latum, ut & anum acutiorem, tuberculo nullo inflexo præditum, attente observes. Setæ frontales in utroque sexu quadrifariam dispositæ, at antice in fronte maris series setarum utrinque subsimplex.

19. *T. amabilis:* cinerascens, epistomate albo; fronte modice prominente, vitta media lata atra; antennis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis fasciis subrectis lineaque dosali media angusta, pedibusque, nigris; vibrissis continuis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 374. 232. ♂♀ (nostræ simillima vide-

tur præter magnitudinem majorem). — Zett. Ins. Lapp. 636. 10. ♀. *Metopia* Meig. Dipt. 7. 218. 4.

Hab. in graminosis, mihi in littore maris præsertim obvia, in Suecia, 22 Jun., 7 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd in littore maris Balthici mense Jun. 3 specimina inveni; in Ölandia, D. *Bohemann*; in Bottnia occidentali d. 7 Sept. semel; in Lapponia Tornensi rarissime. E Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg* sub nomine "*T. campestris*" ♀ missa.

♂♀. Priori iterum simillima, sed magnitudine constanter duplo & ultra minore, abdominisque pictura paullo diversa, distincta videtur. Alarum nervus transversus ordinarius paullo pone medium areæ insertus. Abdomen oblongo-ovatum, nigrum, subnitidum, segmentis 3 ultimis basi fascia sat lata, determinata, alba, per lineam nigram interrupta. Cetera ut in *T. campestri.*

20. *T. tincta:* cinerascens, epistomate albo; fronte parum prominente, grisea, vitta media obscura; antennis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis fasciis inæqualibus lineaque dorsali media, pedibusque, nigris; vibrissis subabbreviatis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 378. 239. ♀. *Masicera* eadem Macq. Buff. 2. 122. ♀. *Metopia* Meig. Dipt. 7. 249. 7.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; specimina 2 lustravi, masculum nempe e pupa cylindrica, nuda, brunnea (in larva Lepidopteri ad Lund Scaniæ inventa) d. 18 Sept. egressum, & femineum ex Hafnia 24 Oct. 1842 pro comparatione a D. *Staeger* benigne communicatum.

♂♀. Similis *T. amabili*, major. A proxime præcedentibus fronte parum porrecta, grisea, nec cinerea, vibrissis rarioribus, parum infra medium epistomatis adscendentibus, ab-

dominis fasciis flavicantibus, nec canis, ut & nervo transv. ordinario subperpendiculari, recto, in medio, nec pone medium, areæ ultimæ inserto, abunde distincta. Antennæ in ♂ multo longiores quam in ♀. Frons in ♂ nonnihil angustior quam in ♀, in utroque sexu grisea, vitta media latiuscula nigra, serie setarum in ♂ subbifariam, in ♀ quadrifariam posita, in utroque sexu nonnihil infra antennarum basin simpliciter continuata. Abdomen ovatum, convexum, nigrum, subnitidum, fasciis in basi segmentorum 2, 3 & 4 cinereo-flavicantibus, opacis, per lineolam mediam tenuem interruptis; harum 1:ma valde angusta, 2:da mediocris, ultima latior. Alæ hyalinæ. Nervi: longitudinalis 3:tius basi fere ad nervum transv. medium parce setulosus; transversus ordinar. minutus paullo ante apicem nervi long. 1:mi ductus; long. 4:tus minus perspicue infra angulum continuatus. Squamæ sordide albæ. Pulvilli & ungves maris nonnihil majores feminæ. Reliqua ut in priori.

21. *T. spathulata:* nigra, subnitida, fronte parum prominente, albo-micante; epistomate, thoracis vittis subquinis obsoletis, abdominisque fasciis 3 angustis, albis; antennarum articulo ultimo cuneiformi, vibrissis continuis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 7. 9. ♀. (erit ♂) ipsissima. Meig. Dipt. 4. 369. 225. (secundum Fall. transscripta).

Hab. in Suecia rarissime; a me non nisi in Scania ad prædium Abusa prope Lund mense Aug. ante plures annos semel capta; e Westrogothia a D. *Gyllenhal* missa; at in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam recentiori tempore quoque inventa erit, teste D. Prof. *Wahlberg*.

♂♀. Oblonga, subcylindrica, subcærulescenti nigra, nitida. Frons modice lata, parum albo-micans, vitta media obscura, opaca, serie setarum superne utrinque in ♂ duplici, in

♀ quadruplici, infra antennas per setas 2 l. 3 continuata. Epistoma albo-micans, vibrissis continuis, magnis, rigidis. Antennæ maris longitudine fere epistomatis, feminæ paullo breviores, articulis in utroque sexu 1 brevissimo, 2 brevi, setoso, 3 magno & præsertim in ♂ versus apicem distincte dilatato, apice truncato, seta, ni fallor, 3-articulata, articulis 1:mo brevissimo, 2:do brevi, 3:tio capillari, fere ad medium incrassato. Mystaces validi. Setæ sub ore plures. Thorax levissime albo-micans, lineolis anticis 4 obscuris, minus perspicuis. Scutellum immaculatum. Abdomen cylindrico-conicum, æneseenti nigrum, segmentis 2, 3 & 4 basi cingulo angusto albo. Segmentum 1:mum breve, inerme, 2 & 3 in medio & apice setis parce sparsis, 4:tum setis majoribus & minoribus crebré vestitum. Venter pilosus niger. Nervi: transversus medius mediocris, apici nervi long. 1:mi oppositus; ordinarius subperpendicularis, rectus, paullulum pone medium areæ apicalis insertus; apicalis distincte incurvatus; longitudinales 3:tius basi usque ad transversum medium setulosus, 4:tus infra angulum acutum brevissime l. parum continuatus. Area apicalis occlusa, breviter petiolata, mox ante apicem in costam educta. Spinula costalis adest. Squamæ albæ. Pedes nigri, setosi, pulvillis & ungvibus minusculis, non autem minutis. — In dispositione generum Meigeniana nullum aptum locum habet hæc species, *Scopoliæ* affinis, sed antennarum forma &c. diversa.

*Obs.* In annotationibus meis allatam lego speciem hoc nomine & indicio: "*Tach. seticeps* mihi ♀: simillima *T. spathulatæ* ejusque omnino diagnosis & discriptio; & differt solummodo antennis angustioribus, linearibus, nec extrorsum dilatatis. In Ostrogothiæ monte Omberg a D. *Boheman* 1834 capta." Sed cum specimen ad manum mihi hodie non est, nihil amplius dè illo jam dicere possum.

22. *T. vilis:* nigra, subnitida, fronte subprominente obscura, epistomate, thoracis vittis subquinis, scutello,

abdominisque maculis albo-micantibus; antennis mediocribus, linearibus; vibrissis abbreviatis. ♂. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; in prato paludoso ad Rohne Gottlandiæ 9 Jul. 1841 semel capta.

♂? Subsimilis *T. deviæ* (12), sed magnitudine minore & variis aliis notis diversa. Nigra. Frons subprominula, levissime l. parum cinereo-micans, inter oculos sat magnos rufos modice angusta, vitta media parum lata obscura nigra; series setarum superne quadruplex, parum infra antennas continuata, & juxta illas simplex. Antennæ epistomate nonnihil breviores, articulo 2:do brevi superne setoso, ultimo mediocri, seta longe capillari, 3-articulata, articulis basalibus brevissimis, 3:tio non ad medium incrassato. Epistoma retusum, vibrissis haud distinctis, vix ad medium sensim decrescendo assurgentibus; apice subreflexum, margine albo. Thoracis vittæ albidæ latæ haud perspicuæ. Abdominis maculæ albicantes haud determinatæ, in basi segmentorum 2, 3 & 4 fascias interruptas formant. Segmenta subæqualia, 1:mum inerme, reliqua apice setosa, nempe segmentum 2:dum setis 2, 3:tium circiter 10, & 4:tum fere totidem. Alæ subfumato-hyalinæ, nervis ut in *T. devia* directis. Nervus long. 3:tius basi setulis 7 l. 8. Squamæ albæ. Pulvilli & ungves parvi.

23. *T. silvatica:* oblongo-ovata, nigra, epistomate subargenteo; fronte subprominula, lata, cinerea, vitta atra; thoracis vittis abdominisque tessellis, albidis; scutello ferrugineo; alis inermibus; antennis longissimis, seta valida, 2-articulata; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 4 lin. & ultra).

Fall. Muscid. 12. 20. ♂♀. typica. — Meig. Dipt. 4. 380. 243. ♂♀. *Masicera* Macq. Buff. 2. 119. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 241. 17. t. 71. f. 6. ♂.

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ pascuis & sylvaticis, interdum in Umbellatis mense Julio & Aug.,

rarius; scilicet in Scania ad Esperöd prope montem Stenshufvud; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synomymia communicata).

♂♀. Inter majores generis. Robusta. Frons subprominens, lata, cinerea, vitta media atra, macula supra antennas rufa; in ♂ parum angustior, serie setarum validarum utrinque subsimplici, in ♀ utrinque duplici, in utroque sexu per setas 5 l. 6 infra antennas simpliciter descendente. Antennæ incumbentes, longitudine epistomatis, articulo 1 brevi, 2 parum longiore, superne setoso, 3 longissimo lineari, seta valida, ultra medium incrassata, 2-articulata, articulo 1:mo brevissimo. Epistoma subperpendiculare, vibrissis inferne paucis. Seta mystacina valida. Setæ sub ore plures. Palpi flavi. Thoracis vittæ 5 latæ, albidæ, abruptæ, antice evidentiores. Scutellum rufo-testaceum. Abdomen nigrum, segmentis 1:mo brevi, immaculato, 2, 3 & 4 basi late maculis albo-micantibus. Singulum segmentorum 1 & 2 apice setis 2; segmentum 3:tium apice setis pluribus, & 4:tum undique sparse setosum. Alæ hyalinæ, basi subfuscæ. Nervi transversi: medius inter apices nervi auxiliaris & longitudinalis 1:mi ductus; ordinarius parum obliquus, subinflexus, paullo pone medium areæ insertus; apicalis rectus. Area apice aperta, paullo ante apicem alæ in costam excurrens. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—6 approximatis. Spinula costæ vix ulla. Squamæ albæ. Pedes setosi, ungvibus & pulvillis in ♂ sat magnis. — ♂ abdominis lateribus macula rufa obsoleta.

21. *T. plebeja:* oblonga, cylindrica, cana, capite argenteo; fronte subprominula, lata, vitta rufescente; abdomine nigro-micante, lateribus tibiisque ferrugineis; antennis pedibusque nigris; alis inermibus; costa spinula distincta; antennis elongatis, extrorsum latioribus, seta valida, 3-articulata; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Fall. Muscid. 13. 22. ♂♀. Meig. 4. 343. 180. ♂♀. 7. 191. 71. Macq. Buff. 2. 143. 17. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, in hortis & pratis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 29 Jun.—20 Aug., passim frequens; scilicet in Scania vulgaris; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Lummelund, Ruthe, Nähr, Gothem, Furillen, Kyllej, Hafdhem &c., mihi copiose obvia; ad Hafniam, D. *Staeger.* (E Glogavia & Reinerzi Silesiæ a D. *Zeller* quoque missa).

♂♀. Angusta, cana. Caput argenteum, nitidum. Frons in utroque sexu subæque lata, vitta media ferruginea; superne serie quadruplici setarum, infra antennas per setas utrinque 2 descendente. Antennæ epistomate nonnihil breviores liberæ, nigræ, articulo 1 brevissimo subnudo, 2 duplo longiore unisetoso (in ♀ rufis); 3 antecedente fere triplo longiore, versus apicem (præcipue in ♂) subdilatato, seta valida 3-articulata, articulo 1 brevissimo, 2 fere triplo longiore (præsertim in ♂). Epistoma subperpendiculare, inferne vibrissis 2 l. 3. Abdomen nigrum, segmento 1:mo brevi, immaculato, reliquis basi late indeterminate canescentibus; tribus primis in ♂ lateribus late, duobusque in ♀ lateribus anguste, rufo-testaceis; sed variat quoque ♀ abdomine macula laterali rufa deficiente. Segmentum 1 inerme; 2:dum setis 2 in disco & 2 in apice; 3:tium setis 2 in disco & 8—10 in apice; & 4:tum sparse setosum. Alæ hyalinæ, basi pallidæ, nervis ut in priori directis, sed angulus nervi 4:ti magis arcuatus, areæ apex plerumque subocclusus & parum ab apice alæ remotus, ut & spinula costæ subgemina distincta. Setulæ ad basin nervi 3:tii ut in priore. Squamæ albissimæ. Tibiæ in medio late fuscotestaceæ, ungvibus & pulvillis parvis.

25. *T. Soror:* oblonga, cylindrica, cinerea, capite argenteo; fronte subprominula, modice lata, vitta lutea; abdomine nigro-micante, lateribus ferrugineis; alarum nervo long. 3:tio basi setuloso; costa spinula; antennis

parum elongatis, nigris, extrorsum sublatioribus, seta valida, 3-articulata; vibrissis nullis; pedibus nigris. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Suecia rarissime; femina in Pinetis ad Lackalänga prope Lund Scaniæ 26 Jul. 1837 a D. *Dahlbom* semel lecta; & mas in Scania ad Esperöd a me inventus.

♂♀. Habitus *T. lateralis*, sed oculis nudis &c. dignota. A *T. nigripede* palpis flavis &c. differt. A priori, cui adhuc similior, antennis paullo brevioribus, fronte angustiore, tibiis nigris &c., mox dignoscitur. Frons in ♂ angustata, serie setarum utrinque simplici, in ♀ latior, serie setarum utrinque duplici; in utroque sexu hæc series per setas tres infra antennas simpliciter descendit. Antennarum articulus ultimus 2:do vix duplo longior. Thorax cinereus, nec canus, lineolis 4 nigris obsoletis. Abdomen ut in præcedente, sed maculæ laterales rufæ distinctiores & in utroque sexu subæquales. Alæ omnino ut in priori, sed setulæ basales in nervo 3:tio plures, 7—8—14, magisque remotæ. Pedes toti nigri. Reliqua ut in *T. plebeja*. — *Tach. argyreatæ* Meig. Dipt. 4. 316. 133 etiam valde similis videtur, sed illa a nostra differt: "vitta frontali atra", nec fulva. Dubium quoque de identitate remanet, cum Cl. Auctor nihil de setularum numero & distantia in nervo 3:tio commemorat. — Specimen antennarum articulis 1 & 2 basalibus rufis, alias *T. Soror* simillimum e Glogavia sine nomine obtinui.

26. *T. futilis:* oblonga, nigra, capite argenteocano; fronte subprominente, angustata (♂), cinerea, vitta atra; thoracis vittis subquinis, abdominisque fasciis 3, albicantibus; alis subinermibus; costa spinula; antennis elongatis, linearibus, seta mediocri, biarticulata?; vibrissis spuriis. ♂. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; duo tantum individua vi-

di, unum in Gottlandia ad Garde 29 Jun. 1819 a me inventum, & alterum ad radicem alp. Åreskutan Jemtlandiæ 4 Aug. 1810 a D. *Dahlbom* lectum.

♂. A *T. silvatica* magnitudine minore, a *tibiali* (51) tibiis nigris, & a *nigripede* (52) palpis flavis, facile dignoscitur, his alias haud dissimilis. Frons angustata, cinerascens, vitta atra, setis utrinque tenuioribus superne simplici serie ornata. Setæ vero 6—7 utrinque serie duplici sitæ paullo infra antennas descendunt. Antennæ longitudine fere epistomatis perpendicularis, articulo 2:do breviusculo, setoso, ultimo saltem triplo longiore, lineari, seta (an triarticulata?) vix ad medium incrassata. Vibrissæ inferne paucæ. Abdomen subconicum, dense pilosum, nigrum, subnitidum, segmentis 2, 3 & 4 basi fascia subinterrupta albida. Segmenta: 1:mum apice setis 2; 2:dum setis in disco 2, in apice circiter 10; 3:tium setis ut in 2:do; 4:tum undique setosum. Alæ ut in *T. silvatica* (23), sed nervus transversus ordinarius magis rectus & fere in medio, nec pone medium, areæ insertus, ut & spinula costæ distinctior. Squamæ albæ. Pedes ut in *T. silvatica.* Specimen Jemtlandicum a Gottlandico differt: corpore magis cærulescenti nigro & nervo transverso ordinario subflexo, fere pone medium areæ inserto; vix vero specie distincta.

27. *T. albisquama:* oblonga, nigra, capite argenteo; fronte subprominente, lata, cana, vitta atra; thoracis vittis 5 latis, abdominisque fasciis 3, albidis; alis subinermibus; costa spinula nulla; antennis elongatis, linearibus, seta biarticulata, longe capillari, basi incrassata; vibrissis spuriis. ♀? (Long. 3 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in littore maris Balthici ad Esperöd in paroecia Mellby d. 30 Jul. 1818 semel a me deprehensa.

♂? A priori, cui in ceteris similis, differt: fronte latiore, setis validioribus, utrinque duplici, nec simplici, serie

dispositis, antennarum seta longiore, apice longius capillari, corpore distinctius albo-micante, alarum nervo transverso ordinario, paullo pone medium, nec in medio, areæ inserto, spinula costæ deficiente l. minuta ut & pulvillis & ungvibus parvis. Squamæ sub alis totæ niveæ. Abdomen conicum, segmento 1:mo brevi, apice setis 2. Reliqua ut in *T. futili.*

*Obs.* Sub nomine: "*Tach. inflexa* Boucheo", specimem e Glogavia a D. *Zeller* obtinui, a nostra *albisquama* vix per aliud dignoscendum, quam quod setæ tantum 3 (nec 6) infra antennas descendant. Talem etiam in Gottlandia ad Ejsta 2 Jul. 1841, invenit D. *Dahlbom.* An ♂ *T. albisquamæ?* Sed ungves & pulvilli minuti feminam indicant.

28. *T. sordidisquama:* oblonga, nigra, capite argenteo; fronte subprominente, lata, cana, vitta atra; thoracis vittis 5 latis, abdominisque cingulis 3, albidis; alis subinermibus, basi squamisque flavidis; costa spinula nulla; antennis subelongatis, linearibus, seta biarticulata, basi incrassata; vibrissis nullis. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lindholmeir 10 Jul. a D. *Dahlbom* in uno specimine inventa.

♀. Præcedenti iterum simillima, sed antennis setaque nonnihil brevioribus, setis frontalibus 3 l. 4 infra antennas utrinque simplici tantum serie descendentibus, alis basi flavescentibus, nec fuscis, squamis albo-flavis, nec niveis, ut & area ultima fere in apice alæ, nec paullo ante apicem, terminata, certe distincta. Nervus transvers. ordinarius fere in medio areæ insertus. Similis *T. muscariæ* n:o 45.

29. *T. pacta:* oblonga, cinerea, opaca; fronte subprominente, angusta (♂), grisea, vitta atra; thoracis lineis 4 nigricantibus; alis inermibus, basi squamisque fusco-flavis; costa spinula minuta; antennis epistomate paullo brevioribus linearibus, seta biarticulata, basi in-

crassata, pedibusque, nigris; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 324. 146? ♂. *Fabricia* Meig. Dipt. 7. 251. 1. t. 71. 36. 38. ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; ad Lund & Abusa Scaniæ 2 individua inveni; plura vero specimina mascula nuper e pupa exlusa, palpis flavis, sub nomine: "*T. pacta* Meig." obtinui a D. *Staeger*, qui simul testatur "larvam in *Carabo violaceo* vivere". (E Glogavia femina mare paullo minor & oculis magis remotis, forte hujus? mihi missa).

♂♀. Griseo-cinerea. Series setarum tenuiorum frontalis utrinque in ♂ simplex, in ♀ duplex. Infra antennas setæ utrinque tantum 2 l. 3 in utroque sexu descendunt. Antennæ & seta ut in priori, sed illæ paullo breviores, angustæ, articulo ultimo 2:do triplo longiori. Epistoma subperpendiculare, vibrissis infernis, decrescentibus. Os non prominens. Thoracis lineæ anticæ 4 nigræ. Abdomen conico-subcylindricum, totum griseo-cinereum, vestigio lineolæ dorsalis fuscæ in segmentis 2 & 3; pubescens, sed parum setulosum, nisi ad latera & in apice. Segmentum 1:mum breve, reliqua ima basi cingulo angusto albido. Alarum nervi transversi; medius apici longitudinalis 1:mi suboppositus; ordinarius paullo inflexus, fere in medio areæ insertus; apicalis rectus parum ante apicem alæ in costam excurrens. Area subocclusa. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—4 approximatis. Spinula costæ minuta. Squamæ flavidæ. Pedes nigri, ungvibus & pulvillis in ♂ paullo majoribus, quam in ♀. — Valde similis & affinis *T. cinereæ* N:o 35.

*Obs.* Palpi in specie Meigeniana "nigri," in nostra semper flavi.

30. *T. geniculata:* oblonga, cinerea opaca; fronte subprominente, lata (♀), grisea, vitta brunnea; episto-

mate albo, ore prominulo; thoracis lineolis 4 fuscis; antennis elongatis, validis, nigris, basi rufis, seta biarticulata, basi incrassata; alis inermibus, spinula costæ parva; pedibus nigris, genubus tibiisque flavis; vibrissis nullis. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Abusa in floribus Achilleæ Millefolium 9 Sept. 1816 semel lecta.

♀. Statura & color corporis flavo-cinereus prioris. Frons lata, serie setarum mediocrium utrinque duplici. Setæ 3—4 utrinque infra antennas descendunt. Antennæ longitudine fere epistomatis, articulo 2:do brevi, rufo-piceo, ultimo 2:do triplo longiore, valido, atro. Epistoma perpendiculare, margine oris antico reflexo. Palpi sat magni, flavi. Thoracis lineolæ anticæ 4, abruptæ, nigræ, 2 mediæ tenuissimæ. Abdomen convexum, immaculatum, basi macula laterali in segmentis 1 & 2 flava, certo situ conspicienda. Segmenta subæqualia, 1:mum in apice setis 2; 2:dum setis in disco 2 & in apice 2; 3:tium setis in disco 2—3, in apice pluribus; 4:tum sparse setosum. Præterea setulæ aliquot ad latera abdominis, ut communiter, observantur. Alæ cinereæ, basi præsertim nervis flavicantes. Nervi transversi: medius ante apicem longitud. 1:mi ductus; ordinarius subflexus, paullo pone medium areæ insertus; apicalis elongatus, rectus. Area mox ante apicem alæ educta, aperta. Curvatura nervi 4:ti angulo obtusissimo. Nervus 3:tius basi setulis 3—4. Squamæ non magnæ, flavido-albæ. Halteres subnudi, pallidi. Pedes nigri, femorum apice tibiisque testaceis. Pulvilli & ungves parvi. — Affinis *T. pallipedi* infra. Forte generis *Masiceræ*.

31. *T. furibunda:* ovata, flavido-cinerea, opaca, capite concolore; fronte subprominula, latissima (♀), vitta brunnea; antennis elongatis, linearibus, nigris, basi rufis, seta biarticulata, ad medium subincrassata; scutello apice

rufescente; alis inermibus, spinula costæ minuta; pedibus nigris; vibrissis spuriis. ♀. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Abusa semel capta.

♀. Setæ frontales validæ, superne duplici serie dispositæ, infra antennas setæ 3 l. 4 descendunt. Antennæ longitudine fere epistomatis perpendicularis, articulo ultimo lineari, nigro, quam 2:do rufo triplo longiore; seta elongata. Vibrissæ inferne paucissimæ. Palpi exserti flavi. Thoracis lineolæ 4 anticæ tenues, valde obsoletæ. Abdomen convexum. Segmentum 1 breve, apice bisetosum; 2 apice 4-setosum; 3 apice circiter 10—12-setosum; ultimum sparse setulosum. Alæ ut in priori, sed curvatura nervi long. 4:ti minus obtusa (angulus fere rectus), area paullolongius ante apicem alæ terminata, & nervus long. 5:tus mox infra nervum transv. ordinarium abbreviatus. Spinula vix ulla. Squamæ flavo-albæ.

32. *T. scutellata:* ovata, obscure cinerascens, capite argenteo-micante; fronte minus prominula, modice lata, cinerea, vitta obscure ferruginea; antennis elongatis, nigris, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; scutelli apice rufescente; thoracis lineolis 2, abdominis fasciis pedibusque nigris; alis inermibus; spinula costæ nulla; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 640. 27. ♀. (Sub nomine *T. nigripes* & *clypeata* olim vendita).

Hab. in Suecia valde rara; scilicet in Ölandia rarissime; e Westrogothia utriusque sexus specimina nuper exclusa 1828 a D. *Gyllenhal* missa; in Betula ad Muonioniska Lapponiæ Tornensis 17 Aug. 1821 feminam unicam inveni.

♂♀. Priori similis, differt vero colore obscuriore, nec flavido, fronte nonnihil minus prominula, antennis totis nigris, alarum areæ ultimæ apice propius ad apicem alæ educto,

nervo long. 5:to fere ad marginem interiorem continuato, & squamis albis, nec flavidis. Frons in ♂ angustior, serie setarum haud validarum utrinque simplici; in ♀ latior, serie setarum utrinque duplici. Thorax obscure cinereus, lineolis 2 anticis nigris. Scutelli summus apex rufescit. Abdomen ovatum: 1:mo segmento brevi; totum nigrum, pilosum, in disco & margine segmentorum parce setosum; basi segmentorum 2, 3 & 4 late cinerea, fascias 3 subinterruptas cinereas formante. Tarsi in ♂ apice pilosi, ungvibus pulvillisque majusculis; in ♀ nudi ungvibus pulvillisque parvis. Reliqua ut in priori. — Affinis *T. scutellari*, vibrissis paucis, & tantum infernis distincta.

33. *T. flavo-scutellata:* ovata, obscure cinerea, capite argenteo micante; fronte subprominente, modice lata, griseo-cinerascente, vitta obscure ferruginea; antennis elongatis, nigris, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; scutello toto rufo-testaceo; thoracis lineolis 4, abdominis subinermis fasciis pedibusque nigris; alis inermibus; spinula costæ nulla; nervo transverso apicali subcurvo; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Hab. in Suecia media rarius; plura specimina utriusque sexus nuper e pupis, quæ iterum e *Lophyri* pupis proventæ fuerunt, egressa mecum communicavit D. *Marklin.*

♂♀. Similis & affinis *T. scutellatæ*, a qua vero scutello fere toto flavo-rufo, abdomine, præter segmentum ultimum setulosum, absque setis, fasciis cinereis angustioribus, ut & nervo transverso apicali subincurvo, paullo longius ab apice alæ in costam excurrente, differt. Thorax cinereus, lineolis 4 abbreviatis, angustis, nigris, lateralibus interruptis. Abdomen nigrum, subnitidum, segmento 1:mo vix breviore, atro, nudo, reliquis basi fascia cana, per lineolam nigram interdum vix conspicuam, subinterrupta. Segmenta 2 basalia inermia, 3:tium apice setis paucis, 4:tum sparse setosum. Alæ hyalinæ, nervis basi fuscis. Area ultima apice anguste

aperta. Femina mare sæpius major. Cetera ut in præcedente.

*Obs.* Sub nomine *T. imberbis* olim cognita. *T. imberbis* vero mihi Ins. Lapp. longe alia est species, jam ad *Miltogrammæ* genus relata.

34. *T. validicornis:* ovata, obscure cinerea, capite argenteo-micante; fronte subprominente, modice lata, cinerea, vitta fusca; antennis longitudine epistomatis, validis, seta biarticulata, ad medium incrassata, thoracis lineolis 4, abdominis segmento 1:mo, pedibusque, nigris; scutello apice rufo; alis inermibus, basi squamisque flavidis; spinula costæ minuta; nervo apicali subrecto; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 640. 29. ♂♀.

Hab. in Lapponiis Suecicis, 13—17 Aug., in Betuletis juxta rivulos mihi raro obvia; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele, & in Tornensi ad Muonioniska parce inventa.

♂♀. Priori iterum similis, sed antennis, præcipue in ♂, paullo longioribus & validioribus, scutello tantum apice rufescente, abdomine opaco magis setoso & præter 1:mum segmentum subbreve atrum toto cinerascente, alis basi pallidis, angulo nervi 4:ti magis obtuso, nervo transverso apicali parum incurvo, ut & squamis in primis margine flavidis, nec albis, vere distincta. Abdomen convexum, segmentis 2 & 3 disco & apice setosis, 4:to sparse setoso. Anus maris rotundatus, ater, nitidus.

35. *T. cinerea:* ovato-oblonga, cinerea, capite argenteo-micante; fronte subprominente, modice lata, grisea, vitta nigra; antennis elongatis, angustis linearibus, seta biarticulata, basi incrassata, thoracis lineis 4, abdominis lineola dorsali interrupta, pedibusque, nigris; alis iner-

mibus; spinula costæ minuta; squamis albis; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Fall. Muscid. 20. 39. ♂♀. vera & originaria. Meig. Dipt. 4. 417. 309. ♂♀. *Masicera* Meig. 7. 240. 9.

Hab. in graminosis, in hortis & arvis, sæpe etiam locis arenosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 24 Jun.—26 Jul., passim; in copula; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Lindholmen, Esperöd &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Gusum? &c., haud raro; in Ölandia, D. *Boheman*; in Gottlandia ad Slitö & in gramine horti Nähr &c. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Simillima *T. pactæ* (29), a qua vix nisi magnitudine minore & squamis sub alis albis, nec flavidis, dignoscitur. Tota cinerea. Frons in ♂ angusta, serie setarum tenuiorum utrinque simplici; in ♀ modice lata, serie setarum duplici, in utroque sexu per setas 2—3 infra antennas descendente. Antennæ longitudine fere epistomatis subperpendicularis, articulo ultimo 2:do triplo longiore. Seta tantum basi incrassata. Thoracis lineæ 4 nigræ, subæquales. Abdomen oblongo-ovatum, totum flavido-cinereum, segmentis: 1:mo brevi, inermi, ante scutellum excavato; 2:do & 3:tio apice parce setosis, linea media fusca, interdum obsoleta; 4:to sparse setuloso. Alæ hyalinæ, nervis basi fuscis. Nervi transversi: ordinarius inflexus, paullo pone medium areæ insertus; apicalis rectus, mox ante apicem alæ excurrens. Area ultima apice parum aperta. Nervus 3:tius basi setulis 3—4. Angulus nervi 4:ti subobtusus. Tarsi in ♂ apice pilosi, ungvibus pulvillisque mediocribus, in ♀ subnudi, ungvibus pulvillisque minoribus. — Var. ♀ antennis basi rufis.

36. *T. usta:* oblongo-ovata, nigra, capite obscuro; fronte subprominente, modice lata, vitta nigra; antennis elongatis, angustis, linearibus, seta biarticulata, basi in-

crassata; thoracis lineolis 4 atris; alis inermibus; spinula costæ minuta; squamis flavis; vibrissis spuriis. ♀. (Long. circiter $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; ad Sanda Gottlandiæ d. 1 Jul. 1841 specimen descriptum inveni. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia communicata individua subsimilia).

♀. *Masiceræ* forte generis Meig. — A *T. cinerea*, cui structura partium similis, colore mox differt. Tota nigra, opaca, capite fuscescente, genis in nostro specimine ferruginantibus. Frons non lata, serie setarum tenuiorum utrinque subduplici. Antennæ, seta, epistoma & oculi ut in priori. Palpi flavi, retracti. Alæ omnino ut in præcedente, etiam quoad nervorum directionem. Squamæ pallidæ. Abdomen ovale, subdepressum, vix nisi postice setosum. Pedes ut in priori.

*Obs.* Specimina Glogaviensia, inter quæ etiam mascula (fronte angustiore, serie setarum simplici, thorace fuscescente & pulvillis majoribus) sunt, abdomine etiam antice parce setoso & spinula costæ majore, a Gottlandico differunt.

37. *T. pilipennis:* ovata, cinerea, capite margaritaceo; fronte vix prominente, lata, grisea, vitta ferruginea; antennis longitudine fere epistomatis perpendicularis, modice latis, nigris, basi rufis, seta triarticulata, articulis basalibus brevibus; abdomine atro, cingulis 3 niveis subinterruptis; pedibus nigris; alarum nervis alternis setulosis; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 18. 35. ♂♀. var. "antennis basi flavis." Meig. Dipt. 4. 352. 196. ♂♀. *Senometopia* Macq. Buff. 2. 113. 31. *Thryptocera* Meig. 7. 243. 8.

Hab. in floribus Umbellatarum & foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 20 Maj.—21 Jul., passim; scilicet in Scania ad Björnstorp, Abusa, Esperöd,

&c. sat frequens; in Ostrogothia ad Wadstena raro, ipse, & ad Gusum, D. *Wahlberg;* ex Upsālia a D. *Marklin* missa; in Dalecarlia, D. *Boheman.* (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Alarum nervis setosis a prioribus mox dignota. Frons sat lata, serie setarum utrinque duplici, vix infra antennas descendente. Antennæ incumbentes, validæ, articulo ultimo 2:do triplo longiore. Seta mediocris, articulo 1:mo brevi, ultimo apice capillari. Palpi dilute flavi. Thorax cinereus, immaculatus. Scutellum cinereum apice summo rufescente. Abdomen ovale, atrum, nitidum, cingulis 3 angustis, niveis, subinterruptis, ad basin segmentorum 2, 3, 4 sitis. Segmenta subæqualia, 1 inerme, 2 & 3 apice parce setosa, 4:tum sparse setulosum. Alæ latiusculæ. Nervi longitudinales: 1 totus, 3 ultra transversum ordinarium, & 5 ad transversum medium, concinne setulosi; 4:tus arcuatim flexus in sūmmo apice alæ excurrens; transversus ordinarius subperpendicularis, rectus, medio areæ insertus; area ultima apice parum aperta; spinula costæ minuta. Squamæ flavo-albæ. Pedes nigri, ungvibus & pulvillis parvis. Specimina abdomine subcylindrico-conico & ano crassiore, ut mascula, & abdomine magis ovali & depresso ut feminea considero, in ceteris vix discrepantia. — Variat ♀ antennis totis flavis.

*Obs.* Si antennarum seta vere est 3-articulata, articulus 1:mus tam brevis existit, ut etiam bene armato oculo vix observandus.

38. *T. crassicornis:* ovata, cinerea, capite margaritaceo; fronte vix prominente, lata, grisea, vitta ferruginea; antennis longitudine fere epistomatis perpendicularis, latissimis, nigris, seta triarticulata, articulis basalibus brevibus; abdomine atro, cingulis 3 niveis subinterruptis; pedibus nigris; alarum nervis alternis setulosis; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 351. 195. ♂♀. *Thryptocera* Meig. 7. 213. 6. Macq. Buff. 2. 114. 35. *Tach. pilipennis* Fall. Muscid. 18. 35. var. 'antennis nigricantibus,' certe. Nec *Tach. spinipennis* Meig. 4. 350. 192. seu *Thryptocera* eadem Meig. Dipt. 7. 213. 7. multum ab hac abludere videtur.

Hab. in Scania cum priore, mense Julio, frequentius; at supra Scaniam hanc non nisi rarissime legi, ex. gr. in prato Gottlandiæ ad Lärbro 26 Jul. 1841 semel.

♂♀. Simillima præcedenti, cum qua a Cel. *Fallén* permixta fuit; ut ex collectione ejus vidi. Differt a priore antennis multo magis dilatatis, & plerumque totis brunneo-nigris, raro basi obscure piceis. In ceteris conveniunt.

39. *T. infantula:* ovata, cinerea, capite margaritaceo; fronte vix prominente, lata, grisea, vitta ferruginea; antennis longitudine fere epistomatis perpendicularis, latis, nigris, basi fuscis l. luteis, seta triarticulata, articulis basalibus brevibus; abdomine atro, cingulis 3 niveis subinterruptis; alarum nervo long. 3:tio nonnihil ultra transversum medium setuloso; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Hab. in Suecia meridionali, mense Julio, rarius, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Esperöd & Abusa 6 individua inveni.

♂♀. *T. pilipenni* (37) simillima, magnitudine vero constanter duplo minore, antennis proportione nonnihil latioribus, abdominis cingulis angustioribus, ut & nervo tantum longit. 3:tio nec nervis alternis, paullo ultra transversum medium setuloso, vere distincta.

40. *T. versicolor:* ovata, cinerea, capite margaritaceo; fronte parum prominente, lata, grisea, vitta

ferruginea; antennis longitudine fere epistomatis subperpendicularis, validis, brunneo-nigris, basi rufis, seta triarticulata, articulis basalibus brevibus; abdominis cingulis 3 albidis; pedibus flavis; alarum nervo long. 3:tio usque ad transversum medium setuloso; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. circit. 2 lin.).

Fa[illegible] 19. 36. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 351. 198. *Thry*[illegible] 48, 13.

Hab. in Suecia meridionali, 1 Jun.—2 Jul., rarius; scilicet in Scan[illegible] aliis vernalibus, circa Lund &c., parce visa; in copula semel capta.

♂♀. Similis iterum *T. crass*[illegible]tudine paullo majore, antennis basi rufis, th[illegible]ido-griseo, abdomine convexo concolore, alar[illegible] long. 3:tio a basi ad nervum transversum medium se[illegible]loso, ut & pedibus rufo-flavis, abunde distincta. Abdominis segmentum 1:mum totum, reliqua apice, femora antica latere postico, tarsique omnes, fuscescentia. Palpi exserti, flavi.

41. *T. rufina:* oblongo-ovata, cinerea, capite flavido; fronte parum prominente, lata, vitta fulva; antennis longitudine fere epistomatis validis, brunneo-nigris, basi rufis, seta breviuscula, crassa; scutello, abdomine pedibusque rufo-ferrugineis, tarsis nigris; alarum nervo long. 3:tio basi setuloso, vibrissis spuriis. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 641. 33. ♀. An *Tach. bicolor* Meig. Dipt. 4. 351. 199? *Thrypiocera* Meig. 7. 213. 10?

Hab. in Suecia media & boreali rarissime; in Dalecarlia a D. *Boheman* detecta; in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg* lecta; mihi non obvia.

♀. Similis priori, colore alio mox dignota. Antennæ epistomate paullo breviores, valde dilatatæ, nigræ, articulis 1

& 2 totis, & 3 basi, rufis; seta articulata, nigra. Thorax totus cinereus, scapulis rufo-testaceis, scutello rufescente. Abdomen ovale, rufum, segmentorum margine basali albido. Squama sub alis pallida. Alæ hyalinæ, nervis longitudinalibus: 3:tio basi multisetoso, 4:to arcuatim flexo in summo apice alæ excurrente.

42. *T. lætabilis:* oblonga, flavo-cinerea, opaca, capite flavo; fronte subprominente, lata, vitta brunnea; antennis longissimis, linearibus, ferrugineis, apice setaque triarticulata, fere ad apicem incrassata, nigris; thoracis lineis 4, abdominis testaceo-pellucidi vitta dorsali & apice, pedibusque, nigris; alis subinermibus; vibrissis continuis. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in Ölandia semel inveni (E Glogavia sine synonymia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Magna, pulchra. Caput totum pallide flavum. Frons porrecta, lata, vitta lata, ferruginea; series setarum utrinque 8 (♂) l. 10 (♀) validarum infra antennas parum descendit. Antennæ longitudine epistomatis declivi, articulis basalibus brevissimis, rufis, ultimo 2:do 6-duplo longiori, angusto, lineari, rufo, versus apicem indeterminate brunneo-nigro, seta longitudine antennæ, articulis basalibus brevissimis, ultimo ultra medium incrassata, tota nigra. Epistoma setis vibrissinis 8—10 fere usque ad antennarum radicem utrinque ornatum. Thorax flavo cinereus, antice lineolis 2 mediis angustis, & striga laterali interrupta, nigris. Scutellum flavidum. Abdomen oblongum, cinereum, lateribus segmentorum 1, 2 & basi 3:tii late flavo-pellucidis; vitta dorsali in segmentis 1 & 2, apiceque segmentorum 3 & 4, nigris. Segmentum 1 breve. In tota nigredine abdominis setæ sparsæ, nigræ observantur. Alæ hyalinæ, costa fusca. Nervi transversi: ordinarius inflexus, paullo pone medium areæ insertus, apicalis subrectus, mox ante apicem alæ excurrens. Angulus nervi 4:ti obtusus. Area apice aperta. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—4. Spinula costæ nulla.

Squamæ albidæ. Pedes nigri, tibiis obscure testaceis. Ungves pulvillique parvi.

*Obs.* Forte *Degeriæ* aut *Metopiæ* generis Meig. Affinis & similis videtur *Tach. latæ* Meig. 4. 381. 245 seu *Frontinæ lætæ* Ejusdem 7. 248. 1., sed in illa epistoma "perpendiculare" nec declivum, vibrissæ "ad medium epistomatis", nec fere ad basin antennarum continuatæ, ut & antennæ "dilute ferrugineæ", nec rufæ, apice nigræ, dicuntur, quæ notæ in [illegible] *lætabilem* non quadrant. — Valde affinis quoque [illegible] (Tachinæ) *goniæformi* Meig., quam in pluri[illegible]iusque sexus sub nominibus: "*Physem*[illegible] *Tach. vertiginosa* Bouch." e Glogavia a D. [illegible] colore alio, capite magis buccato, & alarum [illegible] differt.

43. *T. vertiginosa:* oblonga, [illegible] genteo; fronte parum prominente, latissim[illegible] ferruginea; antennis longissimis, linearibus, ni[illegible] rufescentibus, seta triarticulata, fere ad apicem [illegible] ta; thoracis lineis 4, pedibusque nigris; scutelli apice testacea; abdominis maculis fuscis; alis subinermibus; vibrissis continuis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 12. 21. ♀. Meig. Dipt. 4. 379. 242. ♂♀. *Masicera* Macq. Buff. 2. 120. 3? *Musca marmorata* Fabr. Antl. 300. 84.

Hab. in floribus & foliis fruticum, in hortis & pratis Sueciæ meridionalis, 10 Jun.—30 Aug. passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, (D. *Dahlbom)*, Esperöd in parœcia Tranås, &c., sat frequens; in Suecia superiori semel a D. *Wahlberg* lecta. (E Glogavia a D. *Zeller* quoque communicata).

♂♀. Valde similis *Baumhaueriæ* (Tachinæ) *goniæformi* Meig., sed magnitudine fere duplo minore & fronte minus porrecta mox dignota. A *T. lætabili*, cui etiam similis & affinis,

magnitudine duplo minore; oculis minoribus; capite argenteo, nec flavo; fronte minus prominente, multo latiore, setis utrinque subtriplici serie dispositis; antennarum articulo ultimo toto nigro; thorace & scutello canis, nec flavidis; abdomine conico fusco- & cano-tessellato; alarum nervis transversis: ordinario parum flexo, apicali nonnihil longius ab apice alæ in costa excurrente, costa non infuscata; squamis niveis; ut & pedibus totis nigris, nec tibiis obscure testaceis, abunde differt. Scutellum ... rufescit. Palpi flavi. In illæsis individuis oculi ... scopicis parcissime vestiti.

*Obs.* In museo meo ad ... scandinavica individuum unicum (c...

... *...ueriæ goniæformis* Meig.: ob-... antennis longissimis, linearibus, seta 3-... ad apicem incrassata, thoracis vittis 4, ... todidem, pedibusque, nigris; capite ..., ...; fronte latissima; vitta latissima, nigricante; palpis flavis; scutelli apice rufo; alis inermibus, basi subalbidis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali subrecto ante apicem alæ excurrente; area occlusa, breviter petiolata; vibrissis subcontinuis;

sed cum nullus locus specialis patriæ annotatus est, & dubius ideo sim, an vere ut incola Scandinaviæ existimetur, hanc speciem seriei nostrarum inserere non audeo.

41. *T. scutellaris:* oblongo-ovata, cinerea, capite albicante; fronte parum prominente, latissima, vitta lata, ferruginea; antennis longissimis, validis, nigris, seta triarticulata, breviuscula, fere ad apicem incrassata; thoracis lineis 4, abdominis fasciis totidem, pedibusque, nigris; scutelli apice testaceo; alis subinermibus; vibrissis subcontinuis. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Muscid. 19. 38. ♀. Meig. Dipt. 4. 386. 255. (secundum *Fallén* transscripta).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; specimina typica e pupa nuper exclusa in Scania ad Esperöd 6—9 Sept. 1818 inveni. — In Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, (a me non comparata). — Ad Holmiam, D. *Haeffner*, teste Cel. *Fallén*.

♀. Similis iterum priori, a qua vero magnitudine paullo minore, corpore magis ovato magisque obscuro, capite minus argenteo, antennis validioribus, totis nigris, seta paullo breviore, oculis majoribus, abdomine nigro, segmentis 2, 3 & 4 basi late cinereis, sed vix tessellatis, nervo transverso apicali nonnihil longius ab apice alæ in costa extenso, ut & squamis albidis, nec niveis, satis superque distincta. Palpi flavi. Margo anticus oris pallidus.

15. *T. muscaria:* oblonga, nigra, capite subargenteo; fronte subprominente, modice lata, cana, vitta obscura; antennis longissimis, validiusculis, seta triarticulata, fere ad medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, cinereis; alis subinermibus; vibrissis abbreviatis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Fall. Muscid. 14. 26. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 402. 281. ♀. *Degeeria* Meig. 7. 249. 2. *Melopia* Macq. Buff. 2. 132. 31. ♀. *Tach. infuscata* Fall. Muscid. 14. 25. certe secundum Ejus collectionem.

Hab. in Suecia meridionali, Jun. Jul., passim, in copula sæpe capta; scilicet in Scania ad Lund, Beckaskog, Esperöd, Räften, Abusa, &c., frequens; in Gottlandia ad Kjellunge rar.; in Ostrog. rar. E Dania a D. *Staeger* missa.

♂♀. Oblonga, subangusta. Frons ♂ non lata, serie setarum utrinque simplici, in ♀ perparum latior, serie setar. utrin-

que duplici; setæ 3 infra antennas utrinque desc [illegible] tennæ longitudine epistomatis subdeclivi, nigræ [illegible] basalibus 2? brevissimis, ultimo longissimo, lin [illegible] paullo validiore, seta longa capillari articulis ba [illegible] vissimis, ultimo non ad medium incrassato. Ocul [illegible] Vibrissæ ad medium epistomatis non adscen [illegible] lutei aut obscuri. Thorax obscure cinereus, li [illegible] Scutellum cinereum. Abdomen conicum, subni [illegible] rascens, segmento 1:mo subbrevi, toto, [illegible] indeterminate nigris; setis ut in [illegible] vestitum. Alæ cinereo-hyalinæ. [illegible] narius subrectus fere in medio [illegible] fere in summo apice [illegible] aperta. Angulus [illegible] long. 3:tius basi se-to [illegible] Squamæ flavo-albidæ. [illegible] villis parvis. — Var. b. nervis [illegible] in ♀ præsertim perspicua cinctis; nec in [illegible] a. differt. *T. infuscata* Fall. l. c. ad Holmiam [illegible] *Wahlberg*. — *Obs.* Sub nomine: "*T. terminalis* [illegible]" individuum ♂ a D. *Staeger* obtinui, quod vix nisi [illegible] gditudine minore a mea specie differre videtur.

16. *T. hystrix:* oblongo-ovata, nigra, capite albo-[illegible]nte; fronte prominente, lata, grisea, vitta ferruginea; [illegible]ennis longissimis, validis, seta triarculata, ultra medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque cingulis 3, griseo-albidis, alis subinermibus; vibrissis dimidiatis. ♀. (Long. 2 lin.).

Wahlb. in litteris, 1842.

Hab. in Suecia media rarissime; in Uplandia ad Holmiam a D. Prof. *Wahlberg* detecta, mihique in uno specimine benevole communicata.

♀. A *T. muscaria*, cui affinis, differt: setis validioribus, antennis longioribus, seta fere ad apicem incrassata, fronte magis porrecta, multo latiore, capite cano, abdominis cin-

gulis flavo-cinereis, alis leviter fumatis, nec subflavidis, spinula costæ sat distincta, nervis transversis ordinario præcise in medio areæ inserto, apicali sat procul ab apice alæ excurrente, ut & setulis 2—3 basi nervi long. 3:tii longioribus. Opaca. Frons lata, serie setarum utrinque duplici ornata, vitta media lata, obscure ferruginea. Vibrissæ in medium epistomatis declivi adscendunt. Thorax obscure flavo-cinereus, lineis 4 indeterminatis, nigris. Scutellum griseum. Abdomen ovatum, nitidum, nigrum, cingulis 3 cinereo-flavis. Segmenta subæqualia, 1:mum apice setis 2, 2:dum setis in disco 2 & in apice 2, 3:tium setis in disco 2 & in apice pluribus, 4:tum multisetosum. Setæ laterales præterea adsunt. Squamæ flavido-albæ. Pedes nigri, ungvibus & pulvillis minutis.

47. *T. albo-cingulata:* oblonga, nigra [illegible] capite argenteo-micante; fronte parum promin[illegible] tiuscula, nigro-micante, vitta lata obscure ferr[illegible] nigra; antennis longissimis, validis, seta br[illegible] triarticulata, fere ad apicem incrassata; thoraci[illegible] cinereis, obsoletis; abdominis cingulis 3 albis; alarum nervo long. 3:tio basi setuloso; vibrissis subcontinuis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fall. Muscid. 16. 30. ♂♀. genuina. Meig. 4. 376. 236. ♀. *Degeeria* Meig. 7. 249. 10.

Hab. in Scandinavia, mense Julio, minus frequens; scilicet in Scania rarior; in Ostrogoth. ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Ölandia; in Gottlandia in pratis ad Fårön, &c.; in Norvegia ad Thynäs rar. (E Glogavia a D. *Zeller.*).

♂♀. Similis *T. muscariæ*, a qua magnitudine paullo minore, fronte nonnihil minus prominente, antennarum seta breviore, recta, apice tantum capillari, vibrissis fere ad radicem antennarum assurgentibus, alarum nervo transverso ordinario

recto in medio areæ inserto, apicali mox ante apicem alæ in costa excurrente, ibique cum 3:tio long. intime conjuncto, nervis longitudinalibus 5:to fere usque ad marginem interiorem extenso, ut & 3:tio a basi ad nervulum transv. medium tenuiter setuloso, distincta. — Palpi in nostris speciminibus flavidi sunt, in *Meigeni* specie "nigri" dicuntur.

48. *T. ocypterata:* oblongo-ovata, nigra, nitida, capite albo-micante; fronte parum prominente, latiuscula, nigro-micante, vitta angusta, fusca; antennis longis, mediocribus, seta triarticulata? fere ad medium incrassata; alis subinermibus; squamis albis; vibrissis abbreviatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 17. 32. ♀. Meig. Dipt. 4. 416. 308.

Hab. in Suecia rarissime; in Silva Esperöd Scaniæ semel, D. *Fallén*; e Westrog. a D. *Gyllenhal* missa.

♀. Similis priori, sed brevior, antennis brevioribus, minus validis, seta longiori, vitta frontali angustiori, abdomine ovato, immaculato, alarum area apicali subpetiolata, nervo long. 3:tio basi setulis 2—3, spinula costæ perspicuiore, ut & squamis albis, dignota. Thorax humeris albo-micat. Palpi flavi. Vibrissæ vix ad medium epistomatis adscendentes.

49. *T. pallipes:* oblonga, cinerea, opaca, capite albicante; fronte parum prominula, lata, grisea, vitta lata subferruginea; antennis elongatis, linearibus, nigris, basi rufis, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; scutelli apice pedibusque flavis, thoracis lineolis 2 tarsisque nigris; alis subinermibus, nervo transverso apicali recto; vibrissis abbreviatis. ♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 22. 41. var. *α.* ♀. vera. — Meig. Dipt. 4. 411. 299? ♀. *Masicera* Meig. 7. 240. 14. *Eurigaster agilis* Macq. Buff. 2. 116. 2? ♂? Tab. 14. f. 11? nimis lata.

Hab. in Suecia rarissime, tria tantum individua vidi: unum in Scania ad Lund d. 4 Jul. 1822, & alterum in Gottlandia in folio fruticis prati sylvatici ad Gothem 6 Jul. 1819 inveni, tertiumque e Glogavia a D. *Zeller* missum.

♀. Flavido-cinerea. Frons latior, utrinque bifariam setosa. Setæ 3 utrinque infra antennas descendunt. Antennæ incumbentes, lineares, nigræ fere usque ad os descendunt, articulis 2 basalibus brevibus rufis. Vibrissæ ad l. fere ultra medium epistomatis parum declivi adscendunt. Os minime prominens. Oculi certe nudi. Thoracis lineolæ anticæ 4, angustæ, harum laterales parum perspicuæ. Abdomen oblongum convexum immaculatum, segmentis: 1:o brevi, in medio excavato, apice setis 2; 2:do in disco setis 2 & in apice setis 2; 3:tio in disco setis 4 & in apice pluribus; 4:to setis sparsis haud validis. Alæ cinereo-hyalinæ, basi subflavescentes, nervis transversis: ordinario recto in medio areæ inserto, apicali recto in apice alæ excurrente; area apicalis aperta; angulus nervi 4:ti obtusus; spinula costæ parva, gemina; nervus long. 3:tius basi setis 3—4 perspicuis. Squamæ flavo-albæ. Pedes cum coxis flavi, tarsis totis nigris. Oculi in viva rufi. In altero specimine nervus transversus apicalis in medio subinterruptus seu oblitteratus, unde transitus ad sequentem ostenditur.

50. *T. antiqua:* oblonga, cinerea, opaca, capite albicante; fronte parum prominula, lata, grisea, vitta lata ferruginea; antennis elongatis, linearibus, nigris, basi rufis, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; scutelli apice pedibusque flavis; thoracis lineolis 2 tarsisque nigris; alis subinermibus, nervo transverso apicali deficiente; vibrissis abbreviatis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 412. 300. ♀. *Eurigaster* Macq. Buff. 2. 117. 5. ♂♀. *Ræselia* Meig. 7. 253. 1. Tab. 72. f. 6. ♀. *Tach. pallipes* Fall. Muscid. 22. 41. var. β. ♀.

Hab. in foliis fruticum, floribus Umbellatarum, etiam in graminosis, sæpe locis aridis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 7 Jun.—20 Aug., passim; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Blekingia passim; in Ostrogothia rarius, ex. gr. ad Gusum; in Ölandia, D. D. *Wahlberg* & *Boheman;* ad Hafniam Daniæ Sept. semel capta a D. *Staeger*. (Sub nomine *T. antiqua* quoque á D. *Zeller* e Glogavia missa).

♂♀. Præcedenti ut ovum ovo similis, excepto nervo transverso apicali, qui *antiquæ* deest, at in *pallipede* adest. Auctoritate D. *Meigeni* ut distinctam hanc propono speciem, cum Cel. *Fallén* suspicans eam tantum prioris esse varietatem, & id eo potius, quoniam in quibusdam individuis *T. antiquæ* nervus transversus apicalis rudimentarius l. inchoans saltem juxta apicem alæ observatur. Vibrissæ fere ad medium epistomatis continuantur. Ungves & pulvilli minuti. Individua abdomine paullo angustiore, magis cylindrico, antennis paullulum majoribus & interstitio frontali, ni fallor, nonnihil angustiore, ut mascula consideravi. — Variat femoribus anticis basi fuscis. Abdomen in ♀ apice sæpe nigrum, nitidum (detritum).

51. *T. tibialis:* oblonga, obscure cinerea, capite albicante; fronte subprominula, subangustata, nigro-micante, vitta nigra l. picea; antennis breviusculis, linearibus, seta biarticulata vix ad medium incrassata, thoracis lineis 3, abdominis segmentis subæqualibus 1:mo toto, reliquisque apice, pedibusque, nigris; tibiis testaceis; alis cinereis, basi fusco-flavescentibus, area subaperta fere in apice alæ exeunte; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. circit. 3 lin.).

Fall. Musc. 13. 23. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 278. 67. Zett. Ins. Lapp. 637. 14. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 191. 17. *T. æstiva* Meig. 4. 278. 68. ♂♀. *T. æstivalis* Macq. Buff. 2. 115. 24. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum, Umbellatarum &c., 15 Maj.—2 Jul., passim; scilicet in Scania ad Grönby (*Kinberg*), Börringe &c.; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum; in Westrog. ad Höberg, D. *Gyllenhal*; ad Gothoburgum, D. *Sundewall*; in Ölandia & Gottlandia, raro; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi rar.; in Dania, D. D. *Westermann* & *Staeger*.

♂♀. ♂ subcylindricus, ♀ paullo latior, robustior. Antennæ epistomate subdeclivo paullo breviores, sublineares, validiusculæ, nigræ, articulo ultimo 2:do duplo longiore. Frons in ♂ angustata, serie utrinque simplici setarum haud validarum, erectarum, in ♀ serie utrinque subduplici setarum validarum, subcurvatarum; infra antennas, in utroque sexu vix descendente. Margo oris anticus non reflexus. Palpi nigri. Thoracis lineolæ anticæ nigræ 3, harum media lata certo situ ostendens lineolas 2 tenues interstitio obscuro. Scutellum cinereum. Abdomen opacum nigrum, segmentis 3 posticis basi sat late cinereis; in medio & apice setis pluribus sparsis vestitum, segmentis 2 & 3 lateribus in ♂ plerumque macula rufa. Alæ basi distincte, costa leviter, dilute fusco-flavescentes. Nervus transv. ordinarius inflexus paullo pone medium areæ insertus. Angulus nervi 4:ti subobtusus. Nervus long. 3:tius basi setis 1—2. Spinula costæ mediocris. Squamæ albidæ, flavo-marginatæ. Pedes nigri, tibiis fere totis testaceis. Tarsi in ♂ apice pilosi, ungvibus pulvillisque magnis.

52. *T. nigripes:* oblonga, obscure cinerascens, capite albicante; fronte subprominula, subangustata, nigromicante, vitta nigra; antennis breviusculis, linearibus, seta biarticulata, vix ad medium incrassata; thoracis lineis 4, abdominis segmentis 1:mo brevi, toto, reliquisque apice, pedibusque totis, nigris; alis cinereo-hyalinis, squa-

mis albis, area subaperta, paullo ante apicem alæ in costa terminata; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Musc. 13. 24. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 357. 205. & 7. 191. 55. Zett. Ins. Lapp. 636. 12. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, 12 Jul.—18 Sept., passim, in copula; scilicet in Scania in graminosis ad Esperöd in parœc. Mellby, &c. haud raro; in Ölandia, D. *Boheman*; in Gottlandia in pratis ad Fårön &c.; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Botnia occidentali ad Kemi rar.; in Norvegia inter Dovre & Lerdalsœren; D. *Boheman.* (Sub nomine *Tach. vulgaris* a D. *Zeller* e Glogavia communicata).

♂♀. Priore raro major, plerumque paullo minor, eique valde similis, sed differt, fronte nonnihil minus prominula, alarum nervo long. 4:to magis exacte angulato, paullo remotius ab apice alæ in costam excurrente, 3:tio basi setulis plerumque 3—4 (nec 1—2), spinula castæ vix ulla, alis basi parum, & costa non, fusco-flavidis, squamis albis, ut & tibiis nigris. Vibrissæ inferne paucissimæ. Thorax antice lineis 4. Abdominis latera in ♂ raro rufo-maculata. Abdomen certo situ linea dorsali nigra ut in priore. Setæ frontales paullo infra antennas descendunt. Reliqua ut in *T. tibiali.*

53. *T. mutabilis:* oblongo-ovata, corpore in ♂ nigricante, oculis appropinquantibus, in ♀ cinerascente, oculis remotioribus; fronte in utroque sexu subprominula, vitta atra; antennis subelongatis, linearibus, seta biarticulata, fere ad medium incrassata, pedibusque, nigris; alis subhyalinis, area subaperta fere in apice alæ terminata, squamis subfuscanis; vibrissis nullis. ♂♀ minor. (Long. $1\frac{1}{4}$— fere 2 lin.).

*Mas:* nigricans, epistomate albo-micante. Frons angusta, serie setarum haud validarum utrinque simplici. Thorax

vittis 4, & abdomen maculis, certo situ cinereo-micantibus. Alæ & squamæ leviter subfuscanæ. Ungves & pulvilli mediocres:

*Fem.:* minor, tota cinerea, capite albicante. Frons modice lata, vitta atra, serie setarum utrinque subduplici. Thorax antice lineis 4 nigris tenuibus. Alæ & squamæ flavo-albidæ, vix infuscatæ. Ungves & pulvilli parvi. In copula.

Fall. Musc. 16. 31. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 403. 285. (secund. Fall. transscripta). — Zett. Ins. Lapp. 638. 19. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Coryli &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 10 Jul.—16 Sept., sat vulgaris, sole sereno frequenter obvia, in copula; scilicet in Scania ad Räften, Björnstorp, Esperöd &c., copiose; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Wadstena &c. frequens; in Gottlandia rar.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Botnia boreali ad Torneå, D. *Deutsch.* (Ad Rixdorf prope Berolinum 1812, D. *Dahlbom*, & e Glogavia a D. *Zeller*, missa).

♂♀. Similis priori, sed multo minor, magis ovata, ♂ obscurior, ♀ magis cinerea. Antennæ non ad os descendunt, lineares, articulo ultimo 2:do fere triplo longiore. Vibrissæ nullæ. Setæ frontales 2—3 infra antennarum radicem descendunt. Alarum area apice parum aperta. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—4 minutissimis. Spinula costæ nulla. Nervi præterea ut in priori directi. Similis *T. florali* infra 148, sed oculis nudis &c. dignota.

Var. b. ♀. sæpe paullo minor ($1\frac{1}{4}$ lin. long.), abdomine cinereo, segmento 1:mo toto, 2 & 3 margine apicali sinuatim nigris; alarum nervo transverso ordinario jam recto, jam inflexo; de cetero feminæ var. a. simillima. *Tach. pygmæa* Zett. Ins. Lapp. 641. 32. ♀. Hab. in Suecia cum priore mense Julio, passim; in Scania ad

Esperöd; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrog. ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Kjellunge 26 Jul. 1819 freq.; in Norvegia, D. *Boheman.*

51. *T. discolor:* oblongo-ovata, corpore in ♂ nigricante, oculis appropinquantibus, in ♀ cinerascente, oculis remotioribus; fronte in utroque sexu subprominula, vitta atra; antennis subelongatis, linearibus, seta biarticulata, fere ad medium incrassata, pedibusque, nigris; alis basi & costa nigricantibus (♂), aut leviter subfuscanis (♀); squamis flavo-albidis; area subaperta fere in apice alæ terminata; vibrissis nullis. Major. (Long. 2½ lin.).

*Mas & femina* fere ut in priori differunt.

Zett. Ins. Lapp. 638. 20. ♂♀. *Tach. mutabilis* var. *β.* Fall. Musc. 17. 31. ♂. *T. bipunctata* Wiedem. in litt. *Tach. aprica* Zett. Ins. Lapp. 640. 28. ♀.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, Salicum &c., 1 Jul.—7 Sept., cum priori sat vulgaris, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa, Björnstorp, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Wadstena; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Wilhelmina, Åsele, Almsele &c., copiose, & mares præsertim frequenter obvii. (E Kilia a D. *Wiedemann*, & e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Simillima priori, sed præter magnitudinem constanter duplo majorem differt etiam ab illa, *mas:* colore nigriore, alis præsertim basi magis nigricantibus, abdominis lateribus griseis & macula in segmento 2:do utrinque rufescenti, subpellucida; *femina* corpore aut cinereo, aut griseo-flavescente, alis hyalinis, squama flavescente, abdomine subunicolore; & ex utroque ambo occurrunt sexus, similis tantum cum simili in copula junctus. Frons nonnihil magis prominens, quam in priore, & series setarum frontalium paullo longius infra antennas descendit, e pluribus setis (4

—6) in primis in ♂ constans. Abdomen ovatum, in ♂ cinereum, segmento 1:mo toto, reliquis linea dorsali nigra & præterea in 2:do & 3:tio maculæ 4 irregulares nigræ, atque in 2:do utrinque macula rufa; in ♀ griseum, segmento 1:mo obscuro, 2:do & 3:tio lineola dorsali & margine apicali angustissime, nigris obsoletis. Reliqua ut in *T. mutabili.*

55. *T. incana:* oblonga, corpore in ♂ obscure cinereo, oculis appropinquantibus, in ♀ grisescente, oculis remotioribus; fronte in utroque sexu prominula, vitta atra; antennis elongatis, linearibus, seta triarticulata, non ad medium incrassata, thoracis lineis 4, abdominis lineola dorsali obsoleta, pedibusque, nigris; alis basi squamisque subflavidis, area subaperta fere in apice alæ terminata; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* cinereus. Frons angusta, serie setarum haud validarum, erectarum utrinque simplici. Thoracis lineæ 4 nigræ mediocres. Abdominis linea dorsalis in segmentis 2 & 3 brunnea. Genitale nigrum inflexum. Ungves & pulvilli majusculi;

*Fem.:* grisea. Frons latior, serie setarum utrinque duplici. Thoracis lineæ 4 nigræ tenues, obsoletæ. Abdominis linea dorsalis vix ulla. Ungves & pulvilli parvi.

Fall. Musc. 20. 40. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 385. 253. ♂♀. & 7. 191. 51. *T. cinerea* Fall. Musc. 20. 39. Descript. var. "palpis nigris."

Hab. in Scania rarissime; in Ölandia? D. *Boheman;* in Lapponia Umensi ad Åsele d. 26 Jul. 1832 specimen femineum inveni, in Insectis Lappon. cum *T. discolore* commixta.

♂♀. *Femina* præter magnitudinem majorem & abdomen immaculatum feminæ prioris valde similis; *mas* vero alis subhyalinis, nec nigricantibus, abdomine subimmaculato &c., a mare præcedentis abunde dignotus. Antennæ elongatæ,

lineares, angustæ. Seta longa, capillaris, ad tertiam partem incrassata, articulis 2 basalibus brevissimis. Vibrissæ inferne inchoandæ. Abdomen subconicum, unicolor, fere undique sparse setosum, segmento 1:mo brevi, in medio excavato. Nervi inermes fere ut in priori directi; transversus ordin. inflexus, apicalis subrectus. Angulus nervi 4:ti subobtusus. Spinula costæ nulla. Epistoma albidum.

56. *T. incurva:* oblonga, cylindrica, griseo-cinerea; fronte subprominula, lata, vitta atra; antennis elongatis, linearibus, seta triarticulata, ultra medium incrassata, thoracis lineolis 2, abdominis subcurvi apice, pedibusque, nigris; alarum area occlusa, in apice alæ terminata; vibrissis spuriis. ♂. (Long. 2—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; 2 tantum individua vidi, unum in folio fruticis in prato ad Esperöd in parœc. Tranås 8 Jul. 1820 inventum, alterum in Ölandia captum. E Succia superiori olim etiam specimen missum.

♂. Griseo-cinerea, opaca. Frons lata, vitta media lata atra, serie setarum utrinque duplici, infra antennas per setas 3—4 utrinque simpliciter descendente. Antennæ liberæ (non incumbentes), articulo ultimo 2:do fere triplo longiore; seta distincte triarticulata, valida, apice capillari. Oculi parvi. Epistoma parum declivum, flavido-cinereum, vibrissis deflexis, vix ad medium adscendentibus. Oris margo anticus non reflexus. Palpi nigri. Thoracis lineolæ anticæ 2, approximatæ, angustæ, nigræ, postice abbreviatæ. Abdomen cylindricum, subincurvum, segmentis subæqualibus; griseo-cinereum, segmentis 2 posticis nigris nitidis; setæ in medio dorsi paucæ, in apice plures. Alæ breviusculæ, cinereæ, basi vix l. parum fuscanæ. Nervi obscuri; transversi: medius apici nervi long. 1:mi oppositus; ordinarius rectus præcise in medio areæ insertus; apicalis rectus in apice alæ cum long. 3:tio intime conjunctus. Curvatura

nervi 4:ti arcuatim angulata. Setulæ ad basin nervi long. 3:tii 1—2 parvæ, sed spina costæ distincta. Squamæ sordide albæ. Pedes nigri, ungvibus & pulvillis non magnis.

57. *T. scutelligera:* ovata, obscure grisea, opaca; fronte parum prominula, modice lata, vitta atra; antennis elongatis, validiusculis, seta triarticulata fere ad medium incrassata, thoracis lineis 4, abdominis fasciis 4, pedibusque, nigris; scutello apice flavido; alarum area aperta, fere in apice alæ terminata; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania ad Lund, ubi tria specimina inveni.

♂♀. Frons grisea, vitta modice lata, nigra; series setarum per 3—4 setas infra antennas continuata. Antennæ longitudine epistomatis, articulis basalibus brevibus, ultimo valido, seta sat longa capillari, non usque ad medium incrassata. Oculi sat magni. Epistoma subperpendiculare, cinereum, vibrissis nullis. Palpi nigri. Thorax obscure cinereus, antice lineis 4 nigris. Scutellum apice indeterminate testaceum. Abdomen ovatum, nigrum, segmentis subæqualibus, horum 2, 3 & 4 basi late cinerascentibus; totum pubescens, sed parum setulosum, nisi postice sparse; apice nitidum. Alæ cinereo-hyalinæ, radice albidæ. Nervi transversi: medius fere apici auxiliaris oppositus; ordinarius subrectus fere in medio areæ insertus; apicalis subrectus fere in apice alæ excurrens. Curvatura nervi 4:ti obtuse angulata. Basis nervi long. 3:tii setulis 1—2. Spinula costæ minuta. Squamæ albidæ. Ungves & pulvilli parvi. Individuum antennis nonnihil validioribus & fronte ut videtur paullo latiore tamquam masculum considero.

58. *T. albinervis:* oblongo-ovata, obscure cinerea, opaca, capite argenteo; fronte haud prominula, angusta (♂), vitta atra; antennis breviusculis, non validis, seta biarticulata, fere ad medium incrassata, pedibusque,

nigris; alis hyalinis, area suboccelusa, fere in apice alæ terminata, nervo apicali albo; vibrissis nullis. ♂. (Long. 2⅛ lin.).

Hab. in Suecia rarius; mihi a D. *Marklin* communicata; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Ölandia, D. *Boheman.*

♂. Oculis magnis, approximatis, antennis subbrevibus, setis frontalibus tenuibus, & nervo transverso apicali subincurvo, obsoleto, albo, mox ante apicem alæ in costa excurrente, ab affinibus dignoscitur. Cinerascens. Series setarum frontalium utrinque simplex vix infra antennas continuata. Frons & epistoma ante oculos parum prominentia. Antennæ epistomate paullo breviores, nigræ, articulo ultimo apice superne acuto quam 2:do duplo longiore; 1:mo brevi. Palpi nigri. Abdomen totum obscure cinereum, apice segmentorum setosum; segmento 1:mo subbrevi, reliquis basi angustissime canis. Nervus transv. ordin. rectus, fere in medio areæ insertus. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Ungves & pulvilli mediocres. — Variat oculis omnium tenuissime hirtulis.

59. *T. spathulæcornis:* oblonga, subnitida, nigra, antice maculatim albicans; capite argenteo-micante; fronte subprominula, lata, vitta atra; antennis elongatis, apice distincte dilatatis, seta mediocri; alarum area fere in apice alæ terminata, squamis albis; vibrissis nullis. ♂. (Longit. inter 2—3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 637. 14. ♂. (per lapsum calami: "*spathulæformis*").

Hab. in Lapponia Norvegica rarissime; in alpe Dovre a D. *Boheman* detecta.

♂. Affinis *T. nigripedi* (52), paullo angustior, antennarum forma & ab hac & ab aliis confinibus mox dignota. Tota nigra. Epistoma argenteo-micans. Antennæ longitudine episto-

matis, apice dilatatæ spathulam formant. Frons utrinque albida. Thorax subvittatus. Abdomen subcylindricum, subincurvum, nigrum, nitidum immaculatum (an in specimine paullo detrito?). Alæ totæ subfusco-hyalinæ. Nervus 4:tus rectangulatim flexus fere in summo apice alæ excurrit. Nervus transv. ordinarius subrectus. Squamæ albæ.

60. *T. Goniæoides:* oblonga, nigra, capite argenteo-micante; fronte ample prominente, vitta nigra; antennis elongatis, validis, seta triarticulata, crassa, apice capillari; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, albido-cinereis; alis cinereis, basi squamisque flavo-albis, area aperta, in apice alæ terminata; vibrissis spuriis. ♀. (Long. 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 639: 22. ♀.

Hab. in Suecia, 26 Jul.—8 Aug. mihi obvia, rarius; scilicet e villa Höberg Westrogothiæ a D. *Gyllenhal* communicata; in Ostrogothia ad Gusum, in floribus Angelicæ a D. *Wahlberg* lecta; in Jemtlandiā ad diversorium Berge in Alfen 1840, D. *Dahlbom;* in Lapponia Suecica Umensi ad Åsele 1832, ipse.

♀. Major. Frons & epistoma ample prominentia, nigra, argenteo-micantia. Frons lata, vitta sat lata nigra, opaca, longitudinaliter strigilata. Series setarum postice utrinque duplex, antice simplex, per setas 2 infra antennas continuata. Vibrissæ inferne paucissimæ, sed setulæ plures ad latera epistomatis. Antennæ longitudine fere epistomatis, latæ, articulis basalibus brevibus; seta ultra medium crassa, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo duplo l. triplo longiore. Margo oris anticus haud reflexus, albidus. Genæ rufo-piceæ. Palpi nigri. Thorax glauco-albidus, lineis 4 nigris. Abdomen oblongum, convexum, segmentis subæqualibus; totum nigrum, subnitidum, segmentis 3 posticis basi indeterminate, glauco-albis; longitudinaliter in medio, & postice, setis sparse vestitum. Alæ albido-cinereæ, basi

subflavidæ. Nervi transversi: medius apici nervi long. 1:mi oppositus; ordinarius leviter flexus pone medium areæ insertus; apicalis levissime incurvus in apice alæ excurrens. Curvatura nervi 4:ti angulata. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—4. Spinula costæ nulla. Tarsorum ungves pulvillique parvi.

*Obs.* Affinis T. *deviæ* n:o 12. Inter *Thryptoceram* & *Illigeram* hæc species media, notas cum ambabus communes habens, *Illigeræ* forsan propius accedens.

61. *T. cylindracea:* cylindrica, atra, nitida, capite argenteo-micante; fronte haud prominula, lata, vitta atra; antennis elongatis, seta biarticulata ad medium incrassata; alis hyalinis ad costam subfuscanis, area subaperta, in apice alæ terminata; squamis albidis; vibrissis nullis. ♀. (Long. $2\frac{1}{8}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; in Ostrogothia ad villam Lärketorp in parœcia Mjölby d. 17 Jul. specimen unicum inveni. (E Glogavia a D. *Zeller* etiam missa).

♀. Caput argenteo-micans. Oculi oblongi. Vitta frontalis mediocris, atra, opaca. Series setarum utrinque duplex, infra antennas per setas 2—3 descendens. Antennæ longitudine epistomatis perpendicularis, lineares, nigræ, articulis basalibus brevibus. Seta elongata, capillaris, nuda, fere ad medium incrassata, articulo basali brevissimo. Margo oris anticus minime reflexus. Palpi obscure flavi, in exemplis Glogaviensibus nigri. Humeri & pleuræ leviter albo-micant. Abdomen elongatum, angustum, cylindricum, atrum, nitidum segmentis 2 & 3 basi ad latera fasciis inchoandis leviter albomicantibus. Segmenta omnia subæqualia, 1:mum apice setis 2; 2:dum setis in medio 2, in apice 4; 3:tium 4:tumque undique sparse setosa. Alæ ad costam levissime fuscanæ. Nervus transv. ordinar. rectus in medio l. mox pone medium

areæ insertus. Area anguste aperta. Nervi longitudinales: 4:tus subarcuatim flexus, 3:tius basi setulis 2—3. Spinula costæ nulla. Squamæ mediocres, albidæ. Ungves & pulvilli tarsorum parvi. — Affinis *Hypostenæ* generi Meig., sed per setam nudam &c. diversa.

62. *T. nigrisquama:* oblonga, atra; fronte minime prominula; oculis cohærentibus (♂); antennis subelongatis, angustis, seta biarticulata, basi subincrassata; alis squamisque fuscanis, area aperta, in apice alæ terminata; vibrissis nullis. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 639. 24. ♂.

Hab. in Norvegia raro; in alpe insigni Dovre a D. *Boheman* mens. Julio detecta.

♂. Subcylindrica, tota aterrima, subopaca. Caput nigrum. Oculis magnis, cohærentibus, fronte & epistomate minime prominulis, alis, squamisque parvis, nigricantibus, nervo transverso ord. rectissimo fere ante medium areæ inserto, abdomine oblongo, atro, nitido, immaculato, parum setoso, nisi ad latera & apice tenuiter setuloso, ab affinibus mox dignota; generibus *Phaniæ* & *Uromyiæ* Meig. appropinquans. Antennæ epistomate brevi nonnihil breviores, articulis basalibus brevibus, seta elongata, capillari, basi parum incrassata. Alarum area apice anguste aperta. Nervus transv. ordin. in medio l. mox ante medium areæ situs. Nervi longitudinales: 4:tus arcuatim flexus, 3:tius basi setulis 2—3. Spinula costæ nulla. Squamæ parvæ. Ungves & pulvilli parvi.

63. *T. zonella:* ovata, cinerea, opaca; fronte haud prominula, lata, concolore, vitta fusca; antennis subelongatis, dilatatis, seta triarticulata, fere ad apicem incrassata, thoracis lineolis 2, pedibusque, nigris; abdomine atro, nitido, incisuris tenuiter albis; alis hyalinis, basi albidis, squamis pallescentibus, area aperta, in apice alæ terminata; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Suecia rarius; in Smolandia a D. *Boheman* in copula capta; etiam in Suecia superiore a D. *Wahlberg* inventa, loco speciali non indicato.

♂♀. Statura ovata & magnitudo parva *T. scutelligeræ* (57). Cinerea. Frons lata, vitta griseo-fusca. Series setarum vix infra antennas continuata. Antennæ epistomate fere breviores, latæ, nigræ, articulis basalibus brevibus. Seta antenna parum longior, crassa, nigra, in medio subfracta, apice capillaris, articulis basalibus: 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo longiore. Epistoma breve, subperpendiculore, haud prominens, vibrissis inferne vix ullis. Margo oris anticus non reflexus, anguste flavus. Palpi nigri. Thoracis lineolæ anticæ binæ nigræ. Abdomen ovatum, nigrum, subnitidum, in medio & postice parce setosum, segmentis subæqualibus. Fasciæ 3 angustæ in basi segmentorum 2, 3 & 4. Alarum nervus transversus ordinarius in medio 1. mox ante medium areæ situs. Area apice anguste aperta. Nervus long. 4:tus subarcuatim flexus, 3:tius basi setulis 1—2. Spinula costæ nulla. Mas femina paullo minor, ano subinflexo. Mas hodie mihi deest.

64. *T. minutissima:* ovata, cinerea, opaca; fronte haud prominula, subangustata (♂), aut lata (♀), vitta in utroque sexu nigra; antennis subelongatis, versus apicem dilatatis, seta triarticulata, fere ad apicem incrassata, pedibusque, nigris; abdomine atro, nitido, incisuris tenuiter albis; alis hyalinis, squamis albidis, area aperta in apice alæ terminata; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Scandinavia media & boreali rarissime, tria tantum specimina 2 Jul.—21 Aug. inveni; scilicet 2 mascula in graminosis ad Laforsen Helsingiæ atque in Norvegia ad Thynæs; & unicum femineum ad Lärketorp Ostrogothiæ.

♂♀. Simillima *T. zonellæ*, a qua vero magnitudine triplo & ultra minore, antennis tantum versus apicem, nec per to-

tam longitudinem, dilatatis, thorace immaculato, vix antice bilineato, alis basi vix albidis, ut & nervo transverso apicali obsoleto, interdum fere evanescente, dignoscitur. Tarsorum ungves & pulvilli in omnibus meis exemplis minuti sunt, sed fronte angustiore ut mares, & fronte latiore prædita, ut feminam consideravi. — Reliqua omnia ut in præcedente.

65. *T. nigrina:* ovata, obscure cinerea, opaca; fronte haud prominula, lata, vitta lutea; antennis subelongatis, dilatatis; seta breviuscula, triarticulata, ultra medium incrassata, pedibusque, nigris; abdomine ovato, nigro, nitido; alis albo-hyalinis, nervulis transversis præter medium nullis; vibrissis spuriis. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 355. 202? Zett. Ins. Lapp. 610. 30. ♀. *Roeselia* Meig. 7. 253. 2?

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis 22 Aug. 1821. semel capta.

♀. Similis *T. ocypteratæ*, sed nervorum ratione ab hac & affinibus dignota. Parva. Caput ut in priori. Vitta frontalis haud lata, rufa, serie setarum utrinque duplici. Antennæ vix longitudine epistomatis brevis, latæ, nigræ, articulis basalibus brevibus. Seta antenna parum longior, ultra medium modice crassa, 3-articulata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo longiore. Thorax immaculatus. Abdomen rotundatum, subdepressum, nigrum, nitidum, immaculatum, in medio & postice setulosum. Nervi transversi ordinarius & apicalis deficientes. Nervus long. 3:tius basi setulis 2. Spinula costæ valde minuta. Squamæ albæ. Pedes nigri, ungvibus & pulvillis minutissimis. Media inter *Rœseliam* & *Actiam* Meig.

66. *T. laticornis:* oblonga, nigra, subnitida, capite argenteo-micante; fronte parum prominente, lata, vitta atra; antennis longissimis, magnis, seta triarticulata ultra

medium incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque cingulis 3 angustis, albis; alis hyalinis, area subaperta in apice alæ terminata, nervo transv. ordinario subinflexo mox pone medium areæ inserto; vibrissis ultra medium epistomatis adscendentibus. ♀.? (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 637. 15. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali rarissime. Duo tantum exempla vidi, unum in Norvegia ad Bossekop Finmarkiæ occidentalis non longe a NordCap d. 4 Aug. 1821, lectum, & alterum e Glogavia a D. *Zeller* mecum communicatum. In Dalecarlia quoque deprehensa fuerit.

♀? A sequente, cui similis, differt præcipue: nervo transverso ordinario leviter flexo, nec recto, nervo long. 4:to angulatim, nec subarcuatim, flexo, ut et abdominis fasciis angustioribus, albidioribus. Frons modice lata, vitta media lata, brunneo-nigra, serie setarum utrinque duplici per setas 3 infra antennas descendente. Antennæ longitudine epistomatis subdeclivi, latæ, articulis basalibus brevibus. Seta elongata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo longiore, ultimo ultra medium incrassato. Os non reflexum. Thorax, præsertim antice albo-micans, lineolis 4 nigris. Abdomen conicum, ut in priori setosum; atrum, cingulis 3 angustatis, niveis. Segmentum 1:mum singulo reliquorum parum brevius. Alarum area anguste aperta. Nervi longitudinales: 3:tius basi setulis 3—4, 4:tus exacte angulatim flexus, 5:tus non usque in summum marginem interiorem alæ extensus. Spinula costæ parva. Squamæ albidæ. Ungves & pulvilli tarsorum minusculi.

67. *T. ornata:* oblonga, nigra, subnitida, capite argenteo-micante; fronte parum prominente, lata, vitta atra; antennis longissimis, magnis, seta triarticulata ultra medium incrassata, thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3 latioribus, cinereis; alis hyalinis, area subaperta

in apice alæ terminata, nervis: transverso ordinario recto, mox pone medium areæ inserto, longitudinali 5:to in marginem alæ extenso; vibrissis continuis. ♀? (Long. 2½ lin.).

*Degeeria ornata* Meig. Dipt. 7. 249. 37. (♂♀).

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad radicem alpis insignis Åreskutan 1 Aug. 1840 individuum unicum inveni.

♀? Simillima priori, sed serie vibrissarum fere ad antennarum radicem continuata, abdominis fasciis 3 latioribus, minus determinatis, cinereis, nec albis, curvatura nervi 4:ti subarcuata saltem non exacte angulata, nervo transverso ord. recto, ut & nervo long. 5:to usque ad summum marginem interiorem ducto, vere differt.

68. *T. collaris:* oblonga, nigra, parum nitida, capite argenteo-micante; fronte subprominente, angustata (♂), aut modice lata (♀); vitta atra; antennis elongatis, angustatis, linearibus, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3 interruptis, albis; alis hyalinis, area subaperta in apice alæ terminata, nervo transverso ordinario subrecto; vibrissis ultra medium epistomatis adscendentibus. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Fall. Musc. 15. 27. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 403. 286. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 637. 16. ♂♀. *Metopia* Macq. Buff. 2. 130. 26. ♂♀. *Degeeria* Meig. Dipt. 7. 249. 7. t. 71. f. 31. ♂.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, per prata Scandinaviæ, 21 Jun.—18 Aug., passim; scilicet in Scania ad Räften, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrog. ad Lärketorp, Medhamra prope Wadstena, Gusum &c.; in Ölandia freq.; in Gottlandia, D. *Wahlberg*; in Norvegia ex. gr. in alpe Dovre & ad Næs Værdaliæ.

♂♀. Similis iterum priori, sed antennis multo angustioribus, fronte magis angustata, abdominis fasciis albis subinterruptis, ut & nervo long. 5:to non usque ad marginem interiorem producto, distincta. — Oculi magni. Vitta frontalis aterrima. Seta antennarum longa. Vibrissæ fere ad antennarum basin continuatæ. Curvatura nervi 4:ti subangulatim arcuata. Spinula costæ nulla. ♂: fronte angusta, serie setarum tenuium utrinque simplici, ungvibus pulvillisque majusculis; ♀: fronte modice lata, serie setarum mediocrium postice duplici, ungvibus pulvillisque paullo minoribus. — Seta antennarum microscopice pubescens.

*Obs.* Individuum masculum vidi nervo transv. apicali interrupto, & aliud femineum antennis brevibus vix dimidium epistomatis attingentibus, ambo in ceteris varietati genuinæ simillima, in Scania ad Esperöd deprehensa.

69. *T. blanda:* subcylindrica, nigra, subnitida, capite argenteo; fronte subprominente, lata, vitta atra; antennis longitudine epistomatis, subangustatis, linearibus, seta triarticulata, ad medium incrassata; thoracis vittis 3, abdominisque fasciis totidem subintegris, albis; alis cinereis, area subaperta, in apice alæ terminata, nervo transverso ordinario subrecto, curvatura nervi long. 4:ti arcuata; vibrissis ultra medium epistomatis adscendentibus; tarsis anticis in ♀ subdilatatis. ♂♀. (Long. 2¼—3 lin.).

Fall. Musc. 15. 29. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 401. 287. ♀. *Metopia* Macq. Buff. 2. 130. 27. ♂ (potius ♀?). *Degeeria* Meig. Dipt. 7. 249. 16. (Sub *T. infuscata* Fall. Musc. 14. 25. etiam latet).

Hab. in Suecia, 10 Jul.—5 Sept., passim, non frequens; scilicet in Scania raro; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Westrogoth., D. *Gyllenhal*; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Nähr, Kjellunge &c.; in Dalecarlia, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad diversoria

Rätan & Faxelfven, atque ad radicem alpium Mullfjellen, passim.

♂♀. *T. collari* affinis & similis, sed in ♂ fronte latiore, setis validioribus, utrinque duplici serie dispositis, ungvibus pulvillisque minoribus, in ♀ tarsis anticis magis dilatatis, & in utroque sexu seta antennarum circiter usque ad medium incrassata, fronte nonnihil minus prominula, oculis majoribus &c., præcipue dignoscitur. Thoracis vittæ laterales albæ integræ. Abdominis fasciæ albæ angustæ. Antennæ in ♀ angustatæ, ut in priori, sed in ♂ majores latiores.

70. *T. convexifrons:* subovata, nigra, nitida, capite argenteo; fronte parum prominente, lata, vitta atra; antennis elongatis, modice latis, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; thorace leviter albicante, lineolis 4 anticis nigris; abdomine atro, cingulis 3 niveis; alis hyalinis, area subaperta fere in apice alæ terminata, nervo transverso ordinario in medio areæ inserto, curvatura nervi long. 4:ti angulata; vibrissis ultra medium epistomatis adscendentibus; tarsis simplicibus. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Hab. in pratis Sueciæ mediæ, mense Julio, minus frequens; in Gottlandia ad Lärbro, D. *Dahlbom*; in Ostrogothia ad Gusum capta, a D. *Wahlberg* sub nomine *T. albicincta* missa; ad Wadstena, ipse.

♀. A T. *collari*, 68, cui similis, differt: magnitudine paullo minore, magis ovata, fronte parum porrecta, antennis paullo latioribus, thoracis albedine antica minus determinata, alarum area non in summo apice, sed mox ante apicem alæ educta, nervo long. 4:to angulatim, nec arcuatim, flexo, transverso ordinario in medio, nec pone medium, areæ inserto, ideoque longius a margine interiore remoto, ut & segmento costæ 2:do (cfr. *Nephrocerus* gen. 100) paullo breviori. Frons sat lata postice obscura. Oculi majusculi. Thorax & scutellum levissime albescentia, lineolis anticis

nigris parum perspicuis. Abdominis segmentum 1:mum subbreve. Cingula abdominis 3 nivea anguste interrupta. Alarum nerv. long. 3:tius basi setulis 2. Squamæ albæ.

71. *T. albicincta:* cylindrica, nigra, subnitida, capite subargenteo; fronte minus prominente, modice lata, vitta atra; antennis longitudine epistomatis, magnis, seta triarticulata, ad medium incrassata; thoracis vittis anticis subquinis obsoletis, abdominisque cingulis 3 angustis subintegris, albis; alis hyalinis, area subaperta in apice alæ terminata, nervo transverso ordinario subrecto mox pone medium areæ inserto, curvatura nervi long. 1:ti subarcuata; vibrissis ultra medium epistomatis adscendentibus, tarsis simplicibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 638. 17. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; marem in Norvegia ad Thynæs in parœc. Skogn 4 Jul. 1840, & feminam in silva Stensele Lapponiæ Umensis 4 Jul. 1832, inveni. In Dalecarlia etiam lecta erit.

♂♀. Similis *T. blandæ* (69), sed minor, angustior, antennis multo majoribus, latioribus & præsertim in ♂ amplis, ut & tarsis anticis in utroque sexu simplicibus, certe distincta. Nervus long. 4:tus subarcuatim seu obtuse angulatim flexus. Thoracis vittæ anticæ albidæ parum determinatæ. Nervus long. 3:tius basi setulis 2—3. Spinula costæ minuta. A *T. albo-cingulata* n:o 47, cui etiam valde similis, seta antennarum longiori, vix ultra medium incrassata, palpis nigris, nec flavidis, & nervo long. 4:to in apice, nec paullo ante apicem, alæ excurrente, facile dignota.

72. *T. semicincta:* oblonga, nigra, capite argenteo; fronte minus prominente, modice lata, vitta atra; antennis longitudine epistomatis, magnis, seta triarticulata, ad medium incrassata; thorace antice lateribus albicante;

abdominis cingulis 3 angustis, interruptis, albis; alis hyalinis, area aperta in apice alæ terminata, nervo transverso ordinario recto, in medio areæ inserto, curvatura nervi long. 4:ti subangulata; vibrissis abbreviatis; tarsis simplicibus. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 638. 18. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, a D. Doct. *Deutsch* in uno specimine communicata.

♀. Simillima priori, a qua vero statura paullo latiore, oculis in fronte non tam late remotis, corpore parum albo-micante, abdominis cingulis albis subinterruptis, alis cinereis, nec pure hyalinis, area apice nonnihil magis aperta, ut & serie vibrissarum vix ad medium epistomatis continuata, differre videtur. Pleuræ cinereo-micantes. Nervus long. 4:tus subangulatim flexus. Spinula costæ nulla. Squamæ subflavido-albæ. Abdomen ovatum.

73. *T. morio:* ovata, atra, immaculata, nitida, epistomate leviter albo-micante; fronte subprominente, modice lata, nigra, vitta atra; antennis elongatis, validis, seta triarticulata, ad medium incrassata; alis cinereis, nervis pallidis, transverso ordinario recto in medio areæ inserto, area subocclusa in apice alæ terminata, curvatura nervi 4:ti arcuatim angulata, squamis flavido-albis; vibrissis abbreviatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Fall. Dipt. Musc. 18. 34. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 639. 26. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media rarius, in Alnetis & floribus 30 Maji—1 Sept. obvia, in copula 21 Aug. capta; scilicet in Scania ad Abusa & in fruticibus juxta littus maris ad Esperöd; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena, ipse; in Dalecarlia ad

diversor. Smedby, D. *Dahlbom*; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*.

♂♀. Statura corporis ovali, subdepressa, & colore atro, a proxime antedentibus primo intuitu dignota. Series setarum frontalium utrinque duplex, per 3 setas infra antennas continuata. Antennæ longitudine epistomatis subdeclivi, articulis basalibus brevibus. Seta antenna nonnihil longior, 3-articulata, capillaris, fere ad medium incrassata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo duplo longiori. Vibrissæ vix ad medium epistomatis adscendunt. Oculi mediocres rufescentes. Abdomen ovatum, ut in proxime antecedentibus setosum, segmento 1:mo brevi. Alæ basi pallescentes. Spinula costæ parva. Nervus long. 3:tius basi bisetulosus. Halterum clava nigra. Tarsi simplices, ungvibus pulvillisque parvis. Frons in utroque sexu fere æque lata, sed abdomen in ♂ paullo angustius, & apice crassius, quam in ♀. Habitus *Lonchææ*. In speciminibus bene conservatis humeri & pleuræ leviter cinereo-micant.

74. *T. ocypterina*: ovata, nitida, atra, subimmaculata, capite cinereo-micante; fronte subprominente, modice lata, vitta lata, atra; antennis elongatis, validis, seta triarticulata, fere ad medium incrassata; alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto in medio areæ inserto, area occlusa, apice breviter petiolata, curvatura nervi long. 4:ti angulata, squamis albidis; vibrissis ad medium epistomatis adscendentibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 639. 25. ♀.

Hab. in Scandinavia valde rara, 12—16 Jul. mihi obvia; scilicet in Scania in Pinctis ad Kjeflinge in vicinitate maris & in littore maris ad Lomma; in Norvegia inter Dovre & Lerdalsören a D. *Boheman* etiam deprehensa.

♀. Simillima priori, differt tamen: magnitudine paullo minore (præsertim in exemplo Norvegico), vitta frontali atra

nonnihil latiore, serie vibrissarum paullo altius adscendente, thorace anterius levissime cinerascente, alis hyalinis, nec pallidis, area apice distincte occlusa, breviter petiolata, nervo long. 4:to obtuse angulatim flexo, ut & squamis albidis. A *T. ocypterata* (48) capite vibrissato, antennis longioribus, palpis nigris, nec flavis, vitta frontali atra latiore, &c., mox dignoscitur.

75. *T. Erinaceus:* cylindrica, atra, nitida, capite glauco-micante; fronte porrecta, lata, vitta lata, atra; antennis elongatis, articulo 3:do ultimoque subæque longis, seta breviuscula, 3-articulata, crassa; alis hyalinis, costa fusca, area subaperta mox ante apicem alæ terminata, nervo transverso ordinario subrecto, paullo pone medium areæ inserto, curvatura nervi long. 4:ti angulata, nervo long. 3:tio ultra transversum medium setuloso; vibrissis nullis; epistomate ad latera parce setoso. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Fabr. Antl. 311. 10. Fall. Musc. 15. 28. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 345. 183. *Sericocera erinacea* Macq. Buff. 2. 166. 2. *Peleina erinacea* Meig. Dipt. 7. 214. 1. Tab. 69. f. 56.

Hab. in foliis fruticum, sed etiam in graminosis, sæpe locis humidis, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, 20 Jun.—29 Jul., passim; scilicet in Scania circa Lund (D. *von Borck*), Esperöd (D. *C. Areschoug*) &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Wadstena &c. passim; in Ölandia rar.; in Dania ad Hafniam Aug. rarius, D. D. *Fabricius* & *Staeger*. In *Tephritis* pupa parasita e fructu Rosæ exclusa Lund 22 Jun. 1837, teste D. *Dahlbom*.

♂♀. Cylindrica, atra. Caput glaucum. Vitta frontalis lata, atra (raro ferruginea), opaca, serie setarum validarum utrinque duplici. Series simplex setarum 4—6 per latera

epistomatis declivi usque ad os descendit. Vibrissæ nullæ. Antennæ liberæ, haud validæ, nigræ; seta ultra medium crassa, articulis 2 basalibus brevibus. Palpi nigri. Abdomen elongatum, segmentis æqualibus, margine apicali valide setosis (in singulo setis 4—6); atrum, segmentis 2 & 3 basi angustissime albo-micantibus. Alæ breves, hyalinæ, costa fusca l. nigricante. Segmentum costæ 2:dum (cfr. *Nephrocerus* gen. 100) brevissimum. Nervi transversi: medius paullo pone apicem nervi long. 1:mi ductus; ordinarius rectus, interdum inflexus, semper mox pone medium areæ insertus. Nervi longitudinales: 4:tus distincte angulatim flexus, nonnihil ante apicem alæ in costa excurrens; 3:tius a basi & ultra transversum medium setulosus. Spinula costæ distincta. Squamæ mediocres, albæ. Halteres testacei. Pedes simplices, ungvibus & pulvillis in utroque sexu parvis. ♂ & ♀ simillimi & externe vix differunt, nisi vittam frontalem in ♀ paullo latiorem dicere velles.

76. *T. marginata:* oblonga, atra, nitida, capite argenteo-micante; fronte subprominente, lata, vitta lata, atra; antennis epistomate brevioribus, latiusculis, articulo ultimo 2:do dimidium longiore, seta biarticulata, ad medium incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3, albidis, obsoletis; alis hyalinis, costa fuscana, area aperta fere in apice alæ terminata, nervo transv. ordinario obliquo mox pone medium areæ inserto, curvatura nervi long. 4:ti geniculata, nervo long. 3:tio setuloso; vibrissis nullis; epistomate ad latera setoso. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 301. 107. ♀. Tab. 41. f. 31. ala. — *Plagia* Meig. Dipt. 7. 201. 4.

Hab. in Norvegia rarius; ad diversorium Thynæs in parœcia Skogn, & ad Næs Værdaliæ, 1—8 Jul. 1840 individua 5, quorum unum masculum & 4 feminea inveni.

♂♀. Similis priori, sed corpore minus cylindrico, fronte paullo minus porrecta, antennarum articulo ultimo paullo longiore & latiore, seta biarticulata? vix ad medium incrassata, setis ad latera epistomatis pluribus (5—6), thorace leviter albescente, lineis anticis 4 nigris, abdominis fasciis 3 certo situ perspicuis, alarum costa minus infuscata, nervo transv. ordinario obliquo, nec subperpendiculari, nervo 4:to magis geniculatim flexo, abunde distincta. Spinula costæ adest. Color corporis cærulescenti ater. Abdominis 1:mum segmentum breve. *Mas:* antennarum articulo ultimo nonnihil latiore, abdomine paullo angustiore, genitale in apertura segmenti ultimi convexo recondito, a *femina:* vagina retracta in segmento anali hiante immersa, dignoscitur. — A *T. trepida* (14), & *subcincta* (15), quibus valde affinis, nervo long. 4:to infra angulum non continuato &c., dignota.

77. *T. cuneicornis:* oblonga, atra, nitida, capite argenteo; fronte subprominente, lata, vitta lata, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, extrorsum dilatatis, articulo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3, albidis, obsoletis; alis hyalinis, costa fuscana, area aperta fere in apice alæ terminata, nervo transv. ordinario obliquo in medio areæ inserto, curvatura nervi long. 4:ti geniculata, nervo 3:tio setuloso; vibrissis nullis; epistomate ad latera setoso. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali & Norvegia rarissime; in Scania ad Kjellby prope Lund mense Junio 1830 semel ab oculatiss. D. *Dahlbom* deprehensa; ad Næs Norvegiæ etiam capta. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia missa).

♂♀. Priori ut ovum ovo similis, sed magnitudine nonnihil majore, antennarum articulo ultimo 2:do triplo, nec dimi-

dium l. duplo, longiore, extus (præsertim in ♂) paullulum magis dilatato & seta non ad medium incrassata, præcipue differre videtur.

78. *T. lugubrina:* oblonga, atra, nitida, capite cinereo; fronte parum prominente, lata, nigro-micante, vitta lata sanguinea; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo lato 2:do duplo longiore, seta brevi, triarticulata, crassa, in medio geniculata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque cingulis 3, glauco-albis, obsoletis; alis hyalinis, area occlusa ante apicem alæ in costa terminata, nervo transverso ordinario recto, subperpendiculari, pone medium areæ inserto, curvatura nervi 4:ti geniculata, nervis long. 1 & 3 setulosis; vibrissis spuriis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad littus maris individua 2 inveni, unum masculum ad Lomma 12 Jul., & alterum femineum ad Esperöd in parœc. Mellby 12 Aug. lectum.

♂♀. Similis *T. morioni* (73), & *ocypterinæ* (74), sed alarum nervis longitudinalibus 1:mo ad medium sui ipsius & 3:tio ad nervulum transversum medium, setulosis, ut & aliis notis vere diversa. Antennarum articulus ultimus in ♂ latissimus, in ♀ modice latus. Frons lata, nigricans, vitta lata, ferruginea, serie setarum mediocrium (♂), aut validarum (♀), utrinque duplici per setas 3 infra antennas descendente. Epistoma declivum. Vibrissæ inferne spuriæ. Genæ rufescentes. Palpi nigri. Oculi mediocres, subexserti. Thorax levissime albidus, lineis anticis 4 nigris. Abdomen ovale, subdepressum, parum pubescens, nitidum, glaucum, segmento 1:mo brevi, inermi, toto, reliquisque apice late, nigris, margineque apicali parce setosis. Anus aut subcrassus, breviter inflexus (♂), aut subattenuatus (♀). Alæ subalbido-hyalinæ, nervo costali atro. Nervi trans-

versi: medius apici nervi long. 1:mi oppositus; ordinarius aperte pone medium areæ insertus; apicalis subincurvus. Area occlusa, apice brevissime petiolata. Segmenta costæ: 1:mum elongatum æquale 3:tio, & 2:dum breve æquale 4:to; spinula nulla. Squamæ albæ. Halteres fusci. Pedes non valide spinulosi, tarsis simplicibus, ungvibus pulvillisque in ♂♀ parvis.

79. *T. setipennis:* ovata, obscure cinerea, opaca, capite griseo; fronte parum prominente, lata, vitta lata subferruginea; antennis elongatis, validis, seta brevi, triarticulata, crassa, articulis subæqualibus, thoracis lineolis anticis 2, abdominis fasciis 4, pedibusque, nigris; alis hyalinis, area aperta in apice alæ terminata, nervo transv. ordinario recto in medio areæ inserto, nervis longit. 1, 3, 5 setulosis; vibrissis nullis; epistomate ad latera setuloso. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Fall. Musc. 19. 37. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 4. 319. 191. ♀. *Thryptocera* Meig. Dipt. 7. 242. 1. Tab. 71. f. 12.

Hab. in floribus & foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 20 Maj.—20 Aug., passim; nempe ad Lund, Esperöd &c., haud raro; in Blekingia, D. *Aspegren;* in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum &c.; in Calmaria, D. *Wahlberg;* in Ölandia, D. *Boheman;* in Gottlandia ad Öja, Westerby *(B. F. Fries)*, Ejsta, Lummelund &c., frequens; in Bahusia ad Marstrand, Idem D. *Wahlberg;* in Dania ad Hafniam rar., D. *Staeger.* (Sub nomine: "*Tach. spinipennis* Meig. don. Bouchè" exemplum femineum omnino hujus e Silesia mihi misit D. *Zeller*).

♂♀. Similis *T. pilipenni* (37) & *crassicorni* (38), sed per varia dignota. Cinerea. Series setarum frontalium utrinque duplex vix l. parum infra antennas descendit. Antennæ

longitudine epistomatis, nigræ, articulis basalibus brevibus, ultimo longo, sublineari, lato, apice intus rotundato. Seta distincte triarticulata, valida, articulis subæque longis. Epistoma subdeclivum. Vibrissæ omnino nullæ, sed ad latera epistomatis series setarum inæqualium fere per totam longitudinem adest. Palpi jam nigricantes, jam fusci, jam denique (sæpe in feminis) lutescentes. Thoracis lineolæ anticæ nigræ 4 brevissimæ, laterales parum perspiciendæ. Abdomen in ♂ subcylindricum, in ♀ subdepressum, ovatum, in utroque sexu cinereum, segmento primo inermi, toto, reliquisque apice haud late, nigris, atque & in medio & in margine apicali parce setosis. Alæ subalbido-hyalinæ, nervo costali obscuro. Nervi transversi: ordinarius subrectus, subperpendicularis mox ante medium areæ insertus; apicalis leviter incurvus. Nervi longitudinales: 1:mus totus, 3:tius ultra nervulum transv. medium, & 5:tus basi, setulosi, 4:tus angulatim flexus. Spina costæ mediocris. Squamæ albæ. Pedes nigri, tarsis simplicibus, ungvibus pulvillisque in ♂♀ parvis. — Oculi in bene conservatis exemplis feminarum tenuissime puberuli.

*Obs.* Pupæ hujus speciei in Scania ad Lund sub Muscis arborum 30 Martii captæ d. 25 Maji ejusdem anni exclusæ; & altera vice quædam supra aquam stagnantem fluitantes d. 2 Maj. inventæ, 22—24 ejusdem mensis exclusæ.

80. *T. Lamia:* ovata, griseo-cinerea, opaca; fronte parum prominente, lata, vitta modice lata, subferruginea; antennis epistomate paullo brevioribus, latis, nigris, basi luteis, seta triarticulata, valida; abdomine nigro, nitido, cingulis 3 angustis, albis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario recto, apicali nullo; longitudinalibus: 1, 3 & 5 setulosis; vibrissis nullis. ♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Rœselia Lamia* Meig. Dipt. 7. 253. 1.

Hab. in Dania; ex Hafnia a Nobiliss. D. a Conciliis Justitiæ *Staeger* in uno specimine pro comparatione communicata, mihi in Suecia non obvia.

♀. Similis priori, paullo minor & absentia nervi transversi apicalis mox dignota. Differt præterea ab illa: antennis paullo brevioribus & latioribus, basi luteis, articulis setæ inæqualibus, nempe 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo longiore, ultimo longo, apice capillari, epistomate ad latera non setoso, thorace immaculato, ut & abdomine ovato, subdepresso, nigro, nitido, cingulis 3 albis angustis, determinatis, leviter interruptis. Palpi flavi, apice nigricantes. Margo oris anticus non reflexus.

81. *T. pellucens:* obtuse ovata, flavo-fulva, opaca; antennis paullo ultra epistomatis medium extensis, seta biarticulata, ultra medium incrassata, pedibusque, atris; fronte parum prominente, modice lata, tenuiter setosa; thorace fusco-lineato; abdominis basi lateribus fulvo-pellucida, vitta media nigra; alis cinereo-hyalinis, basi pallescentibus, nervo transverso ordinario inflexo, longit. 4:to angulato in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2 lin.).

*Mas:* frons modice lata, aureo-flava, nitida, antice linea media angusta nigra, serie setarum utrinque simplici. Epistoma flavum, genis albis. Thorax fusco-bilineatus & scutellum, fulvo-flava. Abdomen fulvum, segmentis 1, 2, & 3:tio basi, lateribus ferrugineo-flavo-pellucidis, vitta media in segmenti 1:mi basi dilatata, nigra. Tarsorum pulvilli mediocres, albi;

*Fem:* frons perparum latior, flavida, opaca, vitta latiore, atra, postice bifida serie setarum utrinque duplici. Epistoma albidum. Thorax obscure 4-lineatus & scutellum, flavo-cinerea. Abdomen flavo-cinereum, segmentis: 1:mo, & 2:do ima basi, lateribus ferrugineo-flavo-pellucidis, vitta media in segmenti 1:mi basi dilatata, nigra. Pulvilli parvi.

Fall. Musc. 22. 45. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 275. 64. ♂♀. *Clytia* Macq. Buff. 2. 151. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 205. 1. Tab. 69. f. 14.

Hab. in floribus Achilleæ Millefolium, Umbellatarum

&c., nec non in graminosis locis aridis, 2 Jun.—29 Jul.; per Scandinaviam meridionalem & mediam, certis annis haud rara; scilicet in Scania ad Lund & præsertim in Paradislyckan, frequens; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum &c.; in Calmaria; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Lummelund, Ruthe, Gothem &c.; ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania circa Hafniam, D. *Staeger.* (Ad Sedinum 8 Jun. 1842 a D. *Dahlbom* lecta. E Finlandia a D. *Sahlberg* & e Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Species pulchra. Setæ frontales tenues. Oculi sat magni, in viva ferruginei. Antennæ epistomate distincte breviores, sublineares, apice subrotundatæ, articulo ultimo 2:do fere triplo longiore. Epistoma perpendiculare, inferne in medio convexiusculum, margine antico oris non reflexo. Palpi fusco-flavi. Mystaces & setæ sub mento, non valida. Barba occipitis alba. Abdomen ovato-rotundatum, subdepressum, segmentis 4 subæquis præter anale parvum retractum. Segmenta omnia margine apicali setis haud validis ornata, in 1:mo segmento tantum paucis. Alarum nervus transv. ordinarius paullo pone medium areæ insertus. Area aperta. Nervus long. 4:tus angulatim flexus; 3:tius omnino inermis. Squamæ flavidæ (♂), aut albidæ (♀).

Var. b. ♀. duplo minor; abdomine immaculato; alarum area apice suboccIusa; in celeris var. a simillima.

82. *T. continua:* obtuse ovata, flavida (♂), aut nigricans (♀), opaca; capite flavo (♂), aut albido (♀); antennis vix ad medium epistomatis extensis, seta biarticulata, basi incrassata, pedibusque, nigris; fronte parum prominente, modice lata, tenuiter setosa; thorace fusco-lineato; abdomine basi lateribus flavo-pellucido (♂), aut immaculato (♀); alis cinereo-hyalinis, basi pallidis, nervo transverso ordinario inflexo, longitudinali 4:to angulato in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ (♂), $1\frac{3}{4}$ (♀) lin.).

*Mas:* frons flava, linea subimmersa obscura, serie setarum utrinque simplici. Epistoma album. Thorax fusco-bilineatus & scutellum, cinereo-flava. Abdomen obscure flavum, segmentis 3 anticis lateribus flavo-pellucidis. Pedes fusci, tarsorum pulvillis mediocribus;

*Fem.:* tota nigricans, flavido-submicans. Caput albicans. Frons serie setarum utrinque simplici, vitta media latiuscula nigra l. ferruginea. Pedes nigri, pulvillis parvis.

Meig. Dipt. 4. 276. 65. ♂. *Musca* Panz. Fn. 60. 19. ♂. *Clytia* Macq. Buff. 2. 151. 2. Meig. Dipt. 7. 205. 2.

Hab. in floribus ad Gothem Gottlandiæ, ubi specimina plura d. 5 Jul. 1819 legi, nec alibi inveni.

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine paullo minore, setis frontalibus & mystacinis tenuioribus, antennis multo brevioribus, seta basi tantum incrassata, palpis flavis, corpore & præsertim capite minus intense flavis, abdominis lateribus in ♂ magis flavo- (nec fulvo-) pellucidis, & in ♀ immaculatis, abunde distincta.

83. *T. rotundiventris:* obtuse ovata, thorace glauco; antennis brevibus, scutello, abdomine nigro-punctato, pedibusque flavis; capite albo, fronte parum prominente obscura; alis flavidis, nervo transverso ordinario recto, longitudinali 4:to curvatim flexo in apice alæ excurrente; tarsis nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* fronte posterius angustata, thorace glauco, abdomine levissime albo-micante, puncto in medio singuli segmenti nigro-fusco; ano inflexo;

*Fem.:* fronte latiore, vitta media atra, thorace nigricante, abdominis segmentis margine apicali angustissime inæqualiter nigro.

Fall. Musc. 23. 46. ♀. Meig. Dipt. 4. 356. 204. ♂♀. & *Clytia* eadem 7. 205. 4. Tab. 69. f. 22. ♂. 23. ♀.

Hab. in Suecia media, locis sylvaticis, versus finem mensis Junii & initio Julii, rarissime; scilicet in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lärketorp, ipse; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*.

♂♀. Similis *T. pellucenti*, a qua vero magnitudine paullo minore, setis corporis gracilioribus, antennis, scutello, abdomine pedibusque, in utroque sexu flavis, alarum nervo transv. ordinario recto, longit. 4:to curvato, nec angulato, &c., satis superque distincta. Epistoma albo-corneum, linea utrinque fusca. Frons obscura, vitta nigra angusta (♂), aut latiuscula (♀). Segmenta abdominis æqualiter longa. Alarum nervi transversi: medius apici longitudinalis 1:mi oppositus; ordinarius fere in medio l. mox pone medium areæ apice apertæ insertus, & ad marginem interiorem alæ sat prope retractus. Nervi omnes inermes. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Pedes flavi, tibiis apice tarsisque totis nigris. Pulvilli in ♂ mediocriter magni, albi. — Antennæ parum ultra dimidium epistomatis extenduntur.

81. *T. vulpina:* cinerea, capite albo; antennis elongatis, latis, seta crassa, thoracis lineis 4, abdominis rufi vitta dorsali, tarsisque, nigris; thoracis limbo laterali scutelloque albidis; vitta frontali pedibusque testaceis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Musc. 23. 47. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 260. 35. ♂♀. *Micropalpus vulpinus* Macq. Buff. 2. 81. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 217. 2. Tab. 70. f. 18.

Hab. in floribus Umbellatarum, ut Heraclei, Pimpinellæ, Pastinacæ &c., quoque in paludibus sylvaticis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 12 Jul.—16 Aug., passim haud raro; scilicet in Scania ad Esperöd; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Ostrogothia: in palu-

de sylvatica ad Fylla prope Wadstena certis annis copiose, ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Ruthe frequens; in Dania ad Hafniam non raro, D. *Staeger*. (E Glogavia a D. *Zeller* etiam benigne communicata).

♂♀. Colore corporis partiumque ab affinibus facillime dignoscenda. Caput margaritaceo-album. Frons porrecta, flavida l. fusca; vitta fulvescente; in ♂ paullo angustior, serie setarum utrinque simplici infra antennas per setas 4 descendente; in ♀ modice lata, serie setarum postice utrinque subduplici, infra antennas per setas 3 continuata. Antennæ longitudine fere epistomatis, liberæ, oblique porrectæ, articulo 1 brevi, 2:do 1:mo duplo longiori, setoso, 3:tio 2:do iterum fere l. vix duplo longiori, extrorsum (præcipue in ♂) dilatato, oblongo-subquadrato; totæ nigræ; seta elongata, crassa, nigra, 3-articulata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo fere longiore. Epistoma declivum, nudum, vibrissis nullis. Margo oris anticus reflexus. Palpi brevissimi, nigri. Abdomen rufo-testaceo-subpellucidum, vitta media nigra subinterrupta & in segmento ultimo sæpe abbreviata; incisuris tenuissime albidis; totum certo situ albo-tessellatum. Segmenta: 1:mum breve, inerme; 2:dum setis in medio 2 & in apice 2 (præter utrinque unam lateralem): 3:tium setis in medio 2 & in apice 8; 4:tum sparse setosum. Tuberculum anale ♂ rufum. Alæ hyalinæ, basi fuscescentes. Nervi transversi: medius apici nervi auxiliaris fere oppositus; ordinarius obliquus, leviter flexus, prope angulum areæ insertus. Nervi longitudinales: 4:tus distincte infra angulum continuatus, 3:tius basi 6—7 setosus. Spinula costæ nulla. Squamæ magnæ, albæ. Pedes rufi, nigro-spinosi, coxis posterioribus, trochanteribus, femorum annulo apicali angustissimo, tarsisque subinermibus omnibus & totis, nigris. Pulvilli albi, in ♂ paullo longiores quam in ♀.

85. *T. grandis:* nigra, opaca, capite albido; fronte prominente, modice lata, griseo-cinerea, vitta atra; an-

tennis epistomate nonnihil brevioribus, linearibus, articulo ultimo 2:do triplo longiori, seta ad medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, albidis; scutello rufescente; alarum nervo transv. ordinario flexo, spinula costæ nulla. ♂. (Long. 4½ lin.).

Hab. in Scania ad Lund rarissime. Larvæ e larva *Bombycis Cajæ* egressæ & deinde in pupas mutatæ, d. 20 Maj exclusas. E larva *Saturniæ pavonulæ* proventam hanc etiam ad Gusum Ostrogothiæ observavit Cel. Prof. *Wahlberg.*

♂. Valde similis & affinis ♂ *T. fasciatæ* n:o 1, & *flavescenti* n:o 2, sed fronte nonnihil angustiore, oculis distincte hirtis, nervo alarum 4:to infra angulum tantum apparenter continuato, &c., vere differt. Antennæ incumbentes, lineares. Series setarum frontalium utrinque simplex infra medium epistomatis per setas 6—7 descendit. Vibrissæ inferne paucæ. Palpi flavi. Alarum area anguste aperta. Setulæ basi nervi longitudinalis 3:tii 6—8. Squamæ albæ. Reliqua ut in *T. fasciata* aut *flavescente.*

86. *T. truncata:* nigra, capite argenteo; fronte distincte prominente, vitta atra l. picea; antennis longitudine fere epistomatis, liberis, articulo ultimo 2:do parum longiore, lato, subquadrato, seta 3-articulata, ultra medium incrassata, thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, albido-cinereis; scutelli apice ferrugineo; alarum nervo transverso ordinario flexo, spinula costæ parva; squamis albis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

*Mas:* paullo minor, palpis summo apice flavis; fronte modice angustata, serie setarum utrinque simplici; antennarum articulo ultimo subquadrato; alarum nervis parum infuscatis; abdominis lateribus in segmento 2:do sæpe macula parva rufa; tuberculo anali atro; pulvillis sat magnis;

*Fem.:* paullo major, palpis apice fere ad medium flavis;

fronte latiore, serie setarum postice utrinque duplici; antennarum articulo ultimo oblongo-quadrato; alarum nervis subinfuscatis; abdominis macula laterali rufa nulla; ano simplici; pulvillis mediocribus; in copula.

Gyllenh. in litteris. Zett. Ins. Lapp. 612. 34. ♂♀.

Hab. in truncis arborum viventium ut & in campis, per Scandinaviam mediam præsertimque borealem, 10—30 Jun., passim; in copula; scilicet in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Ostrogothia ad Gusum capta, a D. *Wahlberg* mihi missa; in Uplandia ad Holmiam; in Dalecarlia, D. *Boheman;* in Jemtlandia usque ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, frequens; in Lapponiis Suecicis: Umensi ad Lycksele & Badstuträsk, & Tornensi ad Kengis & Wittargi, rarius; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ, D. *Dahlbom.*

♂♀. Similis videtur *T. conspersæ* Meig. 4. 263. 41., sed abdomine fasciato, parum "nigro-tessellato" &c. distincta. Affinis quoque *T. hæmorrhoidali*, differt vero: antennarum articulo ultimo breviori, fere exacte quadrato, seta apice capillari, nec tota fere æque crassa, ut & alarum nervis transversis ordinario & apicali magis curvatis. Setæ frontales 3—5 infra antennas descendunt. Epistoma nudum & os album reflexum ut in priori. Palpi exserti, lutei s. lividi, interdum nigricantes. Antennæ apice recta truncatæ, seta modice longa, 3-articulata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo longiore. Thorax antice obscure cinereus, lineis 4 nigris. Scutellum nitidum, apice plus minus late rufum. Abdomen subnitidum, nigrum, segmentis 2, 3, 4 basi sat late albo-cinereis; setis ut in priori locatis. Segmentum 1:mum breve. Alarum nervi transversi: medius fere apici nervi long. 1:mi oppositus; ordinarius haud obliquus, sed paullo flexus & paullo magis ab angulo remotus quam in priori; apicalis nonnihil propius ad apicem alæ in costa excurrente quam in præcedente. Nervus long. 3:tius basi setulis 3—5; 4:tus infra angulum breviter, sed perspicue

& determinate continuatur. Abdominis fasciæ cinereæ certo luminis situ in margine inferiore e maculis nigris micant præsertim in ♀.

*Obs.* A Nobil. D. *Staeger* ex Hafnia specimen femineum sub nomine "*Tach. vagans* Meig." nuper accepi, quod feminæ nostræ speciei in omnibus simillimum est, excepta antennarum seta, quæ in exemplo Hafniensi tantum biarticulata videtur.

87. *T. Nemorum:* nigra, capite argenteo; fronte distincte prominente, vitta atra; antennis epistomate paullo brevioribus, liberis, articulo ultimo nigro 2:do rufo parum longiore, oblongo-subquadrato, seta biarticulata, ad medium tenuiter incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, albido-cinereis; scutello obscure cinerascente; alarum nervo transverso ordinario subrecto; spinula costæ nulla; squamis niveis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 251. 20. ♂♀. *Nemoræa* Macq. Buff. 2. 103. 18. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 21.

Hab. in Dania rariss.; ex Hafnia sub nomine allato specimen descriptum D. *Staeger* misit; mihi in Suecia non obvia.

♀. Simillima priori, a qua tamen differt: antennis basi rufofuscis, articulo ultimo paullo angustiore apice subrotundato, seta biarticulata, tenuius & vix ultra medium incrassata, fronte nonnihil latiore, serie setarum frontalium per setas plures (5—6) infra antennas descendente, scutello immaculato, alarum nervo transv. ordinario magis recto, spinula costæ nulla (an mutilata?), ut & squamis albidioribus. Palpi exserti flavi. Frons subobscura. Thorax obscure cinerea, lineis 3 nigris, media lata, vittiformi, subgemina. *Mas* fronte angustata a D. *Meigen* l. c. describitur, mihi ignotus.

88. *T. Pavoniæ:* nigra, capite griseo, epistomate in medio argenteo; fronte parum prominente, serie seta-

rum infra antennas longe descendente, antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do triplo longiore, valido, seta biarticulata, vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5, scutello, abdominisque fasciis 3, obscure cinereis; alarum nervo transverso inflexo; spinula costæ nulla; squamis albis. ♀. (Long. 3—5 lin.).

Wahlb. in litteris 1842.

Hab. in Ostrogothia, ad Gusum detecta a Cel. Profess. *Wahlberg*, qui testatur "specimina magnitudine variantia e larvis *Saturniæ* exclusa" fuisse.

♀. A priori, cui alias similis, differt: capite flavo-cinereo, epistomatis cavitate sub antennis intra carinas tantum argentea, ore antice vix reflexo, fronte multo minus prominente, latiore, vitta obscura, serie setarum frontalium longius & fere infra medium epistomatis descendente, antennis totis nigris, articulo ultimo longiore, seta longa capillari, vix ad medium incrassata, abdominis fasciis 3 cinereo-griseis, nec cinereo-albis, alarum nervo transv. ordinario magis flexo, apicali remotius ab apice alæ in costam excurrente, longitudinali 4:to longius, sed tantum apparenter, nec determinate, infra angulum continuato, abdominis segmentis 1 & 2 tantum in apice (nec in disco) bisetosis, ut & tarsorum pulvillis parvis atris, nec albis. — Generibus Meig. *Nemoreæ* & *Exoristæ* affinis.

89. *T. maculipennis:* nigra, capite cinereo; fronte subprominente, angustata (♂), vitta atra, serie setarum in medium epistomatis descendente; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do fere 4-drupto longiore, valido, seta biarticulata, vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5, abdomineque, cinereis, hoc maculis fusco-micantibus, macula laterali, ano scutellique apice ferrugineis; alarum nervis transversis fuscedine cinctis,

ordinario inflexo; spinula costæ nulla; squamis albis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad diversorium Thynæs prope urbem Levanger in parœcia Skogn d. 4 Jul. 1840, specimen descriptum inveni.

♂. Similis *T. 4-pustulatæ* (101), sed duplo minor, abdominis lateribus parum rufis, nervis transversis præsertimque medio magis infuscatis, apicali distincte incurvo, fere in apice alæ, nec ante apicem, in costa excurrente, ut & nervo long. 4:to breviter quidem sed vere & determinate infra angulum continuato, distincta. Antennæ ut in priori, sed articulo ultimo paullo longiori. Seta ut in præcedente. Epistoma subperpendiculare, vibrissis inferne inchoandis, tenuissimis. Os non- reflexum. Palpi flavi. Thorax cinereus, lineis 4 distinctis nigris. Abdomen ovatum, cinereum, maculis olivaceis. In segmento secundo macula lateralis rufa. Cauda inflexa, rufa. Setæ abdominis ut in priori. Area alarum apicalis aperta in apice alæ terminatur. Nervus long. 3:tius basi setulis 4, una remota. Pedes nigri, tarsorum pulvillis mediocribus, albis.

90. *T. ruricola:* nigra, epistomate argenteo, per totam longitudinem ad latera setoso; fronte non prominente, lata, cinerea, vitta lata, fusco-nigra; antennis epistomate paullo brevioribus sublinearibus, articulis 2 & 3 subæque longis, seta breviuscula, 3-articulata, fere ultra medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, cinereis; alarum nervis: transverso ordinario valde obliquo, longitudinali 3:tio a basi ad nervulum transv. medium setuloso, spinula costæ nulla; squamis albidis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 299. 104. ♂♀. Macq. Buff. 2. 142. 13. ♂♀. *Plagia* Meig. Dipt. 7. 201. 5.

Hab. in Scandinavia, 8 Jul.—10 Aug., rarius; sci-

licet in Scania in fruticibus ad Esperöd in parœc. Tranås rarissime; in Ostrogoth. ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Ölandia, ♀ a D. *Boheman* lecta; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger.* — (Sub nomine: *T. spinigera* hæc species olim divulgata fuit).

♂♀. Similis *T. ambiguæ* (5), sed oculis hirtis & nervo tantum long. 3:tio, nec simul 1:mo setuloso, distincta. Oculi magni. Frons utrinque bifariam rigide setosa. Antennæ articulo 2:do fusco-cinereæ, in ♂ breviore. Palpi obscure flavi. Os non reflexum. Thorax obscure cinereus, antice lineis 4 nigris. Abdomen conicum, nigrum, segmentis 2, 3, 4 basi late indeterminate cinereis. Segmenta: 1:mum breve, inerme, 2 & 3 margine apicali setis pluribus, validis, 4:to toto valide multisetoso. Alæ subfuscano-hyalinæ. Nervi transversi: medius apici longitudinalis 1:mi oppositus; ordinarius valde obliquus, in medio areæ insertus; apicalis longe ante apicem alæ in costa excurrens. Area apice occlusa l. parum aperta. Nervus long. 4:tus infra angulum obtusum longe, sed tantum apparenter, continuatus. — Antennarum seta breviuscula, 3-articulata, articulis 2 basalibus brevibus perspicuis, 3:tio paullo ultra medium graciliter incrassata.

91. *T. comta:* nigra, capite albo; fronte distincte prominente, lata, vitta lata, rufo-flava; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do vix dimidio longiore, valido, seta 3-articulata, fere ad apicem incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque cingulis 3, cinereis; abdominis lateribus in ♂, scutello tibiisque in utroque sexu rufis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Fall. Musc. 24. 48. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 267. 39. Forte etiam *T. marmorata* Meig. l. c. 261. 36. seu *Micropalpus marmoratus* Meig. Dipt. 7. 217. 3 est ♀ hujus.?

Hab. in Suecia, 5 Jun., 17 Jul., 10 Sept., minus frequens; nempe in Scania ad Abusa & Esperöd; in

Blekingia ad Bruatorp; in Ostrogothia in littore arenoso ad lacum Wettern prope Wadstena, uterque sexus; in Dalecarlia australi ad diversorium Uppbo, ♀ 2 Sept. (E Reinerzi Silesiæ ♀ a D. *Zeller* quoque communicata).

♂♀. Caput album, nitidum, genis & ore reflexo sæpe pallide flavis. Frons modice lata, nigro-micans, in ♀ latior, vitta in utroque sexu ferruginea l. fulva, serie setarum validarum utrinque duplici per setas 3—4 infra radicem antennarum descendente. Antennæ liberæ, articulis: 2:do nigro-fusco, ultimo oblongo-quadrato, versus apicem sublatiore, toto nigro, seta modice longa, distincte 3articulata, valida, apice subcapillari, articulo 1:mo brevissimo, 2:do 1:mo triplo longiore. Epistoma declivum, nudum. Thorax cinereus, lineis 4 abbreviatis, nigris. Humeri sæpe præsertim in ♂ ferruginei. Scutellum rufo-testaceum. Abdomen ovatum subnitidum, nigrum, fasciis 3 (ad basin segmentorum 2, 3, 4) albidis, certo situ nigro-marmoratis. Segmenta 2, 3 & 4, ad latera in ♂ macula magna, in ♀ striga basali, ferrugineis. Anus in ♂ inflexus, apice rufus. Segmenta utriusque sexus: 1:mum breve, inerme; 2:dum setis 2 in disco & 2 in apice (præter unicam lateralem); 3:tium 2 in disco & circiter 10 in margine apicali; 4:tum setis pluribus; omnibus validis. Venter niger, incisuris albis. Alæ hyalinæ, basi subfuscæ. Nervus transv. medius inter apicem nervi auxiliaris & longitudinalis 1:mi ductus. Area aperta, procul ab apice alæ excurrens. Nervi longitudinales: 3:tius basi setulis 3—5; 4:tus infra angulum subacutum initio certe, deinde apparenter continuatus. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Pedes nigri, valide spinosi, tibiis obscure rufis. Pulvilli albi, in ♂ magni, in ♀ parvi.

92. *T. hæmorrhoidalis:* nigra, capite albo; fronte distincte prominente, lata, vitta, lata nigricante; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do vix dimidio longiore, valido, seta 3-articulata, vix ultra

medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, cinereis; scutello rufescente; in ♂ abdominis lateribus anoque inflexo ferrugineis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Fall. Musc. 25. 50. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 258. 33. ♂♀. *Micropalpus* Macq. Buff. 2. 83. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 217. 6.

Hab. in floribus Umbelliferis, raro in truncis arborum Ulmi, Salicis &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jul.—20 Aug., passim; in copula; scilicet in Scanía ad Lund, Abusa, Björnstorp (*B. F. Fries*), Tygelsjö (D. *Dahlbom*); in Ostrogothia ad Lärketorp; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, ad Upsaliam, D. Prof. *Thunberg*.

♂♀. Simillima priori, a qua non differt nisi antennarum seta minus distincte 3-articulata, tantum circiter ad medium indeterminate incrassata, vitta frontali fusca l. picea, nec fulva, tibiis nigris, & in ♂ ano toto rufo. Seta antennarum revera est triarticulata, sed articulus 1:mus brevissimus, subimmersus, & 2:dus brevior quam in priore. Abdominis fasciæ cinereæ in ♀ præsertim perspicue nigro-marmoratæ. Tibiæ raro piceæ. Cetera ut in *T. comta.*

93. *T. fulgens:* nigra, capite albo; fronte distincte prominente, lata, vitta lata, fulva; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do dimidio longiore, valido, seta 3-articulata fere ad apicem incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, cinereis; scutello rufo; pedibus nigris. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 4. 259. 34. ♂♀. Tab. 41. f. 23. ♀. Macq. Buff. 2. 83. 10. Meig. Dipt. 7. 217. 1. T. 7. f. 12—14. ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; ♂ in Ostrogothia inventus, & ♀ in Bahusia ad Marstrand a D. *Wahlberg* lecta,

mihi sub nomine "*T. lupina* n. sp." communicata. (♂ ad Jungfern-Heyde & Moabite prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* captus; & uterque sexus e Glogavia a D. *Zeller* sub nomine *T. fulgens* missus).

♂♀. *T. comtæ* iterum in omnibus simillima, & differt solummodo abdominis lateribus in ♂ vix l. parum rufo-maculatis, ut & tibiis in utroque sexu nigris. Abdominis fasciæ cinereæ distincte nigro marmoratæ. — An specie diversa?

94. *T. obliquata:* nigra, capite albo; palpis flavis; fronte prominente, lata, vitta lata (♀), nigra; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do dimidio longiore, valido, apice intus rotundato, seta 3-articulata, ad medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, cinereis; scutello rufo; pedibus nigris; vibrissis distinctis. ♀. (Long. 3½ lin.).

Fall. Musc. 24. 49. ♀. verissima secundum specimen originarium. — Meig. Dipt. 4. 263. 40. *Micropalpus obliquatus* Meig. Dipt. 7. 218. 8. (sed immerito ad *Micropalpi* genus relata ob palpos exsertos, ut & vibrissas perspicuas, quæ notæ *Metopiæ* aut *Phorocerœ* potius competunt).

Hab. in Scania rarissime, ad Esperöd in parœcia Mellby semel lecta.

♀. In multis proxime præcedentibus similis, sed in aliis diversa. Caput albo-cinereum. Series setarum frontalium validarum utrinque duplex per setas 4 infra antennas descendit. Antennarum articulus ultimus 2:do duplo longior, validus, latus, angulo inferiore apicis rotundato, nec "apice intus truncatus," nam in exemplo Falléniano angulus apicalis inferior casu tantum involutus, unde antennæ e late-

re visæ subtus "oblique truncatæ" apparent, quod seduxit oculatissimum alias Auctorem antennarum apicem "sensim attenuatum" describere. Epistoma subperpendiculare. Vibrissæ ultra medium epistomatis adscendunt. Palpi exserti, flavi. Thorax cinereus, vittis 4 nigris. Scutellum totum & callus utrinque inter scutellum & alas, pallide rufa. Abdomen oblongo-ovatum, nigrum, segmentis 2, 3 & 4, fascia albo-cinerea, postice evidenter nigro-marmorata. Segmenta quoque: 1:mum breve setis in medio apicis 2; 2:dum setis in medio 2, in apice totidem (præter laterales); 3:tium setis in medio 2, in apice pluribus; 4:tum setis multis; omnibus validis. Alæ ut in *T. comta* (91), sed nervus transversus ordinarius magis rectus & mox pone medium areæ, nec prope angulum, insertus, nervus long. 4:tus tantum apparenter infra angulum continuatus, ut & spinula costæ parva quidem, tamen adest. Squamæ albæ. Pedes toti nigri.

95. *T. Puparum:* nigra, opaca, capite cinereo; fronte distincte prominente, angusta (♂), aut lata (♀); vitta striata, fusca; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo 2:do rufo parum longiore, valido, prismatico, seta 3-articulata, ad medium incrassata; palpis flavis; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3, albidis; scutello ferrugineo; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, ordinario valde inflexo, longitudinalis 4:ti angulo subdescendente. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 4. 251. 21. T. 41. f. 22. ♂. *Musca* Fabr. Antl. 299. 80. *Nemoræa* Macq. Buff. 2. 101. 11. ♂. t. 14. f. 9. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 6. *Tachin. tricincta* Fall. Musc. 26. 53. ♂♀. *Panzeria lateralis* Rob. Desv. n:o 1.

Hab. in truncis arborum viventium, foliis fruticum, muris &c. tempore vernali, per Scandinaviam meridio-

nalem, 3 Maj.—2 Jul., passim rarius; scilicet in Scania ad Lund præcipue in horto botanico & Paradislyckan certis annis verno tempore frequens, alibi rarius; in copula; in vicinate Hafniæ Danorum D. *Staeger*. (E Kilia a D. *Wiedemann* olim communicata. E Glogavia specimen hujus palpis nigris obtinui).

♂♀. Lata, ovata. Antennæ breviusculæ, rufæ, articulo ultimo æque lato (prismatico), nigro, apice rotundato. Seta elongata, revera 3-articulata, licet articulis basalibus & præsertim 1:mo brevissimo, ægre observando. Series setarum frontalium haud validarum utrinque simplex (♂), aut postice duplex (♀), per setas 4—5 infra antennas descendit. Frons flavo-cinerea. Epistoma declivum, albidum, nitidum, ore antice subreflexo. Oculi dense hirti, in ♂ majores, longiores quam in ♀. Thorax cinereus, vittis 3 nigris. Abdomen latum, nigrum, fasciis 3 determinatis, albidis, per lineolam mediam nigram certo situ perspicuam interruptis. Segmenta: 1:mum breve, subinerme, 2:dum & 3:tium setis aliquot in disco & medio apicis, 4:tum undique, setosum. Latera abdominis in ♂ plerumque rufo-maculata. Alæ inermes. Spinula costæ nulla. Nervi transversi: medius apici auxiliaris fere oppositus; ordinarius valde inflexus, paullo pone medium areæ apertæ insertus; apicalis distincte incurvus, paullo ante apicem alæ in costa excurrens. Angulus nervi 4:ti descendens, subacutus. Squamæ albidæ. Tarsi: in ♂ apice pilosi, unguibus, pulvillisque albis, magnis, in ♀ parvis. — A genere *Trixa*, cui affinis, oculis nudis &c. mox dignoscitur.

96. *T. pellucida:* nigra, opaca, capite cinereo; fronte subprominente, angusta (♂), vitta striata, fusca; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo 2:do rufo fere duplo longiore, prismatico, seta 3-articulata, vix ad medium incrassata; palpis flavis; thoracis

vittis 5 cinerascentibus; scutello rufo; abdomine pellucido-ferrugineo (♂), vitta media apiceque nigris, maculis albo-micantibus; alis subcinereis, nervis flavidis, transverso ordinario valde inflexo, longitudinalis 4:ti angulo acuto. ♂. (Long. 5 lin.).

Meig. Dipt. 4. 254. 26. ♂. *Nemoræa* Macq. Buff. 2. 103. 15. ♂♀. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 1.

Hab. in Dania minus frequens; ad Hafniam Aug. capta, a D. *Staeger* mihi benevole misssa.

♂. Similis priori, a qua vero magnitudine majore, fronte minus porrecta, antennarum articulo ultimo nonnihil longiore & angustiore, seta non usque ad medium incrassata, abdominis lateribus late rufis, fasciis tribus non determinatis, cinereis, sed tantum in maculis albo-micantibus certo situ conspiciendis, nervis ferrugineis, & longitudinali 4:to infra angulum acutum brevissime subcontinuato, abunde distincta. Thorax glauco-albidus, lineis 4 nigris. Scutellum totum ferrugineum. Abdomen flavo-pellucidum, vitta media nigra, basi apiceque dilatata. Segmenta: 1:mum inerme; 2:dum setis apice 2 (præter unam lateralem); 3:tium setis apice circiter 12; 4:tum apice multisetosum. Alæ longæ, area apicali late aperta. Squamæ flavidæ. Reliqua ut in præcedente. — *Femina* a D. *Stæger* quoque inventa erit, a me non visa.

97. *T. rudis:* cæsia, subnitida, capite cinerascente; fronte prominente, angusta (♂), aut modice lata (♀); vitta striata, nigro-fusca; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo 2:do rufo parum longiore, valido, subprismatico, seta 3-articulata fere ad medium incrassata; palpis flavis; thoracis vittis 5 antice perspicuis abdominisque tessellis obsoletis, albo-micantibus; abdominis maculis lateralibus in ♂, & scutello in utroque sexu,

ferrugineis; alis hyalinis, basi fuscis, nervo transv. ordinario valde inflexo, longitudinalis 4:to angulo acuto. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Musc. 27. 56. ♂♀. genuina. Meig. Dipt. 4. 246. 13. ♂. (antennis totis nigris). *Nemorea* Meig. 7. 221. 3.

Hab. in Suecia meridionali tempore verno, passim; in Scania & præsertim in fruticibus horti botanici Lundensis, 20 Maj.—18 Jun., haud infrequenter lecta; e Westrogothia etiam missa.

♂♀. Simillima *T. Puparum* (95), sed colore corporis cærulescente l. cæsio, subnitido, (nec fusco-nigro, opaco), scutelli basi sæpius nigricante, abdominis albedine non fascias determinatas, sed tantum tessellas obsoletas formante, ut & alis basi magis fusco-flavis, facile dignoscenda. — Nervus transv. medius infuscatus. Anus in ♂ ater.

98. *T. strenua:* cæsia, subnitida, capite cinerascente; fronte prominente angusta (♂), aut lata (♀); vitta nigra; antennis epistomate paullo brevioribus, rufescentibus, articulo ultimo 2:do parum longiore, valido, prismatico, seta biarticulata fere ad medium incrassata; palpis flavis; thoracis vittis 5 antice perspicuis, abdominisque tessellis obsoletis, albo-micantibus; abdominis maculis lateralibus in ♂, & scutello in utroque sexu, ferrugineis; alis hyalinis, basi fuscis, nervo transverso ordinar. valde inflexo, longitudinalis 4:ti angulo subacuto, descendente. ♂♀. (Long. 4—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 249. 17. ♂. *Nemoræa* Macq. Buff. 2. 102. 14.? ♂♀. — *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 12.

Hab. rarissime in Scania ad Lund, ubi 3 specimina tempore vernali inveni. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. *T. rudi* simillima, sed antennis fere totis rufo-testaceis, articulo ultimo tantum parum infuscato, angulo nervi 4:ti magis descendente, non exacte acuto, sed ut in *T. Puparum* subrotundato, ut & fronte in ♀ nonnihil latiore, distincta, nec prioris varietas juvenilis videtur. Epistoma inferne rufescens, intra carinas flavido-albidum.

99. *T. vivida*: cæsia, nitida, capite albo-cinereo; fronte prominente, angustata (♂), aut lata (♀), vitta fusca, postice angustiore (♂); antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo 2:do parum longiore, subquadrato, extrorsum paullo latiore, seta biarticulata fere ad medium incrassata; palpis flavis; thoracis vittis 5 anticis, abdominisque cingulis 2, albidis, obsoletis; scutello apice rufo; alis hyalinis, basi subfuscis, nervo transv. ordinario leviter flexo, angulo nervi 4:ti subrecto; squamis albis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 642. 36. ♂♀. *Tach. lurida* var. *β.* ♂♀. Fall. Musc. p. 27. An *T. vagans* Meig. 4. 248. 16? ♂.

Hab. in graminosis sylvaticis, fruticibus, floribus Umbellatarum &c., per Sueciam præsertim mediam & borealem, 20 Jun.—30 Aug., vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Absua, Esperöd &c., passim; in Ostrog. ad Gusum; in Ölandia & Gottlandia, rarius; ad Gothoburgum, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Berge in Alsen, in monte Hofverberget, & in parœcia Undersåker, frequens; in Lapponiis Umensi ad Lycksele & Åsele, freq., in Tornensi ad Kengis & Muonioniska. (E Reinerzi Silesiæ, D. *Zeller*).

♂♀. Similis *T. rudi*, sæpe nonnihil minor, antennis totis nigris articulo ultimo multo latiori, extrorsum præcipue dilatato, thorace cærulescenti nigro, vittis cinereis vix per-

abdomine fere toto cærulescenti atro, nitido, segmentis tantum 2 & 3 basi certo luminis situ leviter albomicantibus, distincta. Scutellum saltem apice rufum. Nervi transversi leviter fusci. Squamæ albæ. Abdominis latera in ♂ raro leviter rufo-maculata.

100. *T. consobrina:* cæsia, nitida, capite flavo-cinereo; fronte prominente, angustata (♂), aut lata (♀), vitta fusca l. nigricante; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo 2:do parum longiore, subquadrato, extrorsum paullo latiore, seta biarticulata fere ad medium incrassata; palpis flavis; thoracis vittis 5 anticis, abdominisque cingulis 2, albidis, obsoletis; alis hyalinis, basi subfuscis, nervo transv. ordinario leviter flexo, angulo nervi 4:ti subrecto; squamis albis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Meig. Dipt. 4. 248. 15. ♂♀. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 5.

Hab. cum priore Jul. Aug. passim; in Scania ad Abusa rar.; in Ostrogothia ad Lärketorp; ad Gothoburgum in floribus Angelicæ, D. *Wahlberg*, (qui eam sub nomine *T. tricincta* Fall. misit); in Jemtlandia ad Faxelfven, Berge & Åreskutan, freq.; in Lapponia Umensi ad Lycksele rar.; ex Hafnia a D. *Stæger* sub nomine *T. consobrina* Meig. communicata. (E. Glogavia etiam a D. *Zeller* obtinui).

♂♀. A priori, cui alias simillima, differt tantum capite flavo aut flavido-cinereo, ut & scutello cærulescenti nigro, immaculato.

101. *T. 4-pustulata:* nigra, opaca, capite cinereo; fronte subprominente, angustata (♂), aut lata (♀); antennis epistomate paullo brevioribus, sublinearibus, arti-

culo ultimo 2:do duplo longiore angustato (♂), aut latiore (♀), seta biarticulata, vix ad medium incrassata; thorace vittis 5 albidis; scutello rufo; abdomine albido-maculato, lateribus anoque rufo-testaceis; nervo transverso ordinario inflexo, angulo nervi 4:ti subrecto. ♂♀. (Long. 3—3 ½ lin.).

Var. a. ♂♀. abdominis limbo laterali præsertim in ♂ & ano rufis.

Fabr. Antl. 309. 4. teste D. *Meigen.* — Meig. Dipt. 4. 255. 38. ♂♀. Zett. Ins. Ins. Lapp. 613. 40. var. a. ♂♀. *Nemoræa.* Macq. Buff. 2. 103. 16. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 221. 24. *Tach. æstuans* Fall. Musc. 30. 61 certe ♂♀. var. a. & b.

Var. b. ♂♀. in copula cum var. a. sæpe minor, abdomine præter anum ferrugineum vix rufo-maculato.

Zett. Ins. Lapp. var. b. ♂♀. Fall. l. c. var. c.

Var. c. ♂. magnitudo var. a. fronte nonnihil latiore, abdominis lateribus leviter rufo-maculatis.

Hab. in foliis fruticum & plantarum, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ in primis meridionalis & mediæ, 30 Maj. — tota æstate — 3 Sept., ubique vulgatissima, præsertim var. a. frequentissima; in copula; prope terram sæpe circulatim inquiete & valde agiliter volans, pipiens; scilicet in Scania tota, copiose; in Smolandia & Ostrogothia passim, in Ólandia ad Gärdslösa &c.; & in Gottlandia ad Garde, Gothem &c. freq.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi rarissima; in Norvegia ad Dovre, D. *Boheman*, ad Thynæs, ipse; in Dania ad Hafniam, D. *Stæger.* (Ad Moabite & Rixdorf prope Berolinum 7—14 Jul. 1812 plura specimina legit D. *Dahlbom;* sub nomine *'Exorista* (Tachina) *api-*

*calis* Meig.?" etiam e Glogavia a D. *Zeller* communicata). Larvæ in pupis *Saturniæ Carpini* & aliorum Lepidopterorum vivunt. Sæpe feliciter exclusæ.

♂♀. Ovata. Antennæ liberæ, angustæ (♂), aut latiores (♀), apice rotundatæ. Seta elongata. Frons non longe prominens, serie setarum haud validarum simplici (♀), aut duplici (♀), per setas 5-7 infra antennas descendente. Vertex niger. Epistoma subbreve, in medio carinatum, ad latera (sub serie setarum frontalium) serie pilorum tenuium. Vibrissæ inferne paucæ. Palpi flavi. Os vix reflexum. Thoracis vittæ 5 glauco-albæ cum vittis 4 nigris alternantes. Abdomen ovatum, segmento 1:o parum brevi, atro, apice bisetoso; 2:do & 3:tio nigris, albido-maculatis, apice setosis, lateribus præsertim in ♂ plus minus late ferrugineis, in ♀ maculis 2 rufis; linea dorsali nigra; 4:to basi ut in segmentis 2, 3 picto, limbo postico in ♂, & apice in ♀, ferrugineis; toto setoso. Alarum nervi ut in *T. consobrina*, sed transversus apicalis paullo minus curvatus. Squamæ albæ. Tibiæ posticæ extus ciliatæ. Tarsorum ungves nigri & pulvilli albidi, in ♂ mediocriter longi. Tarsi in ♀ simplices.

*Obs.* A *Nemorea erythrura*. Meig. Dipt. 7. 223. 22. ♀. vix nisi scutello rufo, nec cinereo, differt. Valde quoque affinis videtur *Tachinæ* (Exoristæ) *apicali* Meig. Dipt. 4. 333. 163. Cfr. tandem *T. ruficauda* infra N:o 107, quæ a *T.* 4-*pustulata* Fabr. genuina parum abludit.

102. *T. rubricornis:* cæsia, subnitida, capite albido; fronte haud prominente, lata (♀), vitta obscure ferruginea; antennis epistomate paullo brevioribus, rufescentibus, articulo ultimo 2:do parum longiore, oblongo, superne nigro, seta biarticulata, basi incrassata; palpis flavis; thoracis vittis 4 albidis; abdomine nigro cinereo-

marmorato; alis hyalinis, nervo transverso ordinario leviter flexo, anguli nervi 4:ti subrecto. ♀. (Long. 2 ¼ lin.).

Hab. in Svecia rarissime; in monte præalto Hofverberget Jemtlandiæ 14 Aug. 1840 individuum unicum inveni. (E Finlandia specimen etiam a D. *Sahlberg* accepi.)

♀ In hac subdivisione parva; ovata. Caput album. Frons cinerea, serie setarum mediocrium utrinque duplici per setas 4-5 infra antennas continuata. Antennæ elevatæ, liberæ, rubræ, articulo ultimo paullo dilatato, apice rotundato, & superne late, nigro, levissime cinereo-pollinoso. Epistoma perpendiculare, nudum, ore non reflexo. Seta mystacina utrinque unica, at setulæ sub mento plures. Thorax cæsius, lineis 4 nigris, interstitio inter 2 medias cæsio. Vittæ 4 albidæ. Scutellum cæsium. Abdomen atrum, segmentis 2, 3, 4 cinereo-marmoratis. Segmenta: 1:mum breve, in medio apicis setis 2; 2:dum & 3:tium setis aliquot in disco & apice; 4:tum undique setosum. Alæ hyalinæ, haud infuscatæ. Nervi transversi: ordinarius inflexus mox pone medium areæ angustæ apertæ insertus, apicalis leviter incurvus mox ante apicem alæ in costa excurrens. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Pedes nigri, unguibus concoloribus, pulvillisque albis, minutis. Tarsi antici simplices, qui in ♀ specierum proxime præcedentium paullo dilatati.

103. *T. affinis*: nigra, subnitida, capite albido; fronte parum prominente, nonnihil angustata (♂), aut lata (♀), vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do fere triplo longiore, lineari, seta biarticulata, non ad medium incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3 albidis; scutello ferrugineo; alis hyalinis, basi subfuscis, nervo transv. ordina-

rio leviter flexo, angulo nervi 4:ti subobtuso; squamis albis. ♂♀. (Long. 3½ lin. & ultra.)

Fall. Musc. 28. 57. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 327. 153. *Senometopia* Macq. Buff. 106. 5. ♂♀.

*Exorista* Meig. Dipt. 7. 255. 5. Tab. 72. f. 17. ♂.

Hab. in floribus Umbellatarum, Jun.—Aug., minus frequens; in Scania passim; in Smolandia, D. *Boheman*. Larvæ in larvis Lepidopterorum vivunt, & in pupis *Saturniæ Carpini*, *Arctiæ Cajæ* &c. sæpe inventæ. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Affinis *T. rudi* (97), sed paullo minor, fronte minus porrecta, antennis longioribus angustioribus, nigris, alis minus infuscatis, nervis transversis: ordinario minus inflexo, apicali minus incurvato, angulo nervi 4:ti magis obtuso, squamis albis, nec flavidis, abdominis lateribus in ♂ haud rufo-maculatis, fronte in ♂ multo latiore, &c., abunde distincta. Vibrissæ inferne spuriæ, paucæ. Os subreflexum. Thoracis vittæ albidæ parum perspicuæ. Abdomen ut in priore setosum, & fere similiter ac in illa pictum. Nervus transv. apicalis levissime incurvus.

101. *T. Bohemanni:* flavido-pruinosa, capite albido; fronte prominente, pallide aurea, vitta lata, brunneo-velutina; antennis epistomate brevioribus, fusco-rufescentibus, articulo ultimo 2:o triplo longiore, magno, seta longa; thoracis lineis 5 tarsisque nigris; scutello ferrugineo; abdomine fulvo, linea dorsali nigra; pedibus fuscis, tibiis ferrugineis; alarum nervo transverso ordinario flexo; squamis albidis. ♀. (Long. circiter 4 lin. l. ultra.). Wahlb. in litteris 1843.

Hab. in foliis Populæ tremulæ d. 22 Aug. 1811 a D. Prof. *Wahlberg* ad Gusum Ostrogothiæ inventa.

♀. Cum speciem hanc ipse non vidi, descriptionem ejus intactam, qualem a Celeb. Detectore per litteras accepi, afferre lubet. "*Tach. Bohemanni:* magnitudine, statura brevi & colore *Dexiæ rusticæ* simillima, abunde tamen distincta. Vertex longe setosus, pallide aureus, medio linea lata, brunneo-velutina, circa ocellos macula albida. Frons prominens. Epistoma parum impressum, medio carina longitudinali. Seta mystacina utrinque unica longa, setulæ oris plures. Vibrissæ nullæ vel tantum spuriæ. Barba densa, albida. Antennæ clypeo breviores, fusco-rufescentes, articulo ultimo ceteris triplo fere longiori, magno, oblongo-truncato; seta longe capillari nuda, fusco-rufescente. Palpi testacei. Thorax longe setosus, flavido-pruinosus, lineis 5 nigris, quarum exterior utrinque lata, maculis velut 2 composita, proxime adjacentes angustæ antice propiores postice abbreviatæ, media quoque angusta antice abbreviata. Pectus cinereum. Scutellum ferrugineum apice fulvo, subaureo-micans. Abdomen ovatum, fulvum, aureotessellatim micans, pro receptione scutelli profunde excavatum ibique nigrum, linea media longitudinali angusta nigra, setosum, apicibus segmentorum fortiter spinosis. Venter fulvus. Pedes breviores, spinulosi, femoribus fuscis cinereo-pruinosis, tibiis ferrugineis, tarsis nigris. Alæ basi parum infuscatæ, nervo 4:to longitudinali angulatim flexo, paullo ante apicem alæ, a 3:tio separato, excurrente, infra angulum non descendente, curvatura sursum flexa, nervo transverso ordinario curvato. Squama albida." *Wahlb.*

105. *T. demens:* nigra, capite argenteo; fronte prominente, latissima (♀), vitta lata, atra; antennis longitudine fere epistomatis, angustis linearibus, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, ultra medium incrassata; thoracis antico vittis 5, abdominisque

fasciis, 3, cinereis; scutello rufo; alarum nervo transv. ordinario leviter flexo, angulo nervi 4:to subobtuso. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund & Esperöd duo specimina inveni.

♀. Frons & vitta, latæ, antennæ elongatæ, seta fere ultra medium incrassata, epistoma argenteum, subperpendiculare, & os non reflexum, speciem ab affinibus præcipue distingunt. Series setarum frontalium validarum utrinque duplex per setas 3-4 simplices infra antennas descendit. Palpi flavi. Thorax niger leviter cinerascens, antice vittis 5 albidis per lineas 4 nigras sejunctis. Scutellum pallide ferrugineum. Abdomen ut in *T. affini* (103) pictum & setosum. Alæ etiam ut in illa, sed basi non infuscatæ & area apice paullo magis aperta. Spinula costæ minuta. Squamæ albæ. Pedes nigri. Tarsi simplices.

106. *T. stulta:* oblonga, cinerascens, opaca, capite argenteo; fronte prominente, modice lata, vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, validiusculis, articulo ultimo 2:do fusco fere triplo longiore, nigricante, seta biarticulata, basi incrasata; thoracis lineis 4, abdominis segmentis 1:mo toto reliquisque margine apicali, pedibusque, nigris; scutello rufescente; alarum nervo transv. ordinario inflexo, angulo nervi 4:ti subobtuso. ♂♀. (Long. 3½ lin.).

Hab. in Svecia media rarissime; marem in prato insulæ Fårön Gottlandiæ 12 Jul. 1819, & feminam ad Nähr Gottlandiæ 12 Jul. 1841, inveni; utrumque etiam sexum e Westrogothia mihi misit D. *Gyllenhal.*

♂♀. A priori, cui in variis convenit, corpore tamen longiore, subcylindrico, obscure cinerascente, fronte præsertim in ♂ multo angustiore, antennarum articulo 2:do fusco-rufo l.

cinereo ultimo nonnihil validiore, sed paullo breviore, seta longa non ad medium incrassata, scutello basi obscuro, alis forte paullo longioribus, & nervo transv. ordinario distinctius flexo, differt. Frons in ♂ paullo angustior, quàm in ♀., serie setarum in ♂ simplici, in ♀ duplici. Vibrissæ inferne inchoandæ. Thorax nigricans leviter cinerascens, antice cinereus, lineis 4 nigris. Pectus cinereum. Abdomen cinereum, certo situ lineola dorsali obsoletissima fusca, segmento 1:mo subbrevi toto, 2 & 3 margine apicali anguste, 4:toque apice nitido, nigris; ut in priore setosum. Segmenta 2 & 3 lateribus in ♂ obsolete rufescentia. Alæ cinereo-hyalinæ, area perspicue aperta. Nervus transv. apicalis leviter incurvus. Tarsorum ungues in ♂ basi, pulvillique toti, albi, modice longi. Reliqua ut in præcedente.

107. *T. ruficauda:* ovata, nigra, opaca, capite cinereo; fronte prominente, angusta (♂), aut lata (♀); vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, validis, articulo ultimo 2:do triplo & ultra longiore, seta 3-articulata, ad medium incrassata; thoracis vittis 5 albidis; scutello rufo; abdominis fasciis 3 cinereis olivaceo-maculatis; ano ferrugineo; alarum nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto, apicali distincte incurvo. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Var. a ♂♀. Abdominis latera vix rufo-maculata.

Zett. Ins. Lapp. 613. 38. ♂♀.

Var. b. ♂. Abdominis latera in segmento 2 & 3 macula rufa.

*Musca 4-pustulata* Fabr. Ent. Syst. 4. 324. 50?

Hab. in foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & borealem, 20 Jun.—26 Jul.—24 Aug., minus frequens; in Suecia media hactenus non deprehensa, quan-

tum noverim; nempe in Scania ad prædium amoenissimum Björnstorp, hodie a generosissimo D. Libero Barone *G. Gyllenkrok* possessum, a D. *Dahlbom* inventa, & in horto Esperöd in parœc. Tranås a me capta; in Helsingia ad Arbrå; in Jemtlandia ad radicem alp. Åreskutan; in Lapponia Umensi ad Åsele; in Norvegia ad Dovre, D. *Boheman*, & ad Næs Værdaliæ, ipse.

♂♀. Affinis *T.* 4-*pustulatæ* N:o 101., & præsertim ejus var. b. similis, sed magnitudine minore, antennis præsertim in ♂ longioribus & multo latioribus, angulo apicali superne recto, nec rotundato, seta forte paullo breviori, 3-articulata, articulo 2:do quam 1:mo brevissimo duplo longiore, setis frontalibus longius infra antennas descendentibus, *) epistomate in medio non carinato, ad latera nudo, nec pilosulo, abdominis lateribus non nisi in var. b. rufo-maculatis, segmentis, excepto 1:mo brevi inermi, in disco & apice setosis, alarum nervis transversis medio late infuscato, ordinario subrecto fuscedine subcincto, apicali perspicue incurvo, ut & tibiis spinosis, sed extus non ciliatis, aperte distincta. Alarum area fere in apice alæ educta. Squamæ albæ. Segmentum abdominis ultimum margine apicali plus minus late ferrugineo. Tuberculum anale in ♂ inflexum, ferrugineum, nitidum. Ungves nigri & pulvilli albi, in ♂ mediocres, in ♀ parvi. Tarsi antici in ♀ dilatati.

108. *T. dubia:* nigra, opaca, capite cinereo; fronte subprominente, angusta (♂), aut modice lata (♀),

---

*) brevitatis caussa setæ frontales *infra antennas descendentes* sæpe dicuntur; hoc vero semper ita intellectum volui ut hæ setæ *infra antennarum basin* l. *radicem* nec infra earum apicem, *descendant.*

vitta atra; antennis epistomate subbrevioribus, articulo ultimo 2:do fere triplo longiore, lineari, seta 3-articulata, vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5, scutello, abdominisque segmentis 3 ultimis, cinerascentibus, his olivaceo-maculatis; alarum nervis infuscatis, transverso ordinario recto, apicali incurvato, angulo nervi 4:ti subacuto. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Fall. Musc. 29. 60. ♂♀. certissime. Meig. Dipt. 4. 360. 210. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 613. 39. ♂♀. *Exorista* Meig. Dipt. 7. 256. 22. *Lydella* Macq. Buff. 2. 138. 23.?

Hab. in foliis fruticum, truncis arborum &c., per Scandinaviæ hortos & prata, 8 Maj.—4 Sept., vulgaris, in copula sæpe capta; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostro- & Westrogothia, passim; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Sproge &c.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan rar.; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarius; in Dania ad Hafniam, D. *Stæger*. (E Glogavia a D. *Zeller*.)

♂♀. Inter minores. Ovata, obscure cinerascens. Oculi in ♂ valde approximati, in ♀ paullo remotiores. Series setarum frontalium haud validarum utrinque in ♂ simplex, in ♀ duplex, per setas 8 (♂), aut 6 (♀) infra antennarum basin fere ad medium epistomatis parum declivi descendit. Antennæ mediocres, nigræ. Seta mediocris 3-articulata, articulis basalibus brevissimis, basi incrassata. Vibrissæ tenues, non ad medium faciei assurgentes. Palpi flavi, interdum fusci l. nigricantes. Os non reflexum. Abdomen ovatum, subnitidum, cinereum, maculis olivaceo-micantibus, segmento 1:mo brevi, inermi in utroque sexu, anoque inflexo in ♂, nigris. Segmenta 2 & 3 in disco & margine apicali, 4:tum totum, setosa. Alæ hyalinæ, basi & nervis,

præsertim transv. medio, subinfuscatis, ordinario plerumque recto fere in medio l. mox pone medium areæ inserto; apicali distincte incurvato. Area subocclusa l. tantum angustissime aperta fere in apice alæ educta. Squamæ sordide albæ. Pedes nigri, pulvillis albis & unguibus in ♂ modice longis. Tarsi in ♀ simplices. Cum *T. umbrinervi* N:o 146 hæc species non confundenda.

109. *T. Radicum:* cæsia, nitida, capite albido; fronte prominente, angustata (♂), aut lata (♀), flavida, vitta lata brunneo-nigra; antennis breviusculis, nigris, articulo ultimo prismatico, quam 2:do parum longiore, seta 3-articulata vix ad medium incrassata, thoracis vittis 5 anticis, abdominisque cingulis 2, albidis; scutello rufo; alarum nervi 4:ti angulo subdescendente. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Meig. Dipt. 4. 249. 18. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 642. 35. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 300. 82. (exclus. syn. Linn. *Musca Radicum*, quæ est *Anthomyza Radicum* nobis). *Nemoræa* Macq. Buff. 2. 100. 7. ♂. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 7. *Tachina lurida* Fall. Musc. 26. 54. var. a. ♂♀. (exclus. syn. Fabr., quod ad *Tach. luridam* Meig. 4. 241. 8. referendum; sed hæc in Suecia vix obvia.).

Hab. in floribus Umbellatarum &c., præsertim per Sueciam meridionalem, 21 Jul.—21 Aug., passim copiose; in copula sæpe capta; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum &c., frequens; in Westrog., D. *Gyllenhal;* in Bahusia ad Marstrand & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Norvegiæ Finmarkicæ alpe Skaaddavaara rarissime; circa Hafniam Daniæ, D. *Stæger.* (Ad Rixdorf prope Berolinum a D. *Dahlbom* etiam lecta; & e Glogavia a D. *Zeller* mihi missa).

♂♀. Magna. Similis *T. rudi* (97), & *vividæ* (99), sed palpis nigris &c. dignota. Frons grisea. Series setarum utrinque simplex (♂), aut duplex (♀), per setas 3-4 infra antennas continuata. Antennæ epistomate nudo paullo breviores, articulo 1:mo brevi elevato, 2:do duplo longiore, cinerascente, ultimo antecedente paullo longiore, multo latiore, præsertim versus apicem dilatato, toto nigro. Seta longa, articulis 2 basalibus brevissimis at in ♀ vix nisi unico perspicuo. Oculi ♂ remotiores quam in *T. rudi* & *vivida.* Os antice distincte reflexum. Palpi nigri, summo apice interdum flavi. Barba occipitis flavida. Thorax cæsius, antice cinereus, lineis 4 nigris. Scutellum sæpius apice saltim rufo-testaceum. Abdomen ovatum, cæsium, nitidum, segmentis 2 & 3 basi leviter albo-micantibus; in ♂ ad latera rufo-maculatis. Segmenta: 1:mum breve, inerme, atrum; 2:dum & 3:tium setis in disco 4 (♂), aut 6 (♀), (præter setas plures in margine apicali segmenti 3:tii in utroque sexu); 4:tum multisetosum. Alæ, squamæ & pedes omnino ut in *T. vivida.* Anus in ♂ inflexus, ater.

110. *T. intermedia:* cæsia, nitida, capite argenteo-micante; fronte prominente, angustata (♂), aut lata (♀), albida, vitta lata nigra; antennis breviusculis, nigris, articulo ultimo prismatico quam 2:do parum longiore, seta 3-articulata vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5 anticis, abdominisque cingulis 2 albidis, obsoletis; scutello rufo; alarum nervo long. 4:to infra angulum acutum brevissime continuato. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

* Hab. in Suecia meridionali Jul. Aug. frequens, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa, Björnstorp, Esperöd &c., vulgaris; in Blekingia ad Carlscrona, D. *von Borck*; e Westrogothia a D. *Gyllenhal* missa.

♂♀. Simillima priori, sed capite albidiore, nec flavido, fronte magis porrecta, oculis in ♂ paullulum remotioribus, nervo transverso ord. nonnihil propius ad angulum areæ inserto, ut & nervo long. 4:to infra angulum brevissime quidem, sed tamen vere præsertim in individuis masculis continuato, certe distincta. Os albo-rufescens. Corpus cærulescens, nitidissimum, abdominis segmentis 2, 3, 4 basi in individuis illæsis leviter albidis.

111. T. *caesia:* cæsia, nitida, capite argenteo-micante; fronte prominente, angusta (♂), aut lata (♀), vitta lata atra; antennis breviusculis, nigris, articulo ultimo subquadrato quam 2:do paullo breviore, seta 3-articulata ad medium incrassata; thoracis vittis 5 anticis, abdominisque fasciis 3, albidis, obsoletis; alarum nervi longitudinalis 4:ti angulo subobtuso. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Fall. Musc. 27. 55. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 247. 14. ♀. Zett. Ins. Lapp. 643. 37. ♂♀. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 221. 4.

Hab. in floribus Umbellatarum, præsertim in Scandinavia meridionali, 29 Jun.—15 Jul., passim; scilicet in Scaniæ hortis ad Lund, Abusa, Esperöd &c. frequens, in lapidibus soli expositis haud raro quoque obvia; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime; in Norvegia ad Næs Værdaliæ semel quoque a D. *Dahlbom* inventa. In Suecia media hactenus non deprehensa quantum noverim, nisi semel in Gottlandia ad Garde lecta.

♂♀. Simillima iterum T. *Radicum*, sed antennarum articulo ultimo breviore subquadrato, 2:do longiore, oculis in ♂ paullo magis approximatis, scutello, aut immaculato, aut tantum summo apice rufescente, abdominis fasciis albidis latioribus subtessellatis, segmento 4:to etiam albo-macula-

to, alarum angulo nervi 4:ti nonnihil magis obtuso, nec descendente, ut & alis vix infuscatis, mox dignoscenda.

112. *T. connivens:* cæsia, nitida, capite argenteo-micante, fronte prominente, angusta (♂), vitta angustata nigra; antennis breviusculis, nigris, articulo ultimo prismatico 2:doque æque longis, seta biarticulata vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5 anticis, abdominisque fasciis 3, albidis, obsoletis; alarum nervi long. 4:ti angulo subacuto. ♂. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel inventa.

♂. Priori simillima, sed differt: magnitudine paullo minore, antennarum articulis 2 & 3 æque longis, oculis magis approximatis, vitta frontali in medio angustissima, anterius tantum nonnihil dilatata, ut & angulo nervi 4:ti subacuto l. recto, nec subobtuso. Antennarum articulus ultimus ut in *T. Radicum* (109) formatus. Reliqua ut in *T. cæsia.*

113. *T. protuberans:* obscure griseo-cinerea, opaca, capite argenteo-micante; fronte prominente, subangustata (♂), aut modice lata (♀), vitta lata, striata, atra; antennis breviusculis, nigris, articulo ultimo lato 2:do paullo longiore, seta biarticulata vix ad medium incrassata; thoracis lineis 4, pedibusque, nigris; alis cinereis, basi flavescentibus, nervi long. 4:ti angulo subarcuato. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Populi Tremulæ junioris foliis, per Sueciam mediam & borealem, Jun. Jul., passim; scilicet in Ostrogothia ad Gusum; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Gottlandia & Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia 1836, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad diversoria Grimnäs & Fanbyn 19—21 Jun. 1840, ipse. (E

Reinerzi Silesiæ individium masculum a D. *Zeller* communicatum).

♂♀. Colore corporis obscure flavido-cinereo, opaco, magnitudine minore, vitta frontali in utroque sexu lata, ut & alis basi flavescentibus, & nervi 4:ti angulo subarcuatim flexo, a proxime præcedentibus facile dignoscitur. Frons distincte porrecta, argentea, nigro-micans, serie setarum haud validarum utrinque simplici (♂), aut duplici (♀), haud infra antennas continuata. Antennæ liberæ, elevatæ, epistomate paullo breviores, articulo ultimo subquadrato 2:do vix dimidio longiore. Seta basi (♂), aut fere ad medium (♀), incrassata. Epistoma breve, declivum, nudum, vibrissis inferne paucissimis. Os subreflexum. Palpi atri. Thoracis lineæ anticæ 4, quarum 2 mediæ approximatæ, tenuissimæ, & 2 laterales paullo latiores minus determinatæ. Abdomen oblongum, convexum, totum flavido-cinereum vix vestigio lineolæ dorsalis fuscæ. Segmenta: 1:mum vix brevius, setis in disco subquatuor; 2:dum setis in disco 6; 3:tium 4:tumque multisetosa. Alarum area apicalis distincte aperta fere in apice alæ terminata. Nervus transv. ordinarius inflexus. Spinula costæ parva. Pedes nigri, unguibus nigris & pulvillis albis, in ♂ modice longis. Tarsi ♀ simplices. Anus maris inflexus nigricans, genitale ferrugineo.

114. T. *fumata:* cæsia, subnitida, capite obscure cinereo; fronte paullo prominente, inter oculos angustissima (♂); antennis parvis, nigris, articulo ultimo 2:do parum longiore, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3 latis, albidis, obsoletissimis; alis subfumatis, angulo nervi 4:ti subobtuso. ♂. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund 2 specimina inveni.

♂. Magnitudine minore, corpore oblongo, antennis parvis, oculis cohærentibus, fronte minus prominente & nervo transv. apicali subrecto l. levissime tantum curvo, a proxime præcedentibus differt. Statura & color corporis ut in *T. connivente*. Similis *T. dispari* infra n:o 136, sed palpis tibiisque nigris, nec flavis &c., mox dignota. Setæ frontales non validæ, una serie utrinque dispositæ, infra antennarum basin parum descendunt. Antennæ epistomate brevi adhuc breviores, non latæ, subincumbentes, articulo ultimo 2:do vix longiore, seta elongata capillari, basi incrassata, omnium subtilissime microscopice puberula. Epistoma breve ad latera subpubescens; canum. Vibrissæ paucissimæ. Os leviter subreflexum. Genæ magnæ infra oculos descendentes. Barba menti & occipitis nigra. Thorax, scutellum & abdomen cæsia, pictura alba obsoleta. Segmentum 1:mum parum breve, bisetosum; reliqua segmenta ut in priori setosa. Anus inflexus, nigricans. Alæ subfuscanæ, nervis transversis: medio fere apici nervi long. 1:mi opposito; ordinario inflexo, mox pone medium areæ inserto; apicali subrecto fere in apice alæ excurrente; area non late aperta; spinula costæ parva. Squamæ flavidæ. Pedes ut in priori. — Affinis generi *Macquartiæ* Meig., *Nemoreæ* tamen ob antennar. setam nudiusculam magis propinqua.

115. *T. linearicornis:* nigra, subnitida, capite argenteo; fronte minus prominente, lata (♀), vitta atra; antennis longissimis, linearibus, angustis, articulo ultimo 2:do fere quadruplo longiore, seta elongata, biarticulata, capillari, vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5 obscure cinereis; abdominis fasciis 3 albidis; alis cinereis, nervis subferrugineis, transversis: ordinario inflexo, apicali leviter incurvo. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; specimen descriptum e Suecia superiori a D. *Marklin* olim missum.

♀. Antennæ lineares, angustæ, incumbentes speciem ab affinibus determinant. Oblongo-ovata. Frons cana, vitta lineari, modice lata, striata, nigro-brunnea; serie setarum utrinque duplici per setas 2 infra antennas descendente. Epistoma sat longum, subperpendiculare, margaritaceum, nudum, vibrissis inferne paucissimis. Os non reflexum. Palpi nigri. Barba menti & occipitis brevis, nigricans. Thorax obscure cinereus, lineis 4 nigris. Scutellum cinerascens. Abdomen nigrum, segmentis 2, 3, 4 basi fascia latiuscula, albida, certo situ maculis fuscis leviter micante, & linea media nigra subinterrupta. Segmentum 1:mum breve, bisetosum, reliqua disco & margine apicali setosa. Nervus transv. ordinarius paullo pone medium areæ insertus. Angulus nervi 4:ti subacutus. Area anguste aperta mox ante apice alæ terminata. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Tarsi simplices.

116. *T. fimbriata:* nigra, capite argenteo; fronte parum prominente, subangustata (♂), aut modice lata (♀), obscure cinerea, vitta atra; antennis epistomate paullo brevioribus, validiusculis, articulo ultimo 2:do vix triplo longiore, seta biarticulata fere ad medium incrassata; thoracis vittis 5 obscure cinereis; abdominis fasciis albidis; alis cinereis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali subrecto paullo ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 337. 168. ♂♀. *Exorista* Meig. 7. 255. 8.

Hab. in Scandinavia rarissime; in Scania semel capta; e Westrogothia a D. *Gyllenhal* missa; ex Hafnia a D. *Staeger* communicata. (Ad Sedinum 8 Jun. 1842 a D. *Dahlbom* lectam, & e Glogavia utrumque sexum a D. *Zeller*, obtinui).

♂♀. Parva, ovata. Frons parum porrecta, oculi magni, nervus transv. ordinarius leviter flexus paullo pone medium areæ insertus, & area modice aperta nonnihil ante apicem alæ in costa terminata, speciem distinguunt. Antennæ incumbentes. Frons in ♂ & ♀ modice & fere æque lata. Series setarum utrinque subsimplex (♂), aut duplex (♀), per setas 4—5 infra antennarum radicem descendens. Epistoma perpendiculare, nudum. Os non reflexum. Pili menti & occipitis breves, nigri. Thorax obscure cinereus, lineis 4 nigris. Scutellum obscure cinereum. Abdomen atrum, nitidum, segmentis 2, 3, 4 basi fascia albida, linea dorsali nigra. Segmenta: 1:mum breve, subinerme, reliqua in disco & apice parce setosa. Alæ basi subfuscatæ, angulo nervi 4:ti subrecto. Spinula costæ nulla. Squamæ sordide albidæ. Ungues & pulvilli in ♂ mediocres. Tarsi ♀ simplices.

117. *T. Westermanni:* oblonga, obscure cinerea, opaca, epistomate argenteo-micante; fronte subprominente, subangustata (♂), grisea, vitta brunneo-nigra; antennis longitudine epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do sextuplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; thoracis lineis 4, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali & linea dorsali, pedibusque, nigris; alarum nervis transversis: ordinario inflexo, apicali incurvo paullulum ante apicem alæ excurrente; squamis albidis. ♂. (Long. 2½—3 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger.* (Ad Neuenkirchen in Megalopoli (Meklenburg Strelitz), 15—20 Maj. 1842 legerunt D. D. Prof. *Hornschuch* & *Dahlbom;* e Glogavia quoque a D. *Zeller* communicata).

♂. Antennis longissimis, validis a ceteris affinibus mox dignoscitur. Frons modice angusta, vitta modice lata, lineari.

Series setarum haud validarum utrinque simplex per setas 3—4 infra antennarum basin continuata. Epistoma longum, parum declivum, nudum, vibrissis inferne spuriis. Os vix reflexum. Palpi atri. Thorax obscure cinerascens, antice cinereus, lineis 4 nigris, minus perspicuis. Scutellum obscure cinerascens. Abdomen ovato-oblongum, flavido- l. griseo-cinereum, segmento 1:mo toto, reliquisque margine apicali lineaque dorsali, nigris. Segmentum 1:mum breve, in medio apicis bisetosum, 2 & 3 in disco & margine apicali pauci-setosa, ultimum multisetosum. Alæ hyalinæ, basi & costa leviter subfuscanæ, nervis transversis: medius in medio inter apicem nervorum auxiliaris & long. 1:mi opposite ductus; ordinarius nonnihil pone medium areæ insertus; apicalis paullo incurvus mox ante apicem alæ excurrens. Area non late aperta. Angulus nervi 4:ti subrectus. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Pedes nigri, unguibus basi albidis pulvillisque totis albis, sat longis.

*Obs.* Specimen femineum sine synonymia a D. *Staeger* missum, mari descipto simile, sed antennis paullo brevioribus, serie setarum frontalium duplici, fronte nonnihil latiore, alis subhyalinis, ut & unguibus pulvillisque minoribus dignotum, ut *feminam* hujus speciei considerandum esse puto.

118. *T. cornuta:* ovato-oblonga, nigra, subnitida, capite cano; fronte subprominente, subangustata (♂), aut modice lata (♀), vitta atra; antennis longitudine epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do quintuplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata, thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3 interruptis, albidis; alarum nervis transversis: ordinario inflexo, apicali incurvo paullulum ante apicem alæ excurrente; squamis albidis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Succia media rarissime; e Westrogothia sub nomine allato specimina utriusque sexus a D. *Gyllenhal*

olim obtinui; in Lapponia Lulensi ad Quickjock 1843 ♀ a D. *Andersson* lecta.

♂♀. Priori simillima, sed differt: magnitudine paullo minore, antennis paullulum brevioribus, corpore nonnihil nitidiore, & in primis pictura abdominis albida, nec grisescente l. flavescente. Antennarum articulus ultimus in ♀ 2:do vix triplo longior.

119. *T. spernenda:* oblonga, nigra, capite grisescente; fronte subprominente, subangustata (♂), vitta atra; antennis longitudine epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do quintuplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; thoracis vittis anticis 5 obsoletis, abdominisque fasciis 3 interruptis, cinereo-flavidis; alarum nervis transversis: ordinario subflexo, apicali subcurvo; paullulum ante apicem alæ excurrente; squamis flavo-albidis. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Dania circa Hafniam, D. *Staeger*, qui specimen pro describendo benigne communicavit.

♂. Duabus proxime præcedentibus valde similis & affinis, sed a *T. Westermanni* antennis, ut videtur, nonnihil minoribus, a *T. cornuta* pictura capitis corporisque flavida, nec albida, & ab utraque magnitudine minore, statura minus ovata, alarum nervis transversis ordinario & apicali minus flexis, ut & squamis subflavidis, differt.

120. *T. diligens:* ovata, cæsia, capite argenteo-micante; fronte subprominente, lata (♀), cana, vitta atra; antennis epistomate paullo brevioribus, validiusculis, nigris, articulo ultimo 2:do vix triplo longiore, seta longa, biarticulata, basi incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3 interruptis, albidis; scutello rufo; alarum nervis transversis: ordinario leviter inflexo,

apicali subcurvo paullulum ante apicem alæ excurrente; squamis albis. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali; 8 Jul., 8 Aug., duo specimina mihi obvia; scilicet unum in Jemtlandia ad diversorium Berge in Alsen, & alterum in Norvegia ad Næs Værdaliæ lectum.

♀. Corpore ovato, antennis breviusculis, seta longa, basi tantum incrassata, scutello apice rufo &c., ab affinibus dignoscitur. Frons modice lata, serie setarum sat validarum utrinque duplici, per setas 4—5 simpliciter infra antennas continuata. Antennarum articulus 1:mus brevissimus, 2:dus 1:mo fere triplo longior, ultimus 2:do iterum vix triplo longior (in ♂ sine dubio adhuc longior). Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis inferne paucis. Os leviter reflexum. Thoracis vittæ albidæ præsertim in medio haud distinctæ. Abdominis fasciæ albæ margine externo maculis fuscis micantes. Abdomen ut in *T. Westermanni* (117) setosum. Alæ hyalinæ, area modice aperta.

121. *T. prætervisa:* ovata, nigricans, subopaca, capite argenteo-micante; fronte minus prominente, latissima, cinerea, vitta lata, nigro-picea; antennis epistomate paullo brevioribus, validis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta 3-articulata, ultra medium incrassata; thoracis vittis 5, abdominisque fasciis 3 interruptis, albidis; scutello apice rufo; alarum nervis transversis: ordinario inflexo, apicali leviter curvo paullulum ante apicem alæ excurrente. ♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Hab. in hortis & campis Scaniæ, 9 Aug.–16 Sept., rarius; scilicet ad Lund & Absa inventa; etiam ad Lomma in littore maris a D. *Dahlbom* 9 Aug. 1813 capta. E Glogavia sine synonymia a D. *Zeller* communicata).

♀. *T. diligenti* valde similis & affinis, sed antennis paullo

validioribus, seta non ita longa, 3-articulata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do saltem duplo longiore, ultimo ultra medium sat valide incrassato, fronte paullo latiore, vitta distincte latiore, fusca, præcipue dignoscenda. Fasciæ abdominis flavido albidæ, fusco-tessellatæ. Reliqua ut in priori.

122. *T. assimilis:* oblonga, nigra, opaca, capite albido; fronte prominente, subangustata (♂), aut lata (♀), cinerea, vitta latiuscula atra; antennis longitudine fere epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta longa, biarticulata *), vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5 anticis cinereis; abdominis fasciis 3 albidis, olivaceo-tessellatis; nervis transversis: ordinario inflexo, apicali paullo incurvo. ♂♀. (Long. 2—4 ½ lin. & ultra).

Var. a. ♂♀. major, scutello toto l. apice rufescente.

Fall. Muscid. 28. 58. ♂♀ var. "scutello ferrugineo".

Var. b. ♂♀. media aut minor, scutello cinerascente. (Interdum in copula cum var. a).

Fall. l. c. var. "scutello nigro" — Meig. Dipt. 388. 258. ♂♀. *Phorocera* Meig. 7. 261. 7.

Var. c. ♂. monstrosa, magnitudine media; alarum nervis transversis: ordinario & apicali intus nervulo appendiceo. Ad Lund Scaniæ mense junio semel capta.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, per hortos & prata Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 2 Maj.—20 Jul., vulgatissima, in copula multoties de-

---

*) seta revera triarticulata est, sed articulus basalis tam parvus deprehenditur & antennæ fere immersus, ut ægre observetur.

prehensa; scilicet per totam Scaniam var. a & b. copiose; in Ostrogothia ad Lärketorp &c. frequens; in Ölandia, D *Boheman*; in Gottlandia ad Ruthe, Wamblingbo &c. haud raro; in Westrogothia ad Gothoburgum & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania circa Hafniam, Aug., D. *Staeger*. — E larva Bombycis Pavonellæ ad Lund exclusa jam d. 25 Martii. (E Glogavia a D. *Zeller* utrumque sexum utriusque varietatis accepi. — Individuum masculum parvum hujus speciei nomine: "*Tachin. leucuria* Bouchei" insignitum ab eodem *Zeller* quoque obtinui).

♂♀. Magnitudine valde variat. Variat etiam sæpe detrita, & tunc corporis præsertim abdominis color alienus, jam niger, jam glaucus e. s. p., unde *T. dolorosa*, *stolida* e. s. p. in collectionibus exstant, quæ non nisi hujus speciei varietates. Series setarum frontalium haud validarum (saltem in ♂), utrinque simplex (♂), aut duplex (♀), per setas 3—5 infra antennarum incumbentium radicem continuatur. Epistoma modice longum, declivum, nudum, argenteo-micans, vibrissis tenuibus paullo supra medium adscendentibus. Margo oris nonnihil reflexus. Palpi flavi. Thorax obscure cinereus, lineis 4 nigris, postice ut vulgariter abbreviatis. Abdomen conico-cylindricum (♂), aut subovale (♀), albidum, segmento 1:mo brevi, toto nigro, reliquis maculis lineaque dorsali olivaceo-micantibus; totum ut in *T. Westermanni*, 117, setosum. Anus ♂ inflexus, nigricans, genitale atro, nitido. Alæ & squamæ omnino ut in *T. Westermanni*, sed area in majoribus individuis magis aperta, & nervus apicalis paullo magis curvus. Pedes nigri, femoribus anticis subtus dense nigro-villosis. Variat ♂ raro abdominis lateribus macula rufa.

123. *T. obscura:* oblonga, nigra, opaca, capite cinereo; fronte prominente, angustata (♂), aut modice la-

ta (♀), vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta longa, biarticulata, vix ad medium incrassata; thoracis vittis 5 anticis cinereis; abdominis fasciis 3 albidis, olivaceo-tessellatis; nervis transversis: ordinario inflexo, apicali incurvo; tibiis obscure testaceis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Fall. Musc. 29. 59. certe. ♂♀. — Meig. Dipt. 4. 396. 273. (secund. Fall. transscript.) — *Masicera* Macq. Buff. 2. 120. 6? Forte etiam *Tach. schistacea* Meig. 4. 414. 305. ♀. seu *Phorocera* eadem Meig. 7. 261. 14?

Hab. in Suecia rarius, in copula capta; in Scania ad Esperöd, D. *Fallèn;* in Ölandia, D. *Boheman;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

♂♀. Minoribus individuis *T. assimilis* æqualis & de cetero simillima, differt tantum tibiis obscure testaceis. Antennæ quoque forte paullo breviores quam in illa. Variat scutello nigro & rufescente. Specimen unum alterumve in collectione Falleniana tibias vix testaceas, fere nigricantes, habet. — An tantum varietas juvenilis præcedentis? — A *T. albicante*, cui similis, nervo apicali incurvo, nec recto, & vibrissis saltem ad medium epistomatis assurgentibus, differt.

121. *T. lata:* late ovata, cinerea, opaca, capite albido; fronte subprominente, latissima (♀), grisea, vitta angusta, atra; antennis longitudine fere epistomatis, validis, nigricantibus, articulo ultimo 2:do vix triplo longiore, seta biarticulata ad medium incrassata; thoracis lineis 2, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali, pedibusque, nigris; scutelli apice testaceo; nervis transversis: ordinario recto, apicali incurvo. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; specimen descriptum e larva *Lophyri Pini*, d. 29 Aug. 1838 a D. *Dahlbom* ad Silfåkra prope Lund Scaniæ capta, exclusum 27 Jul. 1839.

♀. Corpore brevi lato, colore cinereo, thorace bilineato, fronte latissima, vitta frontali angusta, ab affinibus præcipue distinguitur. Frons parum prominens, læte flavidocana, serie setarum validarum utrinque duplici, per setas 3 infra antennas simpliciter descendente. Antennæ incumbentes, articulo 2:do fusco, superne distincte setoso, apice rufescente. Epistoma margaritaceum, subperpendiculare, nudum, vibrissis ad medium assurgentibus. Os non prominens. Seta mystacina utrinque unica. Barba occipitis alba. Thoracis lineæ 4 glaucæ, quarum 2 mediæ, tenues, perspicuæ, & 2 laterales abbreviatæ, interruptæ & parum conspiciendæ. Abdomen cinereum, certo situ leviter olivaceo-maculatum, lineola dorsali tenui fusca. Segmenta: 1:mum breve, inerme, totum atrum; 2 & 3 margine apicali nitido nigro, in disco & apice setosa; 4:tum margine apicali nigro, nitido, undique setosum. Venter cinereus, linea media nigra. Alæ cinereo-hyalinæ, basi pasum fuscanæ. Nervus long. 4:tus certo situ apparenter sub angulo subrecto breviter continuatus. Area anguste aperta, paullo ante apicem alæ educta. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ, pallide flavo-marginatæ. Tarsi simplices.

125. *T. inepta:* oblonga, subcylindrica (♂), cinerea, epistomate argenteo; fronte minus prominente, angustata (♂), grisea, vitta lata concolore; antennis longitudine fere epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali, pedibusque, nigris; alarum nervis transversis: ordinario

recto, ante medium areæ inserto, apicali subrecto fere in apice alæ excurrente. ♂. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 361. 212. ♀. hujus speciei videtur. *Phorocera* Meig. 7. 261. 15.

Hab. in Norvegia rarissime; ad Oestre-Næs Værdaliæ 8 Jul. 1840 exemplum unicum inveni.

♂. Corpore subcylindrico, thorace subimmaculato, setis frontalibus paucis, vitta frontali lata grisea, alarum nervo transv. ordinario paullo ante medium areæ inserto, &c., ab affinibus statim dignoscitur. Frons modice angusta per vittam latam fere tota impleta, serie setarum paucarum (5—6) utrinque simplici vix infra antennarum radicem continuata. Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis paullo ultra medium adscendentibus. Os non reflexum. Seta mystacina utrinque unica. Palpi flavi. Barba menti & occipitis alba. Thorax griseo-cinereus, antice vix vestigio linearum 4 nigrarum. Abdomen cylindricum, cinereum, segmentis: 1:mo brevi, toto atro, inermi; 2:do & 3:tio margine apicali nigro, nitido, in disco & apice (in singulo segmento) setis 4; ultimo seriebus 2 transversis setoso, apice late nigro, nitido. Anus longe inflexus, genitale hamato atro, nitido. Alæ hyalinæ, ad costam subfuscanæ Nervus 4:tus ad angulum obtusum puncto nigro. Nervus transv. ordinarius extus nervulo brevi appendiceo (an in monstrosa?). Area anguste aperta. Segmentum costæ 2:dum brevissimum; spinula minuta. Squamæ ut in priori. Pedes nigri, pilosi, sed non fortiter spinosi, unguibus nigris pulvillisque albis, elongatis.

*Obs.* ♀ a D. *Meigen* l c. describitur, mari similis, antennis paullo brevioribus & abdomine ovato; a me non visa.

126. *T. pumicata:* ovata, atra nitida, capite glauco-argenteo; fronte prominente, modice lata, nigricante, vitta lata, atra; antennis longitudine epistomalis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do subquadruplo longiore, seta

longa, biarticulata, fere ad medium incrassata; scutello rufo-marginato; abdominis incisuris tenuissime glaucis; alarum nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali incurvo; pedibus nigris, tibiis obscure testaceis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 397. 276. ♂♀. *Senometopia* Macqv. Buff. 2. 111. 23. *Phorocera* Meig. Dipt. 7. 261. 9.

Hab. in foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 28 Maj.—20 Sept., vulgaris; scilicet in Scania ad Lindholmen, Tranås, Esperöd &c., passim; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., frequens; in Westrogothia ad Höberg, D. *Gyllenhal*; in Ölandia; in Gottlandia ad Sproge, Malms, Kyllej &c., non raro; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. (E Glogavia specimina minora misit D. *Zeller*).

♂♀. Statura corporis ovata, color cærulescenti ater, nitidus, scutellum testaceo-marginatum, abdominis incisuræ tenuissime & leviter albæ, frons obscura, ut & tibiæ in primis posticæ testaceæ, sunt præcipuæ notæ, quibus hæc species facile ab affinibus dignoscitur. Frons in ♂ paullo angustior quam in ♀. Series setarum frontalium paucarum, in ♂ simplex, in ♀ duplex; per setas 4—5 infra antennarum basin descendit. Antennæ incumbentes, in ♂ nonnihil longiores quam in ♀. Epistoma parum declivum nudum, vibrissis supra medium adscendentibus. Os vix reflexum; albidum. Palpi atri. Oculi magni. Thorax antice in illæsis exemplis vestigio vittarum albarum. Abdomen ut in *T. assimili* (122) setosum, segmento 1:mo brevi. Alæ quoque omnino ut in *T. assimili*, nervo transverso ordinario plus minus inflexo, interdum subrecto. Omnia nostra specimina Suecica tibiis obscure testaceis gaudent; sed inter Glogavica unicum tibiis nigris præditum invenio, & hoc forte ad

*Meigeni* genuinam speciem pertinet. Præterea individua patriæ extraneis plerumque majora sunt.

*Obs.* Sub nomine: *T. velox*, hanc inter Amicos Entomologicos olim divulgavi, nomen Meigenianum jam restituens. Cum *Lydella veloci* Macq., quæ longe alia est species, Scandinaviæ peregrina, non confundenda.

127. *T. excisa*: late ovata, griseo-cinerea, opaca, capite albo; fronte minus prominente, modice lata, vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, linearibus, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata non ad medium incrassata; thoracis lineis 4, pedibusque nigris, tibiis scutelloque testaceis; alis cinereo-hyalinis, basi subflavidis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Fall. Musc. 32. 67. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 395. 272. *Exorista* Meig. Dipt. 7. 256. 43.

Hab. in Suecia media rarius; in Ostrogothia ad Lärketorp 1—15 Aug. 1813 utrumque sexum inveni; ad Gusum, teste D. *Wahlberg*.

♂♀. Corpus latum, ovatum, griseo-cinereum, antennæ lineares, haud validæ, seta longa vix ad medium tenuiter & indeterminate incrassata, oculi magni distincte hirti, alæ basi flavidæ, scutellum tibiæque testacea, speciem præcipue designant. Frons in ♂ paullo angustior, quam in ♀. Series setarum in ♂ simplex, in ♀ duplex; per setas 3 infra antennas incumbentes descendens. Epistoma perpendiculare, nudum, vibrissis inferne vix inchoandis. Os non reflexum. Palpi flavi. Barba occipitis alba. Thoracis lineæ 4 angustæ, nigræ, postice abbreviatæ. Abdomen breve, ovatum, griseum (in ♂ cinereo-tessellatum), 1:mo segmento certo situ toto, lineolaque dorsali interrupta, fuscis. Segmentum 1:mum breve, pro receptione scutelli excisum, apice bisetosum; 2:dum setis apicalibus 4; 3:tium setis apica-

libus 10—12; 4:tum multisetosum. Anus ♂ parum inflexus. Alarum area aperta, mox ante apicem alæ terminata. Nervus transv. ordinarius pone medium areæ insertus. Angulus nervi 4:ti subrectus l. leviter obtusus. Nervi 3:tii basi setulis 2. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ, flavido-marginatæ. Pulvilli in ♂ magnæ, albæ. Tarsi in ♀ simplices.

128. *T. excavata:* late ovata, cinerea, opaca, capite albido, fronte subprominente, subangustata (♂), aut lata (♀); vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, sublinearibus, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata non ad medium incrassata; thoracis lineis 4, pedibusque nigris; tibiis, thoracis postico linea laterali, scutelloque testaceis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario leviter flexo, apicali recto. ♂♀. (Long. 3 lin.).

*T. excisa* Fall. Musc. 32. 67. descript. var. 'mas: abdomine maculis fuscis'.

Hab. in Suecia præsertim meridionali, 1 Jun.—10 Jul., passim, sæpe e nympha nuper declarata mihi obvia; scilicet ad Lund (educata jam d. 27 Febr. e pupa exclusa), Esperöd in parœc. Tranås &c., haud raro; in Ölandia 1835, D. *Boheman*; e Suecia superiore a D. *Marklin* missa; in Dania, D. *Westermann*.

♂♀. Simillima priori, a qua vero statura vix ita lata, colore obscure cinereo, fronte forte nonnihil magis prominente, antennis paullulum validioribus, vitta inter alas & scutellum pallida perspicuiore, abdominis tessellis dilute olivaceis, alis hyalinis, basi levissime fuscis, nec vero flavis, squamis totis albis, nec flavido-marginatis, ut & segmentis abdominis 1, 2 & 3 in ♂ lateribus macula rufa, vere differt.

*Obs.* Individuum unicum inveni fronte solito latiore; sed vix diversa. — Specimina hujus speciei sub nomine jam *T. excavata*, jam *T. curta* vendita fuerunt.

129. *T. festinans:* ovata, griseo-cinerea, opaca, capite albido; fronte parum prominente, latissima (♀), grisea, vitta lata, fusca; antennis longitudine fere epistomatis, sublinearibus, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, non ad medium incrassata; thoracis lineolis 2, pedibusque nigris; scutelli apice rufo; alis cinereo-hyalinis, basi subflavidis, nervis transversis: ordinario flexo, apicali recto. ♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 384. 251. ♀. *Masicera* Meig. Dipt. 7. 241. 19. (sed rectius ad *Exoristæ* genus referenda).

Hab. in Gottlandia, ubi in Pimpinella magna ad Ruthe 15—17 Jul. 1819 quinque specimina inveni.

♀. *T. excisæ*, 127, valde affinis & similis, sed corpore minus lato, fronte paullo minus prominente multo vero latiore, vitta frontali griseo-fusca, nec atra, serie setarum infra antennas longius descendente, thoracis lineolis anticis binis tenuissimis, scutello tantum apice testaceo, abdomine subflavido-cinereo, immaculato, alis hyalinis, basi vix flavescentibus, nervo transverso apicali exacte recto, squamis albis, non flavo-marginatis, femoribus cinerascentibus, ut & tibiis nigris, nec testaceis, satis superque dignota. — Similis quoque *T. fulvæ* infra (163), sed hæc alarum basi squamisque flavescentibus, & vibrissis fere ad medium epistomatis assurgentibus, ab illa facile dignoscitur. — Mas mihi ignotus.

*Obs.* E Gottlandia 1819 Lundæ reversus, huic speciei nomen "*T. festinans*" proposui, & specimina aliquot eo nomine insignita collectioni amici mei *Falleni* tradidi. Hæc autem individua celeberrimus Professor, obiter tantum intuens, non nisi *varietatem T. fulvæ* considerans, speciei sub *T. fulva* in museo suo posuit, & inde mentionem speciei in ope-

re suo omittens. Hoc afferre volui, ut id intelligatur quod Cel. *Meigen* in nota sub *T. festinante* l. c. attulit.

130. *T. argentigera:* oblongo-ovata, cinerascens, opaca, capite argenteo; fronte prominente, lata (♀), vitta lata atra; antennis longitudine fere epistomatis, linearibus, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, ultra medium incrassata; thoracis lineis 4, abdominis segmento 1:mo toto, reliquorumque margine apicali subnitido anguste, lineaque dorsali, pedibusque, nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario flexo, apicali subrecto. ♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarius; in Scania ad Lund & Esperöd, 15 Jul.—2 Aug., 4 individua inveni; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*.

♀. Similis iterum priori, sed differt: capite magis argenteo, fronte distinctius porrecta, vitta atra latiore, serie setarum infra antennas non ita longe continuata (per setas tantum 2—3 descendente), colore corporis obscuriore, pictura abdominis in fundo griseo nigra, nervo transv. apicali non exactissime recto, ut & pedibus atris, nec femoribus cinerascentibus. A *T. vulgari*, cui etiam subsimilis, palpis flavis, nec nigris, &c., mox dignoscitur. — Sub nomine *T. albiceps* olim divulgata, sed nomen *albiceps* heic rejiciendum, utpote jam pro alia specie a D. *Meigen* usurpatum.

131. *T. bicingulata:* oblonga, cinerascens, opaca, capite albido; fronte haud prominente, modice lata, cana, vitta subangustata, atra; serie setarum longe descendente; antennis fere longitudine epistomatis, linearibus, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; thoracis vittis 4 nigris; scutello rufescente; abdomine atro, nitido, cingulis 2 al-

bo-cinereis; pedibus nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali recto. ♀. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd 12 Aug. semel inveni.

♀. Priori in multis similis, sed magnitudine nonnihil minore, capite albo minus argenteo-micante, fronte convexa non prominente, vitta nigra angustiore, serie setarum infra antennas longius continuata, nempe per setas 5 remotas paullo infra medium epistomatis descendente, seta antennarum vix ad medium incrassata, abdominis segmentis 2 & 3 margine apicali latius 4:toque fere toto, nigris, præcipue differt. Antennæ liberæ? Palpi nigri, apice flavi. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Area anguste aperta, ante apicem alæ sat procul terminata. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ, subflavido-marginatæ. Abdomen segmento 1:mo brevi; ut in priori setosum. Tarsi simplices.

132. *T. albicans:* ovata, cana, opaca, epistomate albo; fronte subprominente, lata, vitta atro-brunnea; antennis longitudine fere epistomatis, linearibus, nigris, basi ferrugineis, seta biarticulata, ad medium incrassata; thoracis lineolis 4, abdominis segmentis 1:mo toto, 2 & 3 margine apicali anguste, pedibusque, nigris, tibiis testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto in apice alæ excurrente. ♀. (Long. 2 lin.).

Fall. Musc. 35. 74. vera, secundum specimina typica. -- Meig. Dipt. 4. 115. 306. *Exorista* Meig. Dipt. 7. 256. 37. -- Vix *T. schistacea* Meig. 4. 114. 305. ♀ seu Ejusdem *Phorocera* 7. 261. 14?

Hab. in Suecia præsertim meridionali, 4 Jun.—27 Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c.,

haud infrequens; in Gottlandia ad Källunge; rarius. (E Glogavia, D. *Zeller*).

♀. Parva, ovata, convexa, cana l. albida. Vitta frontalis modice lata, atro-brunnea, interdum ferruginea. Series setarum utrinque duplex tantum per setas 2—3 infra radicem antennarum simpliciter continuata. Antennæ incumbentes, agustatæ, nigræ, articulis basalibus brevibus, rufis. Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis infernis, spuriis, minime ad medium adscendentibus. Os non reflexum. Seta mystacina utrinque unica. Setulæ sub ore tenues, nigræ. Pubescentia gulæ & occipitls brevis, tenuis, alba. Palpi flavi. Oculi parvi. Thoracis lineæ 4, nigræ, quarum 2 mediæ tenues, & 2 laterales interruptæ & abruptæ. Scutelli apex puncto testaceo. Abdomen ut in *T. Westermanni*, 117, setosum, segmento 1:mo brevi, toto, 2 & 3 margine apicali anguste & sat determinate, nigro-brunneis. Alæ cinereæ, radice flavidæ, nervis leviter infuscatis. Area apice aguste aperta. Nervi longitudinales: 4:tus obtuse angulatus, 3:tius basi setulis 2—3. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ, subflavido-marginatæ. Pedes nigri l. picei, tibiis non dense setulosis, obscure testaceis. Tarsi simplices atri.

133. *T. perturbans*: ovata, griseo-cinerea, opaca, capite cano; fronte subprominente, modice lata (♂), aut lata (♀); vitta atra; antennis longitudine fere epistomatis, nigris, validis (♂), aut angustatis (♀), seta biarticulata, ad medium incrassata; thoracis lineis 4, abdominis segmentis 1:mo toto, 2 & 3 margine apicali anguste, lineola dorsali obsoleta, pedibusque, nigris, tibiis testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scandinavia tempore vernali rarius; scilicet in Scania ad Lund & Räften pauca exempla inveni; ex

Holmia ♂ a D. *Wahlberg* sub nomine *T. albicans* communicatus; & e Dania ut non rara incola circa Hafniam ♀ etiam sub nomine *T. albicans* a D. *Staeger* nuper missa. (Specimina mascula e Glogavia sine synonymia quoque obtinui).

♂♀. Magna similitudo & affinitas cum priori, sed colore corporis paullo obscuriore, fere griseo-cinereo, nec cano, capite læte cinereo, vix albido, antennis totis nigris, nec basi ferrugineis, scutelli apice puncto flavo nullo, abdominis lineola dorsali fusca plus minus perspicua, alarum nervis versus apicem vix fuscedine cinctis, ut & femoribus intensius nigris, numquam piceis, vere diversa. *Mas*, fronte nonnihil angustiore; serie setarum minus validarum postice subduplici; antennis multo majoribus, latioribus; pulvillis albis, brevibus, licet nonnihil majoribus, quam in ♀. — Reliqua ut in priori.

134. *T. strigifrons:* oblonga, nigra, nitida, vix albo-micans, capite argenteo-micante; fronte subprominente, subangustata (♂), transversim strigata, vitta angusta atra; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo prismatico 2:do duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; scutelli apice rufescente; alis cinereis, nervis transversis: ordinario flexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente; squamis niveis. ♂. (Long. 2 $\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 645. 46. ♂.

Hab. in Lapponia Norvegica septentrionali rarissime; in foliis Betulæ allæ ad Alteidet non longe a NordCap Finmarkiæ, d. 1 Aug. 1821 specimen descriptum inveni.

♂. Caput argenteo-micans, fronte obscuriore, serie setarum tenuium utrinque simplici per setas 3 infra antennas continuata. Antennæ subincumbentes nigricantes, articulo ultimo valido. Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis

nullis. Os leviter reflexum, album. Palpi elongati, lividi. Genæ rufescentes (an in juniore?). Oculi mediocres. Thorax antice levitsime albo-micans, pleuris obscure cinerascentibus. Abdomen oblongum, nitidum, atrum, segmentis (1:mo brevi) margine apicali setosis, ad latera vestigio macularum albarum. Tuberculum anale inflexum, atrum, nitidum. Alæ albido-cinereæ, basi leviter fuscanæ. Nervus transversus ordinar. pone medium areæ apertæ insertus. Angulus nervi 4:ti subobtusus. Spinula costæ nulla. Squamæ magnæ. Pedes nigri, pulvillis sat magnis, albis.

135. *T. breviseta:* oblonga, obscure cinerascens, opaca, capite argenteo-micante; fronte distincte prominente, subangustata (♂), aut lata (♀), vitta lata, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo mediocri, nigro, quam 2:do ferrugineo duplo longiore, seta brevissima, biarticulata, fere ad apicem incrassata; scutelli apice rufescente; thoracis vittis abdominisque maculis fuscis, obsoletissimis; alis subhyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 615. 49. ♂♀.

Hab. in Scandinavia media & boreali, rarius; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Ostrog. ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Norvegia? D. *Boheman.*

♂♀. Similis priori, a qua tamen facile dignoscitur: thorace cinerascente, abdomine grisescente, fronte multo magis porrecta, transversim non strigata, antennis subliberis, basi rufescentibus, articulo ultimo minus lato, angulo apicali inferiore rotundato, seta brevissima, erecta, valida, palpis lætius flavis, alarum nervo transv. ordinario minus flexo, area apice paullo angustius aperta, ut & squamis nonnihil minoribus & impure albidis.

136. *T. dispar:* oblonga, obscure cinerascens, opaca, capite cano; fronte subprominente, angustissima (♂), aut modice lata (♀), vitta nigra; antennis brevibus, articulo ultimo mediocri nigro, quam 2:do ferrugineo parum longiore, seta elongata, biarticulata, basi incrassata; alis basi squamisque flavicantibus, nervis transversis: ordinario flexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente; pedibus in ♂ nigris, tibiis flavis, in ♀ flavis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. 3 lin.).

*Mas:* obscure cinerascens, pubescens & setosus; oculi postice cohærentes; frons antice obscura, setis utrinque simplici serie haud validis; antennæ fere totæ nigræ; alæ fuscæ, squemis brunnescentibus, spinula costæ minutisima; pedes nigri, tibiis testaceis, pulvillis magnis, albidis;

*Fem.*: cinerea, setosa, sed parum pubescens; oculi modice remoti; frons cinerea, setis utrinque duplici serie validis; antennarum articuli 1 & 2 ferruginei; abdomen in fundo æneseenti nigrum, subnitidum, griseo cinereum; alæ basi & squamæ flavida, spinula costæ distincta; pedes cum coxis lutei, tarsis nigris, pulvillis albis minutis; in copula.

Fall. Musc. 31. 61. ♂♀. secundum specimina originaria. — *T. rufipes* Fall. l. c. 33. 68. ♀. — Meig. Dipt. 269. 51. ♂♀. *Zophomyia rufipes* Macq. Buff. 2. 160. 5. ♂. *Zophomyia rubripes* Macq. l. c. 160. 4. ♀. *Macquartia rufipes* Meig. Dipt. 7. 229. 1. T. 70. f. 40—42. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, tempore autumnali, rarius, d. 10 Aug. & 12 Oct. in copula deprehensa; scilicet in Scania in foliis Aceris Platanoides horti botanici Lundensis mihi obvia; in Ölandia, teste D. *Wahlberg.* (In Germania tempore vernali non raro).

♂♀. Antennæ incumbentes, parvæ, seta nuda. Epistoma breve, ad latera pubescens, vibrissis nullis. Os subreflexum.

Palpi elongati, filiformes, toti flavi. Genæ descendentes. Setæ utrinque 2 infra antennarum basin e fronte descendunt. Thoracis lineæ anticæ nigræ 4, in ♂ parum distinguendæ. Abdominis segmenta: 1:mum haud breve, subinerme, reliqua in disco & margine apicali setosa. Alarum nervi ut in *T. strigifronti* 134. *Mas:* ano inflexo; abdomine supra maculis nigro-micantibus.

137. *T. vulgaris:* ovata, cinerea, opaca, capite albicante; fronte parum prominente, lata grisea, vitta lata, subnigricante; antennis longitudine fere epistomatis, validis, nigris, articulo ultimo 2:do quadruplo longiore, seta triarticulata, paullo ultra medium incrassata; thoracis vittis 4, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali anguste, lineaque dorsali, pedibusque, nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto paullo ante apicem alæ excurrente; vibrissis infernis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Fall. Musc. 30. 62. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 4. 391. 264. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 644. 41. ♂♀. *Eurigaster* Macq. Buff. 2. 118. 7. ♂♀. *Exorista* Meig. Dipt. 7. 255. 15.

Hab. in Umbellatis, foliis fruticum &c., per hortos & prata præsertim Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 10 Martii—26 Sept., vulgatissima; in copula multoties capta & e larvis Lepidopterorum sæpe exclusa (educatam jam 26 Febr. exclusam obtinui); scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, copiosissime; in Ölandia; in Gottlandia ad Fårön, Ruthe, Thorsborg, Hoburg &c., frequentissime; in Nericia, Bahusia & Uplandia, passim; in Dalecarlia ad Stora Tuna, D. *Dahlbom;* in Norvegia inter Dovre & Lerdalsören, D. *Boheman;* in Dania freq., D. *Staeger.* (E Glogavia ♂♀ a D. *Zeller* missi).

♂♀. Frons in utroque sexu subæque lata, vitta lata, nigro-grisea, aut rufo-picea. Series setarum sat validarum in ♂ subsimplex per setas 4—5 infra antennas descendens; in ♀ postice duplex, antice per setas 3—4 infra antennas continuata. Antennæ incumbentes, magnæ in ♂ paullo longiores & validiores, quam in ♀. Epistoma perpendiculare, argenteo-micans, nudum, vibrissis infernis, in ♀ paucioribus, in ♂ tenuibus interdum fere ad medium assurgentibus. Os haud reflexum. Palpi exserti, atri, extrorsum subincrassati. Abdomen 1:mo segmento brevi apice bisetoso, reliquis disco & margine apicali setosis. Alarum nervi transversi: medius mox pone apicem auxiliaris ductus; ordinarius paullo pone medium areæ apertæ insertus. Angulus nervi long. 4:ti subobtusus l. fere rectus. Nervus 3:tius basi setulis 2—3. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Tarsi simplices, unguibus nigris pulvillisque albidis in utroque sexu parvis. — Abdomen certo situ fusco-tessellatum, in ♂ interdum maculis lateralibus ferrugineis obsoletis. — Anus ♂♀ niger, nitidus.

138. *T. confinis:* ovata, nigra, nitida, capite albido; fronte param prominente, subangustata (♂), aut modice lata (♀), vitta modice lata, atra l. ferruginea; antennis longitudine fere epistomatis, validiusculis, nigris, articulo ultimo 2:do quadruplo longiore, seta triarticulata, ad medium incrassata; thoracis vittis anticis 5, abdominisque cingulis 2 interruptis, cinereis; scutello rufo; alis subhyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto paullo ante apicem alæ excurrente; vibrissis inferne spuriis. ♂♀. (Long. 2 ¼—2 ½ lin.).

Fall. Musc. 32. 65. ♂♀. certe secundum exempla typica. — Meig. Dipl. 4. 396. 271. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 641. 11. ♂♀. *Masicera* Macq. Buff. 2. 121. 11. an Ejusdem etiam *Masic. zonata.* 2. 121. 10? *Phorocera con-*

*finis* Meig. Dipt. 7. 261. 4. (sed ob faciem non vibrissatam potius ad *Exoristæ* genus referenda).

Hab. in Scandinaviæ Umbellatis &c., 10 Jul.—22 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd rarissime; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Ruthe, Kjellunge, Wamblingbo &c., passim; in Helsingia ad Jerfsö; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*.

♂♀. Affinis & similis priori, sed differt: magnitudine paullo minore, corpore nigro, nitido, pictura cinerea parciore, fronte & vitta minus latis, antennis non ita latis, fere linearibus, seta tantum ad medium incrassata, vibrissis paucioribus, ut & scutello toto rufo. Abdomen nigrum, nitidum, segmento 2:do fascia basali lata, & 3:tio cingulo basali angusto, interruptis, albidis. Segmentum 1:mum breve, apice setis 2, 2:dum apice setis 4, 3:tium apice setis circiter 10, 4:tum multisetosum. — ♀ rarissima.

139. *T. magnicarnis:* ovata, cinerea, opaca, capite albicante; fronte parum prominente, lata, vitta lata, fusca aut rufo-picea; antennis longitudine epistomatis, in utroque sexu validissimis, nigris, articulo ultimo 2:do qvadruplo longiore, seta triarticulata, paullo ultra medium incrassata; thoracis vittis 4, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali, lineaque dorsali, pedibusque, nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente; vibrissis infernis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 614. 42. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, Jul. Aug., rarius; scilicet in Scania ad Räften, D. *Dahlbom*, ad Esperöd, ipse; in Smolandia; in Ostrogothia ad Omberg, Lärketorp & Gu-

sum; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Dovre specimen typicum a Cel. D. Prof. *Boheman* inventum.

♂♀. *T. vulgari* (137) ut ovum ovo similis, & vix differt nisi antennarum articulo ultimo adhuc paullo validiori, latiori, & id in utroque sexu, unde diversam credo.

140. *T. genarum:* oblonga, obscure cinerascens, opaca, capite argenteo; fronte prominente, angustata (♂), vitta latiuscula, brunneo-atra; antennis epistomate paullo brevioribus, subangustatis, nigris, articulo ultimo 2:do vix triplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis lineis anticis 4, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali, pedibusque, nigris; genis scutellique apice rufis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali recto paullo ante apicem alæ excurrente; vibrissis subnullis. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; in Gottlandia ad Hamra d. 3 Jun. 1823 specimen descriptum detegit Cel. D. Prof. *B. F. Fries*.

♂. Similis *T. assimili* (122), sed antennis brevioribus, palpis nigris, nec flavis, vibrissis vix ullis, genis juxta oculos luteo-sanguineis, & alarum nervo transverso apicali recto, nec incurvo, facile dignoscitur. A *T. vulgari*, 137, cui etiam subsimilis, magnitudine paullo majore, fronte magis porrecta & angustiore, antennis multo minoribus, seta bi-articulata, genarum colore rufo, vibrissis paucioribus, nervo alarum apicali exacte recto, ut & tarsorum pulvillis albis longioribus, aperte differt. Setæ frontales utrinque 4 infra antennarum radicem descendunt. Epistoma declivum. Margo oris leviter reflexus, albus. Palpi sat longe exserti, nigri. Abdominis fasciæ cinereæ subinterruptæ & leviter olivaceo-subtessellatæ. Segmentum 1:mum breve, margine apicali setis 4; reliqua segmenta disco & apice setosa. Alæ

basi leviter fuscanæ. Nervus transv. ordin. mox pone medium areæ apertæ insertus. Spinula costæ minuta.

141. *T. rotundaticornis:* ovata, cinerea, opaca, epistomate albido; fronte parum prominente, lata, vitta lata, picea; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo magno, rotundato, seta triarticulata, paullo ultra medium incrassata; thoracis lineis 4, abdominis segmentis: 1:mo brevi, toto, reliquis margine apicali anguste, lineaque dorsali, pedibusque, nigris; scutelli apice rufo; alis albido-hyalinis, nervis transversis: ordinario recto, apicali subrecto paullo ante apicem alæ excurrente. ♂. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund 10 Sept. 1837 semel inveni.

♂. *T. vulgari*, 137, in omnibus simillima, præter antennarum articulum ultimum paullo breviorem, sed multo latiorem, fere orbicularem, alas basi subalbidas, nervos transversos ordinarium rectum, nec flexum, apicalem levissime curvum. Reliqua ut in *T. vulgari*.

142. *T. straminifrons:* ovata, griseo-cinerea, opaca, epistomate albo; fronte parum prominente, lata, ochracea, vitta latiuscula, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, subangustatis, linearibus, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, ad medium incrassata; thoracis lineolis anticis 4, abdominis segmentis: 1:mo brevi, toto, reliquis margine apicali anguste, lineaque dorsali, pedibusque, nigris; scutelli apice rufo; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali subrecto; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. 2¾ lin.).

Hab. ad littora maris, per Scandinaviam meridionalem, 20 Maj.—4 Aug., rarius; in Scania ad Malmogiam & Lomma sub Fucis rejectis pupas plures initio mensis junii inveni, e quibus versus medium Julii ejusdem anni imagines egressæ. Sub nomine: "*T. hyalipennis* Zett. Ins. Lapp.?" a D. *Staeger* ex Hafnia specimen etiam obtinui. Ad Wadstena Ostrogothiæ prope lacum Wettern exemplum unicum quoque legi.

♂♀. Simillima iterum *T. vulgari*, sed antennis nonnihil minoribus, vitta frontali paullo angustiori, fronte distincte flavida, ut & scutelli tantum summo margine apicali testaceo, differt.

143. *T. duplinervis:* oblonga, cylindrica, nigra, nitida, capite albicante; fronte parum prominente, modice lata, vitta lata, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, angustatis, linearibus, nigris, articulo ultimo 2:do duplo longiore, seta biarticulata, vix ad medium incrassata; alis cinereis, nervis transversis: medio gemino, ordinario subrecto, apicali recto in apice alæ excurrente; vibrissis nullis; epistomatis lateribus serie setarum. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; ex Höberg Westrogothiæ a D. *Gyllenhal* communicata.

♀. Habitus *T. tremulæ* n:o 152, sed multo minor. Tota atra, nitida, thorace levissime cinereo-pollinoso, lineolis anticis 4, tenuibus, nigris. Caput albidum. Vitta frontalis nigra, opaca, fere totum interstitium implet. Series setarum utrinque duplex, ad latera epistomatis subperpendicularis per setas circiter 8 simpliciter usque ad os descendit. Os non reflexum. Palpi nigri. Antennæ apice truncatæ. Abdominis cylindrico-conici segmentum 1:mum parum breve, bisetosum; reliqua in disco & margine apicali setosa. Alæ

basi albescentes. Nervi transversi: medius geminatus quadrulam format segmento costali 2:do oppositam; ordinarius rectus pone medium areæ apertæ insertus. Angulus nervi long. 4:ti obtusissimus. Basis nervi long. 3:tii setulis 4—5. Spinula costæ adest, sed parva. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, tarsis simplicibus.

144. *T. hyalipennis:* ovata, nigra, subnitida, capite albicante; fronte parum prominente, modice lata, vitta modice lata, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo haud dilatato, lineari, 2:do vix duplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; thoracis vittis 5 obscure cinereis; abdominis cingulis 3 albis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subrecto longe a margine remoto, apicali levissime curvo ante apicem alæ excurrente; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 645. 48. ♂♀.

Hab. in Scandinavia boreali, rarius; scilicet in Ostrogothia ad Gusum; in Ölandia & ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman.*

♂♀. Similis *T. vulgari*, 137, sed paullo minor & antennis multo minoribus, angustioribus, seta biarticulata, vix ad medium incrassata, oculis minus hirtis, fronte & vitta nigra paullo angustioribus, scutello non rufescente, abdominis cingulis 3 albidis angustioribus, ad basin segmentorum 2, 3 & 4 tantum perspicuis, ut & area alarum nonnihil angustius aperta, vere differt. Vibrissæ infernæ, spuriæ. — Mas paullo angustior femina.

145. *T. tricingulata:* ovata, nigra, subnitida, capite albicante; fronte parum prominente, modice lata, vitta modice lata, atra; antennis epistomate paullo brevi-

oribus, nigris, articulo ultimo sublineari 2:do vix duplo longiore, seta biarticulata fere ad medium incrassata; thoracis vittis 5 obscure cinereis; abdominis cingulis 3 albis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subrecto, modice a margine remoto, apicali levissime curvo ante apicem alæ excurrente; vibrissis nullis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 616. 51. ♀.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, per Scandinaviam, 8 Jun.— Jul.— 10 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Esperöd &c., haud raro; in Smolandia ad Annæberg, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Wadstena; in Westrogothia, D. D. *Gyllenhal* & *B. Fries*; in Ölandia; in Gottlandia ad Ruthe, Kjellunge, Ahlskog, Wamblingbo &c., sat frequens; in Norvegia inter alpem Dovre & Lerdalsören, non raro, D. *Boheman.*

♂♀. Simillima præcedenti, sed sæpe duplo interdum triplo & ultra minor, & præcipue differt nervo transverso ordinario modice, nec tam longe ac in *T. hyalipenni*, a margine interiori alæ remoto, quæ tamen nota vix nisi per comparationem utriusque sexus apparet. Nervi in *hyalipenni* plerumque sat tenues, in *tricingulata* sæpe subvalidiores, obscuriores. Mares in utraque specie antennis nonnihil longioribus, serie setarum frontalium simplici, & pulvillis albis parvis, sed tamen paullo majoribus, quam in feminis, gaudent.

Sub nomine: *Tach. zonella*, individuum hujus speciei e Smolandia olim obtinui; sed diversa a n:o 63.

116. *T. umbrinervis:* oblonga, obscure cinerea, epistomate albido; fronte non prominente, modice lata, vitta latiuscula, brunnea; antennis epistomate paullo breoribus, nigris, articulo ultimo lineari 2:do duplo longiore, seta biarticulata, ad medium incrassata; abdomine

atro, nitido, cingulis 3 albis, subinterruptis; pedibus nigris; alis cinereis, nervis fuscedine cinctis, transversis: ordinario recto, apicali incurvo in apice alæ excurrente, area occlusa. ♀. (Long. 1¾ lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad Garnäs Værdaliæ 30 Jun. 1840 a D. *Dahlbom* detecta.

♀. Similis *T. dubiæ*, 108, sed magnitudine minore, fronte non porrecta, palpis nigris, abdomine non tessellato &c., differt. — A *T. tricingulata*, cui etiam similis, thorace obscure cinereo, lineolis anticis nigris parum perspicuis, alarum nervis distincte infuscatis, transversis: ordinario recto, apicali subcurvo in apice alæ excurrente, ibique cum nervo 3:tio intime conjuncto, hinc area occlusa, mox dignota. Setæ frontales 4 infra antennarum radicem utrinque descendunt. Vibrissæ infernæ, spuriæ. Scutellum cinerascens. Abdominis segmentum 1:mum breve, inerme; 2:dum in medio setis discoidalibus 4 & apicalibus 2; 3:tium setis in disco 2, in margine apicali pluribus; 4:tum multisetosum. Alarum costa fusca; macula in segmento costali 2:do fusca perspicua. Spinula costæ nulla. Pedes nigri, tarsis simplicibus.

147. *T. bisignata:* oblonga, griseo-cinerea, opaca, capite albicante; fronte subprominente, angusta (♂), nigra, vitta modice lata, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, linearibus, angustis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, non ad medium incrassata; thoracis vittis 3, abdominis linea dorsali, segmento 1:mo toto, 2:do maculis 2, pedibusque, nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente. ♂. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 322. 143. ♂♀. & 7. 190. 16. Macq. Buff. 2. 147. 34. *T. floralis* Fall. Musc. 36. 75. descript' "var. oculis hirtis."

Hab. in Scania rarissime; e Dania sub nomine: "*T. bisignata* Meig." a D. *Staeger* benigne communicata. (E Glogavia sine synonymia a D. *Zeller* missa.).

♂. Similis sequenti, sed paullo major, & antennarum articulo ultimo longiore, subangustiore, seta vix ad medium incrassata, fronte magis porrecta & multo angustiore, abdominis elliptici, convexi (nec subdepressi) maculis nigris paucioribus, squamis sub alis brunnescentibus, ut & pulvillis longioribus, vere distincta. Cinereo-grisca. Series setarum frontalium per setas 3 infra antennarum basin descendit. Latera epistomatis nigro-micantia. Margo oris leviter reflexus. Palpi exserti, filiformes, nigri. Barba gulæ alba. Oculi subnudi. Thoracis vittæ 3 nigræ latæ, media latissima. Scutellum nigrum, margine cinereum. Abdomen griseum, linea dorsali, segmento 1:mo parum brevi, toto, 2:do macula utrinque longa subtrigona, 3:tio sæpe etiam macula utrinque, nigris; ut in sequente setosum. Alæ basi fuscanæ. Area modice aperta. Spinula costæ vix ulla.

♀: "fronte latiore, thoracis vittis 4 nigris, abdomine ovato, cinereo; subimmaculato" a D. *Meigen* l. c. describitur, a me non visa. — *Tach. floralis* Meig. Dipt. 4. 304. 112. cum citatione Fall. haud multum a nostra *T. bisignata* abludere videtur.

148. *T. floralis:* ovata, obscure griseo-cinerea, epistomate albido; fronte parum prominente, obscura, angustata (♂), aut modice lata (♀), vitta frontali mediocri, nigra (♂), aut lata, ferruginea (♀); antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo lineari, angustato, nigro 2:do nigro (♂), aut rufo (♀) parum longiore, seta 3-articulata? fere ad medium tenuiter incrassata; thoracis vittis 3, abdominis segmento 1:mo toto, 2:do fascia antice dentata, 3:tio maculis 3, 4:to apice, pedibusque, ni-

gris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario flexo, apicali recto fere in apice alæ excurrente. ♂♀. Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* sæpius obscurior; palpis antennisque nigris; fronte subangusta, serie setarum tenuium utrinque simplici; abdominis macula laterali in segmentis 2 & 3 plerumque rufa;

*Fem.:* magis cinerascens; palpis flavis; antennis subvalidioribus, basi & vitta frontali ferruginantibus; fronte latiore, serie setarum subvalidarum utrinque duplici; abdominis macula laterali rufa nulla.

Var. a. ♂♀. major, 2—$2\frac{1}{2}$ lin. long.; mas: abdomine macula laterali sæpissime rufa.

Fall. Musc. 36. 71. var. *β.* ♂♀. genuina. Zett. Ins. Lapp. 616. 50. var. a. ♂♀. *Tach. notabilis* Meig. 4. 266. 45. ♂. *Nemorea notabilis* Meig. Dipt. 7. 222. 29. (*Tach. floralis* Meig. 4. 301. 112. ♂♀. huc non pertinet).

Var. b. ♂. duplo minor, $1\frac{1}{2}$ lin. long.; mas: abdomine macula laterali nulla.

Fall. l. c. var. *γ.* Zett. l. c. var. b. ♂. *Tachin. maculosa* Meig. Dipt. 4. 265. 44. *Nemorea* Meig. Dipt. 7. 222. 28. Macq. Buff. 2. 100. 5.

Hab. in Umbellatis, graminosis & foliis fruticum, 12 Jul.—Aug.—15 Sept., per Scandinaviam, vulgaris; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia, frequens; in Ölandia & Gottlandia rarius; in Jemtlandia usque ad Östersund & radicem Åreskutan, passim; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Ångermannia haud raro. (E Glogavia sub nomine: partim "*Tach. fimbriata* Meig.," & partim "*Tach. ornata* Bouch." individua mascula a D. *Zeller* obtinui).

♂♀. Valde similis *T. mutabili*, 53, sed magnitudine plerumque majore, antennis paullo brevioribus, oculis distincte hirsutis, in ♂ remotioribus, &c., abunde dignota. — Setæ

frontales 4 infra antennarum radicem utrinque descendunt. Macula supra antennas sæpe ferruginea. Seta antennarum saltem in ♂ triarticulata mihi videtur, licet articuli 2 basales brevissimi. Thoracis vittæ 3 nigræ, media lata, subgeminata. Abdomen: segmentis 1:mo breviusculo, in medio apicis bisetoso, reliquis in disco & apice setosis. Segmentum 2:dum maculis interdum 3 discretis loco fasciæ nigræ, 3:tium 4:tumque sæpe lineola dorsali & margine apicali nigris. Alæ basi subfuscanæ. Nervi transversi: ordinarius perspicue inflexus mox pone medium areæ anguste apertæ insertus; apicalis mox ante apicem alæ excurrens. Nervi long. 4:ti angulus subrectus. Nervus 3:tius basi setulis 2. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Tarsi simplices. Pulvilli in ♂ mediocres, albi.

*Obs.* Individua quædam "oculis nudis" in Collectione Cel. *Falleni* ad *T. mutabilem*, 53, referenda; alia "squama brunnea" &c., ad priorem speciem pertinent. — Detrita, corpore nigro, nitido, pictura cinerea plus minus remanente, interdum occurrit.

119. *T. interruptella:* ovata, nigra, epistomate albicante; fronte prominente, modice lata, obscure cinerea, vitta angusta, nigro-picea; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo lineari, angustato, nigro, 2:do triplo longiore, seta biarticulata ad medium incrassata; abdominis cingulis 2 angustis albis; alis hyalinis, nervis: longitudinali 3:tio prope basin interrupto, transversis rectis, apicali in apice alæ excurrente. ♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad villam Abusa specimen descriptum inveni.

♀. Parva, nigra, subnitida, thorace levissime cinereo-pollinoso, absque pictura lineata. Series setarum frontalium superne utrinque duplex, per setas 4—5 infra antennas de-

scendens. Epistoma declivum, nudum, vibrissis infernis paucis. Alæ hyalinæ. Nervi: longitudinalis 3:tius inter nervos transversos basales & medium interruptus l. valde obsoletus; transversus ordinarius subrectus in medio areæ occlusæ insertus, apicalis levissime flexus; spinula costæ nulla. Halteres albi. Segmentum abdominis 1:mum breve, inerme, reliqua in disco & margine apicali setosa. Tibiæ posticæ nigro-piceæ. Tarsi antici simplices. A *Tryphera succincta* Meig. Dipt. 7. 264. 6. ♀, cui valde similis videtur, vix nisi magnitudine minore, abdomine rotundato-ovato, nec conico, ut & spinula costæ nulla, differt.

150. *T. grossicornis:* oblonga, nigro-ænea, nitida, immaculata, epistomate schistaceo; fronte minus prominente, modice lata, vitta modice lata, brunneo-atra; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo magno dilatato 2:do triplo longiore, seta breviuscula, biarticulata, ultra medium incrassata; alis cinereis, basi flavidis, nervis: longitudinali 3:tio basi setuloso, transversis rectis, apicali in apice alæ excurrente. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 648. 59. ♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Ostrogothia ad Lärketorp, ipse; in Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*.

♀. Similis *T. magnicorni* 139, sed magnitudine minore, antennis paullo brevioribus & latioribus, seta breviore, apice breviter capillari, epistomatis apice reflexo, corpore æneo-nigro, immaculato, ut & nervo long. 4:to fere rectangulatim flexo, in summo apice excurrente, ibique cum nervis 3:tio & costali intime connexo, distincta. A *Tachin. ænea*, 153, antennis latioribus, nec linearibus, tarsis anticis simplicibus, nec crassis, differt. Antennæ apice truncatæ.

Vibrissæ infernæ, paucissimæ. Setæ frontales utrinque 3 infra antennas descendunt. Abdomen ut in priori. Nervus transv. ordinar. rectus mox pone medium areæ insertus. Nervus 3:tius long. a nervis transversis basalibus fere ad transversum medium setulis 7—8 armatus. Spinula costæ minuta. Squamæ flavidæ. Antennarum seta biarticulata? videtur.

151. *T. amplicornis:* oblonga, nigra, subnitida, obscure cinerascens, epistomate argenteo-micante; fronte subprominente, parum angusta (♂), vitta nigra; antennis epistomate paullo brevioribus nigris, articulo ultimo latissimo 2:do triplo longiore, seta triarticulata, ad medium incrassata; thoracis lineolis 4, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque apice, pedibusque nigris; alis subhyalinis, nervis: longitudinali 3:tio basi setuloso, transversis rectis, apicali fere in apice alæ excurrente. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Westrogothia rarissime; a D. *Gyllenhal* specimen descriptum communicatum.

♂. Subcylindrica. Frons obscure argentea, serie setarum haud validarum simplici in epistomatis declivi albi lateribus fere usque ad os per setas circiter 8 descendente. Antennæ valde dilatatæ, apice subrotundatæ. Os non reflexum. Palpi nigri. Thoracis lineolæ anticæ nigræ tenues. Abdominis fasciæ 3 latæ, obscure cinereæ. Segmentum 1:mum haud breve, bisetosum, reliqua segmenta disco & margine apicali setosa. Genitale inflexum, nigrum. Alæ subhyalinæ, basi subfuscanæ. Nervi: longitudinalis 3:tius basi setulis circiter 6; transversi subrecti, ordinarius paullo pone medium areæ apertæ insertus. Spinula costæ parva. Squamæ albæ. Halteres testacei. Pulvilli tarsorum mediocres, sordide albi.

152. *T. tremula:* subcylindrica, atra, nitida, immaculata, capite argenteo-micante; fronte prominente,

lata, vitta lata atra; antennis longitudine fere epistomatis, nigris, articulo ultimo modice lato, quam 2:do dimidio longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis subhyalinis, basi squamisque flavis, nervis transversis ordinario levissime flexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Fabr. Antl. 310. 9. Fall. Muscid. 31. 70. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 272. 58. ♂♀. Ahrens. Fn. Ins. Eur. fasc. 13. t. 25. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 991. 77. *Erebia* Meig. Dipt. 7. 227. 1. t. 70. f. 31. ♂. *Zophomyia (temula)* Macq. Buff. 2. 159. 1. *Musca grossa* Schrank Ins. Austr. 461. 936. (exclus. syn. Linn.).

Hab. in graminosis, floribus Umbellatarum, foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 20 Jun.—Jul.—30 Aug., vulgaris; in copula; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia & Gottlandia (ad Nähr &c.), frequens; in Nericia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam non raro, D. *Staeger*.

♂♀. Cærulescenti atra, nitida, valide setosa, alarum basi squamisque fulvescentibus. Frons lata, in ♂ nonnihil angustior. Vitta frontalis lata, nigra, opaca. Series setarum utrinque in ♂ duplex, in ♀ simplex, in utroque sexu per setas 2—3 infra antennas liberas descendens. Epistoma parum declivum. Os subreflexum. Vibrissæ nullæ. Oculi non magni, tenuiter hirti. Thorax antice rudimento vittarum albarum. Abdominis segmenta: 1:mum breve, inerme, reliqua in disco & lateribus non dense, sed fortiter setosa. Alarum nervus transv. ordinarius pone medium areæ apertæ insertus. Spinula costæ distincta. Setulæ 3—5 in basi nervi long. 3:tii. Pulvilli ♂ magni, albi. Tarsi ♀ simplices.

153. *T. ænea:* oblongo-ovata, nigro-ænea, nitida, immaculata, epistomate albido, fronte parum prominente, lata (♀), vitta modice lata, brunnea; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo subvalido 2:do duplo longiore, seta 3-articulata ultra medium incrassata; alis cinereis, basi squamisque pallescentibus, nervis transversis rectis, apicali fere in apice alæ excurrente; tarsis anticis in ♀ incrassatis. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 273. 60. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 647. 55. ♂♀. *Zophomyia* Macq. Buff. 2. 161. 7. ♂♀. *Harrisia* Meig. Dipt. 7. 260. 3. t. 72. f. 22. ♀. Sub *Tach. atrata* Fall. Musc. 34. 71. latet.

Hab. in foliis fruticum &c. 20 Jun.—25 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd &c. passim; in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp, non raro; in Westrog., D. *Gyllenhal*; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman.*

♀. Parva, nigra, abdomine ænescente; non fortiter setosa. Series setarum frontalium utrinque duplex per setas 3 infra antennas descendit. Antennæ mediocres, incumbentes, seta breviuscula, nuda, l. vix visibiliter puberula, articulo 2:do 1:mo longiore. Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis nullis. Os subreflexum, margine antico pallido. Oculi tenuiter hirti. Abdominis segmentum 1:mum breve, inerme, reliqua disco & margine apicali setosa. Alarum nervi pallidi: longitudinalis 3:tius basi setulis 6—8; transversi recti, ordinarius mox pone medium areæ angustæ apertæ (raro occlusæ) insertus. Spinula costæ minuta. Tarsi antici distincte incrassati.

*Obs. Mas:* articulis antennarum secundo & ultimo subæque longis & oculis superne conniventibus, a Cl. *Meigen* l. c. describitur, mihi ignotus.

154. T. *crassitarsis:* oblongo-ovata, nigra, nitida, immaculata, epistomate albido; fronte parum prominente, lata (♀), vitta modice lata, brunnea; antennis epistomate paullo brevioribus, extrorsum subdilatatis, articulo ultimo 2:do duplo longiore, seta 3-articulata ultra medium incrassata; alis hyalinis, nervis transversis rectis, apicali fere in apice alæ excurrente, squamis albidis; tarsis anticis in ♀ incrassatis. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 647. 56. ♀.

Hab. in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*, qui specimen unicum ad describendum mecum communicavit; a me ipso numquam deprehensa.

♀. Simillima priori, a qua vero colore abdominis magis nigro, nec ænescente, alis hyalinis, squamis albidis, ut & antennis apice nonnihil magis dilatatis, nec exacte linearibus, dignoscitur.

155. T. *simplicitarsis:* oblongo-ovata, ænescenti-nigra, nitida, immaculata, epistomate schistaceo; fronte parum prominente, modice lata (♂), vitta modice lata, brunneo-atra; antennis epistomate parum brevioribus, articulo ultimo dilatato 2:do fere triplo longiore, seta 3-articulata, ultra medium dilatata; alis cinereis, basi squamisque subpallescentibus, nervis transversis rectis, apicali in apice alæ excurrente; tarsis simplicibus. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 647. 57. (immerito ♀; certe ♂).

Hab. in Scandinaviæ fruticibus & graminosis, Jun. Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, semel; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in strogothia ad Gu-

sum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia rarissime, D. *Dahlbom*; in alpe Dovre Norvegiæ ad Drivstuen, D. *Boheman.*

♂. Simillima duabus proxime antecedentibus, sed a *T. ænea*, statura angustiore, a *crassitarsi* colore abdominis magis ænescente, & ab utraque, serie setarum frontalium simpliciore per setas saltem 4, nec 3, infra antennas descendente, antennis nonnihil longioribus & aperte latioribus, ut & tarsis simplicibus, præcipue differt. — Area alarum occlusa in apice alæ terminata. Pulvilli parvi, sed tamen nonnihil majores, quam in *T. ænea*, cujus *marem* crederem, nisi Cel. *Meigen*, ut dixi, marem *T. æneæ* oculis cohærentibus descripsisset, quæ nota in nostram *simplicitarsem* minime quadrat.

156. *T. rotundicornis:* oblonga, griseo-cinerea, unicolor, capite albicante; fronte subprominente, modice lata, vitta lata, atra; antennis epistomate dimidio brevioribus, nigris, articulo ultimo subquadrato 2:do parum longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis cinereis, basi subfuscanis, nervis transversis rectis, apicali in summo apice alæ excurrente; pedibus nigris. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 641. 31. ♀.

Hab. in Scandinavia rarissime, mihi non obvia, in Smolandia & Westrogothia, ut fertur, inventa; in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg* lecta; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman.*

♀. Elliptica, tota grisea l. flavido-cinerea. Caput sordide albo-micans. Antennæ brevissimæ, nigræ, apice obtusæ, seta mediocri, basi distincte incrassata. Frons porrecta, serie setarum haud validarum superne subduplici, vix infra antennarum basin continuata. Epistoma breve, declivum, nudum, vibrissis vix ullis. Os subreflexum. Palpi exserti, nigri, apice subcrassiores. Oculi parvi, rotundati,

tenuissime puberuli. Abdomen ovale, convexum, griseo-subnitens, segmentis subæque longis, in disco, lateribus & margine apicali setosis, setis haud validis. Anus in nostro specimine muticus. Alarum nervus 3:tius long. nudus. Nervi transversi: ordinarius rectus, paullo pone medium areæ occlusæ insertus, apicalis levissime curvatus in summo apice alæ excurrens, ibique cum nervo costali & longitudinali 3:tio in eodem puncto conjunctus. Spinula costæ parva. Squamæ sordide albidæ. Pedes nigri.

157. *T. longicornis:* oblonga, cinerea, opaca, capite argenteo; fronte longe prominente, lata cana, vitta lata piceo-atra; antennis longissimis, linearibus, nigris, seta biarticulata, ultra medium incrassata; vibrissis continuis; thoracis lineis 4, pedibusque nigris; abdomine fusco-marmorato; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali recto mox ante apicem excurrente, area occlusa. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Musc. 31. 63. ♀. Meig. Dipt. 4. 417. 310. ♀. *Fallenia* Meig. Dipt. 7. 265. 1.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania bis capta, museis D. *Falleni* & meo.

♂♀. Antennæ incumbentes, longitudine epistomatis, articulo ultimo 2:do quintuplo longiore, lineari, angusto, in ♂ nonnihil latiore. Frons, in ♀ lata, serie setarum utrinque duplici per setas 2 infra antennas descendente; in ♂ nonnihil angustior, serie setarum simplici per setas 3 infra antennas continuata. Epistoma declivum, vibrissis ab ore fere ad antennarum radicem assurgentibus. Palpi in ♂ fusco-testacei, in ♀ exserti, flavi. Oculi non magni. Thoracis lineæ anticæ nigræ. Abdomen in ♂ conicum, in ♀ oblongum, in utroque sexu canum, certo situ obscure marmoratum, segmento 1:mo in medio apicis bisetoso, reliquis disco & margine apicali parce setosis. Nervus transv.

ordinarius paullo pone medium areæ occlusæ insertus; longitudinalis 3:tius basi setulis 2—3. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pulvilli in ♂ sat magni.

158. *T. pectinata:* oblonga, subcylindrica, cinerascens, capite argenteo-micante; fronte longe prominente, modice lata, vitta flavescente; vibrissis distinctis; antennis longitudine fere epistomatis, nigris, articulo ultimo longissimo, lineari; seta vix ad medium incrassata; abdomine nigro, nitido, cingulis 3 albis; pedibus nigris; alis hyalinis, nervis transversis rectis, apicali mox ante apicem alæ excurrente. ♂. (Long. circiter $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime, mihi non obvia; in Smolandia atque (typica) in monte insigni Omberg Ostrogothiæ 1835 a D. *Boheman* detecta; deinde in Gottlandia a D. *Wahlberg* quoque inventa erit.

♂. Affinis & similis *T. longicorni*, sed multo minor. Frons distincte porrecta. Oculi perspicue hirti. Antennarum articuli 1 & 2 brevissimi, cinerascentes, ultimus longissimus, linearis, niger. Palpi flavi. Thorax obscure cinereus, nigro-setosus, vix lineatus. Abdomen nigrum, nitidum, segmentis 2, 3, 4 basi cingulo albido, ad latera in primis perspicuo. Anus longe inflexus. Alæ hyalinæ, ima basi pallidiores, nervo long. 4:to obtuse angulato. Nervi transversi subapproximati, ordinarius scilicet fere in medio alæ situs. Nervus long. 3:tius basi setulis 3. Squamæ albidæ. Halteres fusci.

159. *T. pantherina:* oblonga, obscure cinerea, opaca, capite cinereo, nitido; fronte prominente, modice lata, vitta lata, nigra; antennis longitudine fere epistomatis, haud dilatatis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, vix ad medium incrassata;

vibrissis continuis; thoracis vittis, abdominis tessellis pedibusque nigris, tibiis (in ♀) testaceis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente, area anguste aperta. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; in plantatione Paradislyckan ad Lund Scaniæ 19 Maj. marem inveni, & specimen femineum ex Hafnia a D. *Staeger* oblinui. (E Glogavia etiam a D. *Zeller* missa).

♂♀. Similis & affinis *T. assimili* (n:o 122) minori, sed alarum nervi longitudinalis 4:ti angulo multo obtusiore, nervo transv. apicali magis recto, nec incurvo, area apice angustius aperta; nervo transv. medio fere apici nervi auxiliaris opposito, ut & transverso ordinario fere in medio areæ, nec pone medium, inserto, tandemque tibiis saltem in ♀ testaceis, differt. — Antennarum seta longa. Vibrissæ fere ad antennarum basin assurgentes. Setæ frontales utrinque 2—3 infra antennas descendunt. Epistoma ad latera tenuiter pilosulum. Thoracis lineolæ 2 mediæ tenues, & vittæ 2 laterales latæ, nigræ. Scutellum cinereum. Abdomen cinereum, fusco-olivaceo-marmoratum, segmento 1:mo brevi, inermi, 2 & 3 disco, & 4:to undique, setosis. Alæ hyalinæ, basi concolores, nervis validis, longitudinali 3:tio basi 3-setoso. Segmentum costæ 2:dum brevissimum, spinula parva. Squamæ albæ. Tarsi in ♀ simplices. — Nomen *marmorata*, sub quo vendita fuit, rejiciendum, ne cum *Tach.* (Micropalpo) *marmorata* Meig., quæ longe alia est species, confundenda.

160. *T. mundula:* oblongo-ovata, griseo-cinerea, capite argenteo; fronte minus prominente, modice lata, grisea, vitta modice lata, atra; antennis longitudine fere epistomatis, nigris, articulo ultimo lineari, angusto 2:do

quadruplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; vibrissis subcontinuis; thoracis lineis 4, abdominis segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali, pedibusque, nigris; scutello apice rufo; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente, area anguste aperta. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia rarissime; unicum marem in Scania ad Esperöd 12 Aug., unicamque feminam in Gottlandia mense Julio, inveni, forte ad eandem speciem pertinentes.

♂♀. *Tachinæ* (Phoroceræ) *mundæ* Meig. Dipt. 4. 395. 271. & Pars 7. t. 72. f. 28. sat similis videtur, sed magnitudine paullo minore, colore magis griseo, & fronte minus porrecta, differt. Frons in ♂ paullo angustior quam in ♀, serie setarum utrinque in ♂ simplici per setas 4 infra antennas descendente, in ♀ duplici per setas 3 infra antennas continuata. Antennæ in ♂ longiores quam in ♀. Vibrissæ in medium l. paullo ultra medium adscendentes. Palpi in ♂ subfiliformes, testacei, in ♀ flavi, apice subcrassiores. Abdomen subconicum (♂), l. subovatum (♀), griseo-cinereum, segmento 1:mo toto, reliquisque lineola dorsali margineque apicali anguste, nigris, nitidis. Anus niger. Nervus transv. ordinarius paullo pone medium areæ insertus. Nervi long. 4:ti angulus fere rectus. Spinula costæ vix ulla. Squamæ sordide albidæ. Pedes nigri, pulvillis in ♂ mediocribus, albis, tarsis in ♀ simplicibus.

161. *T. villica:* ovata, nigra, opaca, capite albido; fronte subprominente, lata (♀), cinerea, vitta lata, atra; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo valido 2:do piceo subtriplo longiore, seta longa, biarticulata, vix ad medium incrassata; vibrissis abbreviatis; thoracis vittis anticis 5, abdominisque fasciis 3, ob-

scure cinerascentibus; scutello apice rufo; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente, area sat late aperta. ♀. (Long. 3½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 644. 45. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Muonioniska 17 Aug. 1821 semel inventa.

♀. Sat magna, valide setosa. Antennarum articulus ultimus apice subtus rotundatus. Setæ frontales 4 infra antennas utrinque descendunt. Epistoma parum declivum, in medio argenteum, ad latera cinereum. Vibrissæ decrescentes vix ad medium assurgunt. Os haud reflexum, margine antico pallido. Palpi clavati, flavi. Oculi magni, distincte hirti. Thorax subcæsius, antice cinereus, lineolis 4 nigris. Scutellum summo apice rufescente. Abdomen ovatum, cinereum, segmentis: 1:mo toto, 2 & 3 linea dorsali margineque apicali, & 4:to apice late, nigris subnitidis. Segmentum 1:mum breve, bisetosum, reliqua disco & margine setosa. Alæ basi subfuscanæ. Nervi: longitudinalis 3:tius basi 3-setulosus; transversus ordin. paullo pone medium areæ insertus. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Tarsi simplices.

162. *T. ambulans:* ovata, nigra, opaca, capite albido; fronte prominente, lata (♀), cinerea, vitta lata, atra; antennis longitudine fere epistomatis, articulo ultimo valido 2:do rufo subtriplo longiore, seta longa, biarticulata?, ad medium incrassata; vibrissis abbreviatis; thoracis vittis anticis 5, abdominisque maculis, griseis; scutello apice testaceo; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente, area modice aperta. ♀. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipl. 4. 340. 171? ♂. *Exorista* Meig. Dipl. 7. 256. 38?

Hab. in Dania; sub nomine descripto a Nobiliss. D. *Staeger* missa, mihi in Suecia non obvia.

♀. Valde similis & affinis priori, sed magnitudine duplo minore, antennarum articulo 2:do ferrugineo, nec piceo, fronte magis porrecta, epistomate ad latera tenuissime pilosulo, vibrissis tenuioribus, spuriis, vix ad medium assurgentibus, margine oris non pallido, palpis minus clavatis, scutelli apice latius testaceo, abdominis tessellis griseis, segmentis: anali toto griseo, 1:mo inermi, nigro, alis basi vix infuscatis, ut & area ultima minus late aperta, abunde dignota. Antennarum incumbentium seta forte 3-articulata, articulis basalibus brevissimis.

163. *T. fulva:* ovata, cinereo-flava, opaca, capite argenteo; fronte minus prominente, modice lata (♂), aut lata (♀), flavida, vitta modice lata, nigra; antennis longitudine epistomatis, nigris, articulo ultimo lineari 2:do fere quadruplo longiore, seta longa, biarticulata, vix ad medium incrassata; thoracis lineolis obsoletis pedibusque nigris; tibiis ferrugineis, scutello testaceo; alis cinereis, basi squamisque pallescentibus, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente, area modice aperta. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Musc. 32. 66. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 399. 280. ♂♀. *Exorista* Meig. Dipt. 7. 256. 45.

Hab. in Suecia media rarissime; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; ad Holmiam, D. *Haeffner*.

♂♀. Tota fulvo-cinerea, vix maculata, nisi vestigio lineolarum nigrarum in thoracis antico. Caput ut in *T. mundula.* Vibrissæ fere ad epistomatis nudi medium assurgunt. Antennarum articulus ultimus apice subtus rotundatus. Scutellum totum testaceum. Alarum nervi ut in priori directi. Abdomen ut in *T. villica* setosum.

164. *T. libatrix:* ovata, cinereo-flava, opaca, capite argenteo, fronte minus prominente, modice lata (♂), aut lata (♀), flavida, vitta modice lata, nigra; antennis longitudine epistomatis, nigris, articulo ultimo lineari 2:do fere quadruplo longiore, seta longa, biarticulata, vix ad medium incrassata; thoracis lineolis obsoletis pedibusque totis nigris; scutello testaceo; alis cinereis, basi squamisque fulvescentibus, nervis transversis: ordinario inflexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente, area modice aperta. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 400. 281. ♂♀. *Musca* Panz. Fn. Germ. 54. 12. ♀. *Exorista* Meig. Dipt. 7. 256. 46. *Senometopia* Macq. Buff. 2. 112. 26. ♂♀.

Hab. in Suecia rarissime; in Helsingia ad diversorium Kårböle 2 specimina 19—20 Aug. 1840 inveni.

♂♀. Simillima priori, a qua non differt, nisi magnitudine nonnihil minore, pedibus totis nigris, ut & alarum basi squamisque intensius fulvis.

165. *T. vibrissata:* ovata, nigricans, subnitida, capite argenteo; fronte parum prominente, lata, vitta modice lata, brunneo-atra; antennis longitudine epistomatis validiusculis nigris, articulo ultimo 2:do quadruplo longiore, seta biarticulata, ad medium incrassata; vibrissis subcontinuis; scutello apice testaceo; alis hyalinis, basi subalbidis, nervis transversis: ordinario flexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente, area occlusa. ♂. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 644. 43. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis 22 Aug. 1821 in unico specimine capta.

♂. Nigra, subnitida, thorace levissime, abdominisque segmentorum 2, 3, 4 basi leviter, albo-micantibus. Frons lata, superne setis non validis una quidem serie dispositis, sed pilis pluribus tenuibus juxta positis. Tres setæ infra antennas incumbentes utrinque positæ. Vibrissæ decrescentes ultra medium epistomatis nudi, subperpendicularis assurgunt. Margo oris subreflexus, pallidus. Palpi nigri. Abdominis segmenta: 1:mum breve, inerme, 2 & 3 parcissime, 4 pluri-setosa. Alarum nervi longitudinales: 3:tius basi 3-setulosus, 5:tus usque ad marginem interiorem descendit. Spinula costæ nulla. Nervus transv. ordinarius mox pone medium areæ insertus. Squamæ albæ. Pedes nigri, pulvillis mediocribus, albis.

166. *T. squamosa:* ovata, nigra, nitida, capite albido; fronte parum prominente subangustata, vitta modice lata, brunneo-atra; antennis longitudine fere epistomatis, latiusculis (♂), aut linearibus (♀), nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; vibrissis continuis; scutello testaceo-marginato; abdominis cingulis 3 angustis, albis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subrectis, apicali mox ante apicem alæ excurrente; area anguste aperta. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; marem in folio Populi tremulæ ad Wadstena Ostrogothiæ 1 Aug. 1825 semel legi; feminas 2 e Westrogothia a D. *Gyllenhal* communicatas possideo.

♂♀. Parva, nigra, omnium levissime albo-micans, cingulis abdominis albis magis perspicuis. Similis priori, a qua magnitudine paullo minore, fronte nonnihil angustiore, vibrissis distinctioribus, altius assurgentibus, abdomine magis rotundato, alarum nervo transv. ordinario forte mi-

nus inflexo, ut & area ultima magis aperta, præcipue differt. — Antennæ in ♂ latiores, quam in ♀. Setæ frontales in ♂ haud validæ, una serie utrinque dispositæ, in ♀ validiores, superne utrinque bifariam locatæ. Abdominis segmenta: 1:mum breve, bisetosum, reliqua in disco & apice parce setosa. Anus ♂ inflexus: alæ subpallide nervosæ, squamis niveis. Spinula costæ nulla. Pedes nigri, in speciminibus femineis, forte juvenilibus, piceo-testacei. Pulvilli in ♂ mediocres. Abdomen ♂ macula laterali rufa in segmento 2:do.

167. *T. mobilis:* ovata, nigra, opaca, capite cano; fronte minus prominente, lata, cinerea, vitta lata, picea; antennis longitudine fere epistomatis, atris, articulo ultimo 2:do quadruplo longiore, valido (♂), aut mediocri (♀), seta 3-articulata, paullo ultra medium incrassata; vibrissis dimidiatis; scutello rufescente; thoracis vittis 5 obsoletis, abdominisque fasciis 3, cinereis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali recto, paullo ante apicem alæ excurrente, area late aperta. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ —$2\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in pratis Gottlandiæ, 5—20 Jul., rarius, ad Rhone, Wamblingbo & Kyllej pauca specimina inveni. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia communicata).

♂♀. Vitta frontalis lata, fusco-picea, serie setarum utrinque simplici (♂), aut superne duplici (♀), per setas 4 infra antennas continuata. Antennæ incumbentes, setæ articulo 2:do 1:mo duplo longiore. Epistoma subperpendiculare, vibrissis tenuissimis, ad medium assurgentibus. Palpi atri. Thorax niger, vittis 5 cinerascentibus postice subevanescentibus. Scutellum rufum, basi nigrum. Abdomen subconicum (♂), aut ovatum (♀), cinereo-marmoreum, 1:mo segmento toto, reliquis lineola dorsali apiceque anguste,

nigris. Segmentum 1:mum breve, bisetosum, cetera disco & margine apicali setosa. Segmentum 2:dum basi utrinque macula rufa in ♂. Alæ totæ hyalinæ. Nervi transversi: medius inter apices nervi auxiliaris & longit. 1:mi ductus, ordinarius paullo pone medium areæ insertus. Nervi longitudinales: 3:tius basi 3:setosus, 5:tus non usque ad marginem descendens. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Pedes nigri, pulvillis albis in utroque sexu parvis, æqualibus.

168. *T. trizonata:* ovata, nigra, capite argenteo-micante; fronte minus prominente, lata, cinerea, vitta lata, atra; antennis longitudine fere epistomatis, atris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta 3-articulata, ad medium incrassata; vibrissis dimidiatis; thoracis vittis valde obsoletis, abdominisque fasciis 3 cinereis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali recto, prope apicem excurrente, area modice aperta. ♂. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia boreali rarissime; ad radicem alp. Åreskutan Jemtlandiæ d. 24 Jun. 1840 duo specimina inveni.

♂. Simillima priori, a qua vitta frontali forte nonnihil minus lata, atra, antennarum seta ad medium, nec ultra, incrassata, articulis basalibus fere æque longis, thoracis vittis anticis cinereis minus perspicuis, scutello nigricante, nec apice rufo, abdominis fasciis cinereis obsoletioribus vix nisi in segmentorum cingulis basalibus perspicuis, alarum area modice tantum aperta, ut & nervo longit. 5:to non ad marginem descendente, differt. Reliqua ut in præcedente.

169. *T. unicolor:* oblongo-ovata, atra, nitida, capite glaucescente; fronte subprominente, modice lata, nigra; antennis longitudine fere epistomatis, nigris, articulo ultimo 2:do subquadruplo longiore, subvalido, seta

biarticulata, ad medium incrassata; vibrissis subcontinuis; thoracis vittis anticis levissime albidis; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordin. recto, longitudinali 4:to subarcuatim flexo mox ante apicem alæ excurrente, area anguste aperta. ♀. (Long. 2—2½ lin.).

Fall. Musc. 35. 73. ♀. Meig. Dipt. 4. 398. 277. ♀. Zett. Ins. Lapp. 617. 51. ♀. *Phorocera* Meig. Dipt. 7. 261. 19. *Tachin. funebris* Zett. Ins. Lapp. 617. 58. ♀ hujus varietas.

Hab. in Scandinavia Jul. Aug. rarius; scilicet in Scania rarissime; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena in floribus ad margines agrorum aliquoties capta; in Dalecarlia & in alpe Dovre atque ad diversorium Thynæs Norvegiæ, lecta. (E Glogavia a D. *Zeller* etiam missa).

♀. Affinis priori; differt vero ab illa præcipue: fronte nonnihil magis porrecta, antennarum seta ut videtur biarticulata, vibrissis altius assurgentibus, ore magis reflexo, thoracis albedine antica obsoletiore, abdomine subcylindrico, atro, nitido, immaculato, toto & undique setoso, segmento 1:mo haud brevi, ut & alis cinerascentibus, nervo longitud. 4:to arcuatim, nec distincte angulatim flexo.

170. *T. aurea:* oblonga, flava, thoracis dorso griseo; capite pallido; fronte subprominente, angustata (♂), aut modice lata (♀), vitta subangusta, fulva; antennis epistomate nonnihil brevioribus, fulvis, articulo ultimo 2:do duplo longiore, seta biarticulata, vix ad medium incrassata; abdomine pellucido; alarum nervis transversis: ordinario flexo mox pone medium areæ apertæ ducto,

apicali recto in apice alæ excurrente; tarsis obscuris. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fall. Musc. 21. 42. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 311. 175. ♂♀. *Myobia* Macq. Buff. 2. 152. 2. Meig. Dipt. 7. 236. 1. Tab. 70. f. 51. ♂.

Hab. in floribus Umbellatarum ut Laserpitii &c., 28 Jul.—20 Aug., rarius; scilicet in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Westrogothia, D. *Gyllenhal.*

♂♀. Series setarum frontalium utrinque simplex (♂), aut duplex (♀), vix infra antennarum radicem continuata. Antennarum incumbentium seta subtiliter puberula. Epistoma subperpendiculare, nudum, ore subreflexo. Palpi exserti, subclavati, fulvi. Setæ corporis nigræ. Thorax opacus. Abdomen conicum, pellucidum, nitidum, segmentis subæque longis, margine apicali parce setoso, incisuris levissime albo-micantibus. Alæ flavidæ, nervis longitudinalibus: 3:tio basi setulis 4—5, 4:to angulatim flexo; area modice aperta, fere in apice alæ terminata. Spinula costæ nulla. Squamæ flavidæ. Tarsi nigricantes, simplices; pulvilli in ♂ majusculi.

171. *T. inanis:* oblonga, angusta, cinerea, opaca, capite albido; fronte subprominente, angusta (♂), aut modice lata (♀), vitta angusta, obscura; antennis epistomate nonnihil brevioribus, rufis, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, nigro, seta biarticulata, basi incrassata; abdomine flavo pellucido, vitta media fusca, postice dilatata; alarum nervis transversis: ordinario flexo, mox pone medium areæ apertæ ducto, apicali recto in apice alæ excurrente; pedibus flavis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. 2¾ lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine flavo, vitta dorsali fusca posti-

ce (præsertim in ♀, ubi segmenta ultima tota obscura sunt) dilatata.

Fall. Musc. 21. 43. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 312. 177. ♂♀. *Myobia* Macq. Buff. 2. 157. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 236. 2.

Var. b. ♂. abdomine toto testaceo, postice vestigio lineolæ dorsalis fuscæ.

*Tach. longipes* Meig. Dipt. 4. 311. 176. *Myobia* Ejusdem 7. 236. 5.

Var. c. ♀. abdomine toto obscuro, segmento tantum 1:mo macula laterali parva, flava.

*Tach. pacifica* Meig. Dipt. 4. 312. 178? ♀. — *Myobia* Ejusdem 7. 236. 4?

Hab. in floribus Umbellatarum per prata & hortos Sueciæ meridionalis & mediæ, 2 Jul.—4 Aug., vulgaris & præsertim var. a. frequens; scilicet in Scania ubique; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena, passim; in Ölandia; in Gottlandia ad Nähr, Thorsborg, Lärbro, Öja, &c.; in Dania, D. *Staeger*. (Var. c. sub nomine *T. pacifica* a D. *Zeller* e Glogavia obtinui).

♂♀. Similis priori, a qua magnitudine minore, statura, angustiore, vitta frontali angustiore, obscura, antennarum articulo ultimo fere toto brunneo basi tantum anguste flavo, palpis sæpe apice nigricantibus, thorace toto cinereo, lineolis anticis fuscis, scutello griseo, apice tantum flavido, ut & vitta dorsali abdominis fusca postice plus minus dilatata, dignoscitur. — Caput & squamæ sub alis, albida. Oculi in viva rufo-brunnei. Frons in ♂ valde angusta. — Reliqua ut in priori. — Variat ♀ abdomine medio & postice nigro nitido, detrito.

172. *T. nigritarsis:* ovata, obscure cinerea, opaca; fronte subprominente, modice lata, vitta nigra; an-

tennis epistomate paullo brevioribus, ferrugineis, articulo ultimo 2:do paullo longiore, nigro, seta biarticulata, basi incrassata; scutelli apice testaceo; abdominis subnudi segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali, atris, nitidis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo in medio areæ anguste apertæ inserto, apicali recto fere in apice alæ excurrente; palpis, ore pedibusque, flavis; femoribus anterioribus tarsisque omnibus, nigris. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in foliis fruticum, & in littoris marini graminosis, 10—21 Jul., per Sueciam meridionalem & mediam, rarius; scilicet in Scania ad Esperöd in paroec. Mellby rarissime; in Ölandia, D. *Boheman* (olim sub nomine *T. tarsalis* ab Illo cognita); in Ostrogothia ad Wadstena.

♀. Similis *Tach.* (Thryptoceræ) *versicolori*, 40, sed alarum nervo long. 3:tio basi setulis tantum 2—3, nec pluribus armato, antennarum seta breviter puberula &c., dignota. Forte *Myobiæ* generis? Antennæ breviusculæ, minime validæ. Vitta frontalis modice lata, serie setarum duplici per setas 2 infra antennas continuata. Epistoma breve, ad latera pilosulum. Os rufum, margine antico reflexo. Thorax cinereus, vestigio lineolarum 4 nigrarum. Abdomen ovatum, nigrum, nitidum, segmentis subæque longis, 2, 3 & 4 basi fascia cinerea opaca, linea media nigra; totum ut in *Medoria* Meig. inerme, ano tantum setulis paucis armato. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis ut in diagnosi directis. Nervus transv. medius apici nervi long. 1:mi præcise oppositus. Segmentum costale 2:dum (cfr. nota sub *Nephrocero* gen. 100) brevissimum. Spinula costæ parva. Squamæ parvæ, albæ. Halteres testacei. Pedes luteo-flavi, femoribus anticis fere totis, tarsisque omnibus simplicibus, nigris.

173. *T. circumflexa:* ovata, cinerea, opaca, capite cano; fronte parum prominente, angustissima (♂), aut

lata (♀), vitta brunnea; antennis longitudine dimidii epistomatis, rufis, articulo 2:do paullo longiore, angusto, nigro, seta 3-articulata, vix ad medium incrassata; thoracis lineolis 4 nigris; scutello testaceo; alis cinereis, nervis transversis: ordinario valde inflexo, paullo pone medium areæ anguste apertæ inserto, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente; pedibus nigris; abdomine in ♂ lateribus flavo-subdiaphano. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

*Musca tachinoides* Fall. Musc. 44. 17. ♂♀. (*Dexia rustica* Meig. Dipt. 5. 46. 22, ubi *M. tachinoides* Fall. ut synonymon citatur, alia est species in genere *Dexia* n:o 2, infra quærenda).

Hab. mares in Umbellatis, & uterque sexus in parietibus argillaceis, per Sueciam meridionalem & mediam, 2 Jul.—12 Aug., minus frequenter; scilicet in Ostrogothiæ urbe Wadstena rarius; in Westrogothia, D. D. *Dalman* & *Boheman*; in Nericia, D. *Dahlbom*.

♂♀. Sat magna, lata, ovata. Oculi magni oblongi in vertice maris fere cohærentes, in femina sat late remoti. Series setarum utrinque in ♂ simplex, in ♀ duplex, in utroque sexu per setas 3—4 infra antennas continuata. Antennæ breves, apice rotundatæ, seta longa capillari, subtiliter puberula, basi tenuiter incrassata, articulis basalibus brevissimis, pallidis. Facies albida. Epistomatis medium elongatum, convexum, pallidissime flavum, inter setas oris nigras sat alte assurgentes inclusum. Vibrissæ nullæ. Palpi flavi, filiformes. Thoracis lineæ 4 angustæ, nigræ, mediæ abbreviatæ, laterales interruptæ. Abdomen late ovatum, in ♂ pellucido-testaceum, levissime albo-micans, vitta dorsali angusta, cinerea, in segmentis 1:mo & ultimo dilatata; in ♀ totum cinereum, certo situ maculis fuscis micantibus; in utroque sexu segmentis: 1:mo brevi inermi, reliquis disco

& margine apicali ad latera parce setosis. Alarum nervi subpallidi, longitudinales: 3:tius basi setulis 4—6, 4:tus angulatim flexus. Segmentum costale 2:dum mediocre. Spinula costæ nulla. Squamæ magnæ, albæ. Pedes nigri, femoribus anterioribus versus apicem interdum obscure lividis. Tarsi simplices. Pulvilli in ♂ magni, albi.

**174.** *T. pubicornis:* oblonga, cærulescenti nigra, levissime albo-micans, capite argenteo; fronte modice prominente, angustissima (♂), linea brunnea; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo 2:do duplo longiore, angustato, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, paullo pone medium areæ anguste apertæ inserto, apicali recto mox ante summum apicem alæ excurrente. ♂. (Long. fere 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 639. 23. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; ad lacum insignem Torneåträsk Lapponiæ Tornensis in regione subalpina unicum individuum 10 Jul. 1821 inveni.

♂. Affinis *T. nigripedi*, 52. Oculi postice fere cohærentes, linea angusta remoti. Seta antennarum incumbentium distincte pubescens seu ad medium breviter subplumata. Epistoma breve, nudum, ore reflexo. Palpi fusco-flavi. Thorax antice vittis obsoletis albidis. Abdomen ovale, undique pilosum, sed vix nisi postice setosum, segmento 1:mo brevi, inermi. Alæ inermes, ima basi infuscatæ. Nervus transv. medius obliquus fere apici longitudinalis 1:mi oppositus. Segmentum costæ 2:dum breve, spinula minuta. Nervi longitudinales: 4:tus angulatim flexus, 5:tus non usque ad marginem descendens. Squamæ mediocres, albæ. Halteres fusci. Pedes nigri, pulvillis mediocribus, albis.

**175.** *T. hirticornis:* oblonga, obscure cinerea; fronte vix prominente, modice angusta, vitta brunnea;

antennis epistomate brevi paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, subquadrato, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis lineolis 3, abdominis segmentis: 1:mo toto reliquisque margine apicali, pedibusque, nigris; scutelli apice tibiisque flavidis; alis hyalinis, nervis transversis rectis, ordinario in medio areæ subapertæ inserto, apicali in apice alæ excurrente. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarius; in Ölandia a D. *Boheman* 1835 detecta; deinde etiam in Gottlandia, ad Gusum Ostrogothiæ, & ad Marstrand Bahusiæ, a D. *Wahlberg* lecta; in prato ad Martebo Gottlandiæ 31 Jul. 1841 quoque a D. *Dahlbom* capta.

♂♀ Parva, subcylindrica, griseo-cinera, opaca. Frons non lata, serie setarum superne subduplici, per setas 2 infra antennas descendente. Antennæ incumbentes breviusculæ, validiusculæ, nigræ, articulo 2:do apice rufo. Seta fere tota distincte pubescens. Epistoma breve, subperpendiculare, ad latera juxta oculos serie setarum, sed vibrissis nullis. Os reflexum, genis rufis, palpis flavis. Abdomen nigrum, nitidum, puncto utrinque in segmento 1:mo, fasciisque 3 posticis, cinereis, opacis, per lineam dorsalem nigram interruptis. Segmenta subæque longa, inermia, lateribus & margine apicali in segmentis posticis parce setosis. Segmentum 2:dum macula laterali rufescente. Anus subtus lamellis 2 rufo-fuscis. Alæ cinereo-hyalinæ, ima basi subalbidæ. Nervus transv. medius apici nervi long. 1:mi exacte oppositus. Nervi longitudinales: 3:tius basi uni- l. bisetosus, 4:tus obtusissime angulatus. Area ultima fere in apice alæ terminata, subocclusa. Segmentum costæ 2:dum brevissimum, spinula parva. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres testacei. Pedes nigri, femoribus apice anguste, tibiisque apice late, ferruginantibus.

176. *T. pullula*: oblongo-ovata, aterrima, capite albicante; fronte minime prominente, lata (♀), vitta lata, nigro-brunnea; antennis brevibus, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis hyalinis, nervis: transverso ordinario recto in medio areæ anguste apertæ inserto, longitudinali 4:to arcuatim flexo in summo apice alæ excurrente; squamis albis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Norvegia rarissime; ad diversorium Thynæs in parœc. Skogn 4 Jul. 1840 semel capta.

♀. Tota aterrima, subnitida. Setæ frontales vix infra antennas descendunt. Antennæ mediocres, incumbentes, seta tenuissime puberula. Epistoma breve, perpendiculare, nudum, glaucum, ore non reflexo. Palpi flavi. Abdomen ovale, pilosulum, sed vix nisi postice setulosum. Segmenta subæque longa. Alarum nervus long. 3:tius basi bisetosus. Segmentum costæ 2:dum brevissimum, spinula parva. Squamæ parvæ, niveæ. Pedes nigri, pilosi, sed non setulosi. Tarsi simplices. — Similis *T. nigritæ* infra n:o 186, fronte minime prominente differt.

*Obs.* Specimen masculum feminæ descriptæ simillimum, tantum oculis subcohærentibus, alis fuscanis & squamis nigris, dignotum, e Glogavia obtinui; an *mas* hujus speciei?

177. *T. cingulata:* oblongo-ovata. cinerea, capite argenteo; fronte subprominente, valde angusta (♂), aut modice lata (♀), vitta atra; antennis epistomate brevioribus, nigris, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, angustato, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis vittis 3, abdominis fasciis 4, pedibusque totis, nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario inflexo, mox pone medium areæ occlusæ inserto, apicali recto fere in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Dexia cingulata* Wahlberg in litt. 1842.

Hab. in Ostrogothia rarius; ad Gusum a D. *Wahlberg*, & ad Wadstena 4—15 Jul. a me, capta.

♂♀. Similis *T. pubicorni*, 174, sed palpis paullo obscurioribus, abdominis cingulis evidentioribus, ut & alarum area apicali occlusa, differt. Caput omnino ut in *T. pubicorni*, sed frons in ♀ latior, vitta modice lata, atra, & series setarum haud validarum utrinque subduplex, in nullo sexu infra antennas descendens. Thorax cinereus, vittis 3 nigris, parum determinatis. Scutellum cinereum. Abdomen conicum (♂), aut ovatum (♀), canum, segmentis 1, 2, 3 margine apicali nigris, nitidis; totum subinerme, setis tantum lateribus posticeque paucioribus & minime validis armatum. Segmenta omnia subæque longa. Cauda maris nigra. Alæ ut in *T. pubicorni*, sed area ultima apice non aperta. Squamæ mediocres, albæ. Halteres testacei. Pedes nigri. Tarsi simplices. Pulvilli in ♂ mediocres, albidi.

178. *T. funesta:* oblonga, subcylindrica, nigra, nitida, capite argenteo; fronte subprominente, modice lata, nigro-micante, vitta angusta, atra; antennis epistomate brevioribus, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, angustato, seta biarticulata, basi incrassata; humeris albidis; alis hyalinis, nervis leviter infuscatis: transverso ordinario recto, in medio areæ angustæ apertæ inserto, longitudinali 4:to arcuatim flexo in apice alæ excurrente. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipl. 4. 346. 185. ♂ hujus. *Medoria* Meig. Dipl. 7. 203. 1.

Hab. in Dania; sub nomine allato specimen descriptum a D. *Staeger* obtinui.

♀. Parva, angusta. Series setarum frontalium subduplex non infra antennas incumbentes descendit. Antennarum seta breviter puberula. Epistoma breve, nudum, ore subreflexo. Palpi parvi, nigri. Thorax macula humerali alba. Abdomen tantum lateribus & postice parce setulosum, segmento 1:mo sequente fere longiore. Alarum nervi inermes: transversus ordinarius perpendicularis, medius apici nervi long. 1:mi oppositus, longitudinalis 4:tus leviter arcuatim (minime angulatim) flexus, 5:tus fere ad marginem alæ extensus. Spinula costæ nulla. Squamæ parvæ & halteres, albida. Pedes nigri, tarsis simplicibus.

*Obs. Mas* fronte angusta, setis utrinque tenuibus, a D. *Meigen* l. c. describitur. Specimen masculum capite similiter constructo, sed abdomine undique setuloso, segmentorum mediorum incisuris ad latera tenuiter albis, in Scania semel quoque inveni, de quo hæsito, an ad hanc speciem aut ad *T. nigritam* (186), ut varietatem minutam referendum.

179. *T. lucida:* ovata, thorace cinereo vittis 4 obscuris, scutello, abdomine, pedibusque flavo-testaceis; capite cinereo; fronte subprominente, angustata (♂), vitta lata brunnea; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo valido, nigro 2:do rufo fere duplo longiore, seta biarticulata ad medium incrassata; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario subrecto mox pone medium areæ anguste apertæ inserto, apicali incurvo in apice alæ excurrente. ♂. (Long. fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 268. 50. ♂♀. *Nemorea* Macq. Buff. 2. 101. 20. ♂♀. *Macquartia* Meig. Dipt. 7. 229. 19. *Tachin. diaphana* Fall. Musc. 33. 69. ♂.

Hab. in Sueciæ meridionalis Umbellatis rarissime, 10—25 Jul. obvia; scilicet in Scania ad Råften prope Lund, D. *Dahlbom*, in pratis ad Christinehof & Esperöd (Scaniæ australis), ipse.

♂. Series setarum frontalium simplex infra antennas per setas 2—3 continuata. Antennarum incumbentium basis ferruginea, seta microscopice puberula. Epistoma parum declivum, nudum, ore subreflexo. Palpi filiformes, exserti flavi. Thorax opacus. Abdomen ovatum, nitidum, ferrugineo-flavum, vitta dorsali abbreviata atra, difformi, nempe in 1:mo segmento basi ita dilatata, ut totam latitudinem segmenti occupet, in 2:do ut vitta ovata obvia, & in 3:tio tantum ut lineola utrinque abrupta visa. Segmenta: 1:mum breve, inerme, reliqua in medio & lateribus setosa. Anus rufus. Linea ventralis nigra. Alarum nervus long. 4:tus rotundato-flexus, nervo transverso apicali distincte incurvo. Segmentum costæ 2:dum modice longum, spinula nulla. Squamæ flavidæ. Pedes rufo-flavi, tarsis nigris, pulvillis sat longis, albidis.

Var. b. ♂. duplo minor, antennarum basi picea, femoribus obscure testaceis, l. nigricantibus; de cetero var. a. similis, vix specie diversa; in Scania ad Lund rarius capta.

180. *T. crucigera:* oblonga, subcylindrica, thorace cinerascente, lineolis 4 obscuris; scutello rufo; capite cinereo; fronte parum prominente, modice lata, vitta brunnea; antennis epistomate paullo brevioribus, articulo ultimo mediocri, nigro 2:do piceo vix duplo longiore, seta biarticulata, ad medium incrassata; abdomine flavo-subpellucido, linea dorsali incisurisque mediis nigris; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario recto mox pone medium areæ anguste apertæ inserto, apicali incurvo in apice alæ excurrente; tibiis testaceis. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 618. 61. ♀.

Hab. in Umbellatis & foliis fruticum, locis umbro-

sis, ad Wilhelmina Lapponiæ Umensis, 15—19 Jul., rarius visa, usque in Dalecarliam descendens.

♀. Similis priori, a qua magnitudine minore, epistomate nonnihil minus prominente, scutelli ima basi obscura, abdominis linea dorsali nigra continua, incisuris præsertim mediis nigricantibus, ut & femoribus obscurioribus, dignoscitur. Series setarum frontalium postice duplex. Antennæ mediocres nigræ, basi rufo-piceæ. Oculi subrotundati. Femora fusco-testacea. Reliqua ut in priori.

181. *T. ciliaris:* oblongo-ovata, cinerea, opaca, capite argenteo; fronte subprominente, modice lata, vitta angustata, atra; antennis epistomate brevioribus, mediocribus, nigris, articulo ultimo 2:do duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; thoracis lineis 4, abdominis fasciis totidem nitidis, pedibusque nigris; alis hyalinis, nervis transversis subrectis, ordinario mox pone medium areæ apertæ inserto, apicali fere in apice alæ excurrente, costa ciliata, spinula distincta. ♀. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad prædium Björnstorp prope Lund 20 Jun. a D. *Dahlbom* detecta, & ad Esperöd in parœc. Tranås 10 Aug. a me lecta.

♀. Affinis & similis videtur *T. prolixæ* Meig. Dipt. 4. 363. 214, & nobis 188, atque vix nisi palpis brevibus, retractis, flavis, nec elongatis nigris, ab illa diversa. Series setarum frontalium per setas 2—3 infra antennas continuata. Antennæ incumbentes, seta elongata, tenuissime puberula. Epistoma subperpendiculare, nudum, ore distincte porrecto, albido, genis ferrugineis. Oculi mediocres tenuiter hirti. Alæ cinereo-hyalinæ, basi flavido-fuscæ. Nervi longitudinales: 3:tius basi bisetosus, 4:tus subobtuse angulatim flexo mox ante apicem alæ excurrente. Area modice aperta. Costa fere ad medium distincte nigro-ciliata, spinula sat

crassa subelongata. Squamæ sat magnæ, albæ. Abdomen ovatum, nigrum, nitidum, segmentis 2, 3, 4 basi cinereis. Segmenta: 1:mum breviusculum, subinerme, reliqua disco & lateribus valide setosa. Pedes nigri, tarsis simplicibus.

182. *T. chalconota:* oblonga, nigro-ænea, nitida, capite argenteo, palpis flavis; fronte subprominente, nigro-micante, angustissima (♂), aut modice angusta, vitta latiuscula, atra (♀); antennis epistomate brevi paullo brevioribus, subangustis, articulo ultimo 2:do duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis hyalinis, basi squamisque flavidis, nervis transversis subrectis, ordinario paullo pone medium areæ apertæ inserto, apicali mox ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipl. 4. 270. 53? ♂. — *Macquartia* Meig. Dipl. 7. 229. 8?

Hab. in Suecia meridionali & media, minus frequens, Maj.—Jul. obvia; in copula; nempe in Scania ad Lund & Björnstorp; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* ad Wadstena, ipse; (Ad Neuenkirchen in Megalopoli 15—20 Maj. 1842, D. *Dahlbom;* e Glogavia, D. *Zeller*).

♂♀. Similis *T. nitidæ,* 183, & *atratæ,* 184, sed palpis flavis, nec nigris, statim dignota. Oculi in ♂ postice cohærentes, linea angustissima atra disjuncti, fronte antice triangulari, nigra, puncto supra antennas albo, nitido, serie setarum simplici; frons in ♀ modice lata, argentea, nigro-micante, vitta latiuscula, atra, serie setarum postice duplici, antice simplici, in utroque sexu per setas 2—3 infra antennas continuata. Antennarum seta elongata, in medio breviter puberula. Epistoma breve, nudum, ore leviter reflexo. Palpi filiformes, subexserti, flavi, summo apice interdum

nigricantes. Oculi hirti. Thorax niger, antice leviter albo-micans, lineis 4 nigris. Abdomen ovatum, nigro-æneum, ad latera levissime albo-micans, segmentis subæque longis, anticis parce, posticis densius, undique setosis. Alæ hyalinæ, basi distincte, costa paullo ultra medium leviter, fusco-flavescentes. Nervus transversus ordin. leviter flexus. Area modice aperta. Nervi longitudinales: 3:tius basi setulis 2—3, 4:tus obtuse angulatim flexus. Spinula costæ minuta. Squamæ & halteres, flavida. Pedes nigri, tarsis simplicibus; pulvillis in ♂ sat magnis, albis.

183. *T. nitida:* oblonga, nigro-ænea, nitida, capite argenteo, palpis nigris; fronte subprominente, nigro-micante, angustissima (♂), aut modice angusta, vitta latiuscula, atra (♀); antennis epistomate brevi paullo brevioribus, subangustis, articulo ultimo 2:do duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis hyalinis, basi squamisque subflavidis, nervis transversis subrectis, ordinario paullo pone medium areæ apertæ inserto, apicali mox ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere $2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 646. 52. ♂♀. *T. atrata* Meig. Dipt. 270. 52. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *Tach. atrata*, quæ eadem est ac *T. corrusca* Meig.). — *Macquartia atrata* Meig. Dipt. 7. 229. 3.

Hab. in foliis fruticum, per prata, pascua, nemora, sæpe juxta paludes, interdum in campis arenosis, per totam Scandinaviam, 6 Jun.—28 Sept., vulgaris, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Gottlandia, Nericia, Jemtlandia usque ad Ristansfors, Lapponia Umensi usque ad Lycksele, frequens; ad Torneå, D. *Deutsch*; in Norvegia ad Thynæs & Garnæs

Værdaliæ, passim; in Dania, D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Simillima priori, nec differt ab illa nisi palpis nigris l. nigricantibus, basi interdum fuscis. Corpus æneseens, nitidum, in illæsis leviter albo-submicans. — Individuum unicum masculum corpore nigro, nitido, vix æneo-micante, & palpis basi flavis ad Esperöd Scaniæ cum var. genuina, cui de cetero simillimum semel inveni; forte *T. tristis* Meig. 4. 271. 55?

*Obs. Tach. Præfica* Meig. Dipt. 4. 271. 57. ♀. parum quoque a nostra *T. nitida* differre videtur.

184. *T. atrata:* oblonga, ænescenti atra, nitida, capite argenteo-micante; fronte subprominente, angustissima (♂), aut modice angusta, vitta atra, opaca (♀): antennis epistomate brevi brevioribus, subangustis, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis cinereis, basi & costa tota fusco-flavis, squamis flavis, nervis transversis: ordinario distincte inflexo, apicali recto fere in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Musc. 31. 71. genuina. ♂♀. -- Zett. Ins. Lapp. 646. 53. ♂♀. *T. corrusca* Meig. Dipt. 4. 273. 61. ♂♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum Betulæ albæ, Populi tremulæ, &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 16 Maj.—15 Sept., passim haud infrequenter; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Fogelsång, Tranås, Esperöd &c., vulgaris; in Smolandia; in Ostrogothia ad Wadstena; in Gottlandia ad Kjellunge; in Nericia, Uplandia & Dalecarlia, rarius; deinde non nisi rarissime obvia.

♂♀. Simillima iterum *T. chalconotæ*, 182, sed plerumque nonnihil minor, & corpore minus æenescente, palpis nigris, alis basi squamisque intensius flavis, costa tota fusco-flava, ut & nervo transverso ordinario magis inflexo, certe distincta. — Antennarum articulus ultimus 2:do in ♂ parum, in ♀ fere duplo, longior. — Nervus 3:tius longitudinalis basi setulis 2—3 parvis. Oculi in ♂ perspicue, in ♀ tantum microscopice, hirti. — In uno specimine femineo palpos flavos vidi.

185. *T. chalybeata:* oblongo-ovata, atra, nitida, capite subargenteo-micante; fronte minus prominente, angustissima (♂), aut modice angusta (♀), vitta atra opaca; antennis epistomate brevi brevioribus, subangustis, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis cinereis, basi subfusco-flavidis, nervis transversis leviter flexis, longitudinalibus: 3:tio basi 6—7-setuloso, 4:to subarcuatim flexo fere in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 271. 56. ♂♀. *Zophomyia* Macq. Buff. 2. 161. 8. ♂♀. *Macquartia* Meig. Dipt. 7. 229. 7.

Hab. in foliis fruticum Salicis, Betulæ &c., in pratis paludosis sæpe obvia, per Sueciam meridionalem & mediam, 25 Jun.—10 Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund, in prato Kungsmarken, ad Räften &c., sat frequens; in Ölandia rarior. (E Glogavia a D *Zeller* sine synonymia communicata).

♂♀. Valde similis & affinis præcedenti, sed statura forte magis ovata, oculis (in ♂) non intime cohærentibus, setis frontalibus pluribus (4—5) infra antennas descendentibus, colore corporis aterrimo, minime metallico-micante, alis basi minus flavicantibus, costa non infuscata, nervo trans-

verso apicali leviter flexo, nec recto, nervis longitudinalibus: 3:tio basi setulis pluribus, 6—7, nec 2—3, armato, 4:to subarcuatim, nec exacte angulatim, flexo, ut & squamis albidis, nec flavis, facile & vere dignota.

186. *T. nigrita:* ovalis, atra, nitida, capite subargenteo-micante; fronte minus prominente, angustissima (♂), aut modice angusta (♀), vitta atra, opaca; antennis epistomate brevi brevioribus, subangustis, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis hyalinis, basi subalbidis; nervis transversis leviter flexis, longitudinalibus: 3:tio basi 6—7-setuloso, 4:to arcuatim flexo, in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Musc. 35. 72. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 274. 62. (secund. Fall. transscripta). *Macquartia* Meig. Dipt. 7. 229. 16.

Hab. in floribus & foliis fruticum, 20 Jun.—30 Jul., cum priori, sed vulgarius; scilicet in Scania ubique sat frequens; in Smolandia & Ölandia passim; in Westrogothia, D. *Gyllenhal.*

♂♀. Simillima *T. chalybeatæ*, sed magnitudine sæpe duplo minore, oculis (in ♂) propius cohærentibus, alis magis hyalinis, basi albescentibus, nec fusco-flavidis, ut & nervo longitudinali 4:to paullo perspicuius arcuatim, nec subangulatim, flexo, distincta. Antennæ in ♂ paullo angustiores, quam in ♀, in utroque sexu apice subrotundatæ. Palpi atri, subclavati. Corpus cærulescenti atrum, immaculatum. Abdomen ovale. Alarum area ultima anguste aperta, in summo apice alæ terminata. Spinula costæ minuta. Squamæ albæ. Nervus transversus ordinarius plerumque rectus.

187. *T. grisea:* oblonga, subcylindrica, cinerascens, opaca, capite cano; fronte subprominente, angustissima (♂), aut modice angusta (♀), vitta latiuscula, picea; antennis epistomate paullo brevioribus, subangustis, articulo ultimo 2:do fusco fere duplo longiore, nigro, seta biarticulata, basi incrassata; palpis, thoracis lineolis 4, pedibusque, nigris; alis subflavido-cinereis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali subrecto in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Tachin. Act. Holm. 1810. p. 269. 15. ♀. Muscid. 20. 41. ♀. Meig. Dipt. 4. 279. 70. ♀. *T. dispar* var. *β.* Fall. Musc. p. 32. — *Tach. egens* Meig. Dipt. 1821. 275. 63. ♂♀. *Zophomyia* Macq. Buff. 2. 160. 3. ♂♀. *Macquartia* Meig. Dipt. 7. 229. 2

Hab. in graminosis & foliis fruticum etiam Pinetorum, per Succiam meridionalem & mediam, 1 Jun.—Aug.—16 Sept., passim, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Lund. Tranås & Esperöd; in Ostrogothia ad Wadstena & Omberg; in Ölandia, D. *Boheman;* in Gottlandia ad Ruthe, Hoburg, &c., ipse.

♂♀. Grisea. Caput ut in *T. atrata*, 184, constructum. Oculi rufi in ♀ minores quam in ♂, & in ♀ tenuiter, in ♂ dense, hirti. Antennarum articulus 2:dus & vitta frontalis, rufo-picea. Corpus in ♂ obscure cinerascens, in ♀ griseum, thoracis antico in utroque sexu lineolis 4 nigris, in ♀ tamen tenuioribus. Abdomen ut in *T. chalconota*, 182, setosum. Alæ subfuscanæ (♂), aut cinereæ (♀), nervis pallidis, longitudinalibus: 3:tio basi 2—3-setoso, 4:to subarcuatim flexo. Area apicalis modice aperta. Spinula costæ nulla. Squamæ flavido-fuscanæ (♂), aut sordide albidæ (♀). Halteres testacei. Pedes nigri. Tarsi simplices. Pulvilli in ♂ sat magni, albi.

188. *T. prolixa:* oblonga, subcylindrica, cinerea, opaca, capite argenteo; fronte subprominente, angusta (♂), aut modice lata (♀), vitta angusta, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, mediocriter lato, seta biarticulata, basi incrassata; palpis, thoracis lineis 4, abdominis fasciis subquatuor, pedibusque nigris; alis subhyalinis, nervis transversis: ordinario flexo, apicali subrecto mox ante apicem alæ excurrente; spinula costæ distincta; abdominis lateribus in ♂ rufescentibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 363. 214. ♂♀. *Macquartia* Meig. Dipt. 7. 229. 13. *Tach. spinosa* Zett. Ins. Lapp. 648. 62. ♂♀. Forte etiam *Tach. griseicollis* Meig. Dipt. 4. 365. 218. ♀.

Hab. in graminosis, floribus, & foliis fruticum, per Scandinaviam, 2 Jul.—12 Sept., ubique vulgaris; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Westrogothia, Ölandia, Gottlandia (ad Garde, Malms, Kjellunge, Fårön &c.), frequentissima; in Nericia ad Öskevik; in Jemtlandia usque ad Faxelfven, Hofverberget & Alsen, passim; in Lapponia Tornensi ad Kengis, rar.; in Norvegia a Dovre, Næs & Thynæs usque ad Bossekop Finmarkiæ, haud rara; e Dania sub nomine: "*T. griseicollis* Meig.?" ♀ a D. *Staeger* communicata. (E Glogavia utergue sexus a D. *Zeller* sine synonymia missus).

♂♀. Valde similis priori, sed plerumque paullo minor, multo fortius setosa, fere spinosa, antennis versus apicem sublatioribus, margine oris magis reflexo, albo, oculis (in ♂) non arctissime cohærentibus, sed anguste remotis, vitta frontali nigra, nec picea, abdomine cinereo, 1:mo segmento toto, reliquisque fascia apicali subinterrupta, nigra, nitida, nec abdomine cinereo immaculato, lateribus præsertim in ♂

plus minus ferrugineis, alis magis hyalinis, basi parum infuscatis, costa basi ciliata, spinula subgemina distincta, nervo long. 4:to arcuatim flexo nonnihil ante summum apicem alæ excurrente, area paullo latius aperta, ut & squamis albidioribus, abunde distincta. — Simillima quoque *T. ciliari* (181), sed palpis nigris, nec flavis, ab illa mox dignota. — Palpi filiformes apice tenuiter incrassati. — Variat nervo long. 4:to subangulatim flexo. Affinis *T. laterali* 192.

*Obs.* Sub nomine: *T. subdiaphana* & *curtiseta* hæc species in collectionibus Suecicis etiam occurrit.

189. *T. angulicornis:* oblongo-ovata, nigricans, thoracis antico albo-maculato; abdomine griseo, maculis nigro-micantibus; epistomate argenteo; fronte modice lata; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, articulo ultimo elongato, angulo apicali superne acuto, seta biarticulata, basi incrassata; alis hyalinis, nervis transversis rectis, apicali fere in apice alæ excurrente. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Ölandia rarissime; specimen descriptum a D. *Boheman* 1835 inventum & missum.

♀. Parva, magnitudine & affinitate *T. nigritæ*, 186. Caput argenteo-micans, vertice nigro (in specimine paullo detrito). Oculi mediocriter remoti. Antennæ atræ, articulo ultimo elongato, apice angulo supero distincte acuto, acumine sursum flexo. Genæ subpallescentes. Palpi tenues, nigri. Thorax niger, antice vestigio macularum albarum. Abdomen griseum, segmentis 1—3 apice maculis nigris certo situ perspicuis. Alæ inermes, nervo long. 4:to angulatim flexo fere in apice alæ excurrente ibique cum nervo long. 3:tio non intime conjuncto; inde area anguste aperta. Nervus transv. ordinarius rectissimus. Squamæ albæ. Halteres testacei. Pedes nigri. Tarsi simplices.

190. *T. arctica:* oblonga, nigricans, subnitida, thoracis lateribus abdominisque maculis albo-micantibus; capite albo-cinereo; fronte subprominente, modice angusta, vitta atra; antennis epistomate parum brevioribus, validis, nigris, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta biarticulata, basi incrassata; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali brevi fere in apice alæ excurrente. ♂. (Long. fere $2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 645. 47. ♂.

Hab. in Finmarkia occidentali Norvegiæ rarissime; in monte subalpino Skaàddavaara, non longe a Nord-Cap distante 7 Aug. 1821 inveni.

♂. Caput argenteo-micans, fronte obscuriore, vitta mediocriter lata, atro-brunnea. Series setarum haud validarum per setas 4—5 infra antennas continuata. Oculi perspicue hirti. Antennæ incumbentes, seta subtiliter puberula. Epistoma parum declivum, nudum, vibrissis inferne paucis, spuriis. Os haud reflexum. Palpi exserti, atri. Thorax niger, antice obscurus, lineis 2 nigris, humeris albidis. Abdomen ovale, convexum, nigrum, subnitidum, fasciis 3 cinerascentibus subinterruptis. Segmenta: 1:mum breve, inerme, reliqua in disco & apice non valide setulosa. Alarum nervi pallidi, longitudinales: 3:tius basi bisetosus, 4:tus angulatim flexus; area modice aperta. Spinula costæ nulla. Squamæ sordide albidæ. Pedes nigri, pulvillis mediocribus, albis.

191. *T. hyalinata:* ovata, obscure cinerea, opaca, capite subargenteo-micante; fronte vix prominente, modice lata, vitta mediocri, brunneo-atra; antennis epistomate nonnihil brevioribus, nigris, articulo ultimo duplo & ultra longiore, seta biarticulata, fere ad medium incrassata; thoracis lineolis 4, abdominis fasciis totidem

subnitidis, pedibusque, nigris; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario subflexo, apicali recto, paullo ante apicem alæ excurrente. ♂. (Long. $2\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Ölandia rarissime; specimen descriptum a D. *Wahlberg* benigne missum.

♂♀. Antennæ incumbentes, mediocres, seta subtiliter puberula. Frons parum angusta, serie setarum utrinque subsimplici, per setas 5 infra antennas continuata. Epistoma modice longum, perpendiculare, nudum, ore vix reflexo. Palpi clavati, atri. Oculi magni, hirti. Thoracis lineæ 4 nigræ in fundo obscuro parum perspicuæ. Abdomen ovatum, nigrum, subnitidum, segmentis 2, 3, 4 basi fascia albo-cinerea, postice evanescente, per lineolam nigram interrupta. Segmenta subæque longa, 1:mum bisetulosum, reliqua in disco & apice parce & tenuiter setosa. Alæ hyalinæ, basi leviter fuscanæ. Nervi transversi: ordinarius leviter flexus, mox pone medium areæ anguste apertæ insertus, apicalis rectissimus perspicue ante apicem alæ excurrens. Nervi longitudinales: 3:tius basi 4—5-setulosus, 4:tus rectangulatim flexus. Segmentum costæ 2:dum breviusculum, spinula nulla. Squamæ albæ. Pedes nigri, pulvillis albis, non elongatis.

192. *T. lateralis:* oblonga, subcylindrica, nigricans, subnitida, thorace cinereo-vittato; capite argenteo; fronte subprominente, angusta (♂), aut modice lata (♀), vitta mediocri, atra; antennis epistomate paullo brevioribus, nigris, ariculo ultimo 2:do parum longiore, seta biarticulata, basi incrassata; abdominis lateribus rufis; alis hyalinis, nervis infuscatis; transversis: ordinario flexo, apicali recto intra apicem cum longitudinali tertio conjuncto. ♂♀. (Long. $2-2\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Act. Holm. 1810. p. 285. 41. ♂♀. Muscid. 36. not. — Meig. Dipt. 4. 283. 78. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 648.

60. ♂♀. *Musca* Panz. Fn. 7. f. 22. *Ocyptera* Fabr. Antl. 311. 8. *Sericocera* Macq. Buff. 2. 168. 9. ♂♀. *Panzeria* Meig. Dipt. 7. 232. 1. t. 70. f. 15. ♂. — *Musca rufo-maculata* Degeer Ins. 6. 28. 7. t. 1. f. 9. *Ocyptera tachinaria* Fall. Rhizomyz. 6. 4. ♂♀.

Hab. in graminosis & floribus, locis aridis, per Scandinaviam, 4 Jul.—2 Sept., ubique vulgatissima, 12 Jul. etiam ovipara visa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia (ad Stenkyrka, Martebo, Gothem, Fårön, Lummelund, Westös &c.), Bahusia, Nericia, frequentissima; in Uplandia ad Holmiam; in Botnia boreali ad Johannis Ro & Kengis, haud rara; in Lapponiis Umensi ad Lyckselе, & Tornensi ad Muonioniska, frequens; in Dania non raro, D. *Staeger*. (In Jungfern-Heyde & Moabite prope Berolinum, ut & in Helgolandia, D. *Dahlbom*).

♂♀. Similis & affinis *T. prolixæ* (188); sed abdominis lateribus ferrugineis, alarum nervis plus minus fuscedine cinctis, & area apicali paullo ante apicem alæ occlusa, breviter petiolata, mox dignota. Fortiter setosa. Oculi tenuiter hirti. Setæ frontales 3—4 infra antennarum radicem descendunt. Antennæ liberæ, articulo ultimo latiusculo, apice intus rotundato, seta subtiliter puberula. Epistoma subdeclivum, nudum, ore paullo reflexo. Palpi nigri. Thorax cinerascens, lineis 4 nigris. Abdomen nigrum, subnitidum, lateribus plus minus late rufum, segmentis 2, 3, 4 ima basi cingulo albo. Segmenta: 1:mum breve, inerme, reliqua disco & apice parce, sed valide, spinosa. Alarum nervi: transversus ordinarius leviter flexus paullo pone medium areæ insertus; longitudinalis 3:tius basi 2—3-setulosus, 4:tus angulatim exacte flexus; spinula costæ distincta. Squamæ albæ. Pedes nigri, tarsis simplicibus, pulvillis in ♂ mediocribus, albis. — Variat area alarum apice non petiolata.

193. *T. viridis:* ovata, aureo-viridis, nitida, epistomate argenteo; antennis linearibus, palpis pedibusque nigris; alis hyalinis, nervo longitudinali 4:to infra angulum acutum continuato. ♂♀. (Long. 2½ fere 4 lin.).

Fall. Musc. 25. 51. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 258. 32. *Chrysocoma* Macq. Buff. 2. 150. 1. ♂♀. T. 14. f. 16. — Meig. Dipt. 7. 217. 2. T. 70. f. 6. ♂.

Hab. in foliis fruticum & herbarum, etiam in floribus Umbellatarum, locis paludosis mihi præsertim obvia, per hortos & prata Sueciæ, 30 Maj.—15 Jun., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Maltesholm &c., passim; in templo Upsaliæ antiquæ semel a D. Prof. *Wahlberg* capta; e Dania a D. *Staeger* missa.

♂♀. *Muscæ cæsari* magnitudine, colore & habitu similis. Frons prominens, modice angusta (♂), aut latior (♀), argentea (♂), aut viridis (♀), vitta latiuscula, nigra. Series frontalis utrinque in ♂ simplex, in ♀ duplex, in utroque sexu per setas 4 infra antennarum basin descendens. Oculi hirti. Antennæ liberæ, validiusculæ, sublineares, nigræ, epistomate paullo breviores, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, seta 3-articulata, articulis basalibus brevibus, ad medium incrassata, tota subnuda. Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis vix ullis. Os subreflexum. Genæ virides. Palpi nigri. Corpus aureo-viride, sæpe cæruleo-resplendens, scutello plerumque chalybeo. Abdominis segmenta: 1:mum breve, inerme; reliqua disco & lateribus setosa. Alæ cinerascentes; nervi: transversorum ordinarius inflexus pone medium areæ modice apertæ insertus, apicalis incurvus paullo ante apicem alæ excurrens; longitudinalium 3:tius basi 3—4-setulosus, 4:tus non longe, sed determinate infra angulum acutum descendens. Spinula costæ minuta. Squamæ albæ. Halteres obscuri. Pedes nigri, femoribus metallice nitentibus, pulvillis albidis in ♂ longiusculis.

191. *T. aurata:* ovata, aureo-viridis, nitida, epistomate margaritaceo; antennis extus dilatatis, pedibusque nigris, tibiis obscure testaceis; palpis flavis; nervo longitudinali 4:to infra angulum acutum non continuato. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Fall. Musc. 25. 52. ♂. Meig. Dipt. 4. 257. 31. ♂♀. *Chrysocoma* Meig. Dipt. 7. 217. 1.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in horto villæ Esperöd Scaniæ specimen descriptum originarium masculum inventum.

♂♀. Simillima priori, a qua vero vitta frontali dilutius fusca, fronte nonnihil minus prominente, antennis versus apicem latioribus, epistomate albido-flavo, parum argenteo, palpis flavis, nervorum longitudinalium 3:tio basi 8—10-setuloso, 4:to infra angulum non continuato, ut & tibiis fusco-testaceis, facile dignoscitur. Antennarum articulus ultimus in ♂ latissimus, nempe versus apicem sensim dilatatus, apice truncatus; in ♀ angustior, subtus scilicet parum dilatatus.

*Obs.* *Tach. delicata* Meig. Dipt. 4. 368. 223. ♀. seu *Thryphera delicata* Ejusdem Dipt. 7. 264. 1. t. 72. f. 40—42. ♂♀. in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg* lecta erit; mihi ignota. Neque *Tach. leucophæa* Meig. Dipt. 4. 414. 304. ♀. seu *Exorista leucophæa* Ejusd. Dipt. 7. 256. 35. "thorace cinereo, vittis 4 nigris; abdomine ovato, albido, fusco-micante; vibrissis nullis; palpis tibiarumque basi ferrugineis; oculis hirtis"; quæ in Dania ad Hafniam a D. *Staeger* Aug. semel inventa erit, & in vicinitate nostrarum specierum *T. affinis* (103) & *Bohemanni* (104) forsitan locum habuerit, a me in Scandinavia umquam deprehensa.

## 109. GONIA Meig.

*Corpus* magnum aut medium, ovato-oblongum, convexum, fortiter setosum. Caput magnum, inflatum, vesiculosum, undique setulosum, facie raro vibrissata. Antennæ longitudine fere epistomatis, incumbentes, lineares, articulo ultimo longissimo, seta triarticulata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do longitudine fere 3:tii aut illo interdum paullo breviore, tota valida, nuda, sæpe in medio subgeniculata, apice subulata. Frons prominens, latissima, setis utrinque tri-aut quadrifariam dispositis, vitta latissima. Epistoma aut perpendiculare aut raro declivum, mystacibus distinctis. Oculi parvi, oblongi, nudi, in utroque sexu longe remoti; rufo-brunnei, unicolores. Thorax opacus. Abdomen subnitidum. Segmentum 1:mum breve. Alarum nervus longit. 4:tus angulatim flexus ante apicem alæ excurrens. Nervi transversi: ordinarius pone medium areæ insertus, apicalis subincurvus. Spinula costæ nulla. *Color* cinerascens. *Motu* agilissima, inquieta. *Habitatio* in floribus; in terra arida sæpe moratur. *Differentia sexus; mas:* hamulis analibus 2 corneis inflexis, & antennis (articulo ultimo) paullo longioribus, a *femina:* vagina anali brevi, articulata, cylindrica, parum erumpente, ut & antennis (articulo ultimo) nonnihil brevioribus, dignoscitur. Præterea pulvilli breves in utroque sexu plerumque fere æque longi. — Typus generis: *Gonia capitata* n:o 1.

A. Epistoma perpendiculare, setis lateralibus sæpe perspicuis, sed vibrissis vix ullis nisi in *G. hebete* inferne spuriis. Alæ subinermes.

*) abdomine rufo-picto.

1. *G. capitata:* thorace griseo, fusco-vittato, limbo laterali & postico, scutelloque, rufo-flavidis; capite flavo, antennarum articulo ultimo pedibusque nigris; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali angusta, anoque,

nigricantibus, incisuris albis; alis hyalinis, basi flavidis, nervo apicali incurvo. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 3. 1. Macq. Buff. 2. 85. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 632. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 241. 1. *Musca* De Geer Ins. 6. 23. t. 1. f. 3. *Tachina* Fall. Muscid. 11. 18. ♂♀.

Hab. in floribus Calthæ, Umbellatarum &c., per prata, hortos & arva, etiam in ipsa terra camporum aridorum, 10 Maj.—30 Jul., in Scandinavia meridionali & media, haud raro; scilicet in Scania ad Abusa, Lomma, Esperöd &c., passim; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena-löt & Gusum; in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Wamblingbo & Gothem; in Dania ad Hafniam D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Magna, robusta. Caput pallide flavum, leviter albomicans, fronte latissima, vitta straminea, setis utrinque irregulariter subquadrifariam dispositis, nigris, haud infra antennarum basin descendentibus. Antennæ deflexæ, basi rufæ, articulo ultimo nigro, quam 2:do in ♂ quadruplo, in ♀ vix triplo longiore, seta crassa, in medio geniculata. Epistoma valde prominens, serie setarum 5—6 nigrarum ad latera juxta carinas (sed non in ipsis carinis) ornatum & præterea pilis minutis parvis undique adspersum. Palpi flavi. Abdomen rufo-flavo-pellucidum, vitta dorsali nigra, basi apiceque dilatata, in segmentis 2, 3 plerumque angusta, incisuris tenuiter, & ano latius, albo-micantibus. Segmenta: 1:mum & 2:dum in medio marginis apicalis setis duabus, 3:tium & 4:tum margine apicali setis pluribus, armata. Alæ hyalinæ, basi flavido-subfuscæ, nervo transv. ordinario inflexo, longitudinali 3:tio basi 5—7-setuloso; area modice aperta. Segmentum costæ secundum (cfr. in *Nephrocero* gen. 100) modice longum, cujus medio opponitur nervus

transversus medius. Squamæ albæ; inferiores magnæ halteres obtegunt. Pedes nigri, unguibus & pulvillis in utroque sexu parvis.

*Obs.* Abdominis vitta dorsalis in segmento 3:tio feminæ in maculam triangularem plerumque dilatata est, & cingulæ albæ magis perspicuæ; hinc forsitam *G. ornata* Meig? Specimen femineum alarum area occlusa ad Lund Scaniæ semel inveni.

2. *G. lateralis:* thorace griseo, fusco-vittato, limbo laterali & postico obscure rufo-flavidis, scutello testaceo; capite flavo, antennarum articulo ultimo pedibusque nigris; abdomine pellucido-testaceo, vitta dorsali lata, anoque, nigris, incisuris albis; alis hyalinis, nervo apicali subrecto. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Zeller in Isis. — *Tachina capitata* Fall. Musc. 11. 18. descript. var.: "abdominis linea media dorsali lata."

Hab. in Suecia meridionali, tempore vernali, passim; in Scania ad Lund & Abusa 29 April.—24 Maj. plura specimina utriusque sexus inveni; sub nomine: "*Gonia vacua* Meig." ex Hafnia Daniæ a D. *Staeger* communicata. (E Glogavia specimina typica sub nomine: "*G. lateralis*" obtinui).

♂♀. A priori, cui de cetero similis, differt: magnitudine paullo minore, thoracis limbo posteriore obscuriore, abdominis vitta dorsali nigra duplo latiore, alis basi non flavidis, nervo apicali fere recto, ut & nervi longitudinalis 4:ti angulo nonnihil obtusiore, quam in præcedente. Valde quoque similis videtur Meigeni *Gon. vittatæ*, *divisæ* & *vacuæ*, sed a *G. vittata* incisuris abdominis albis, nec immaculatis; a *divisa* (cujus individua a D. *Zeller* e Glogavia accepi, Faunæ Scandinaviæ sine dubio peregrina) magnitudine paullo majore, capite flavo, albo-micante (nec luteo, im-

maculato), abdominis lateribus rufo-flavis, nec anguste rufo-ferrugineis, ut & segmento ultimo nigro, basi late cano, (nec nigro, nitidissimo immaculato); & a *vacua* abdominis vitta dorsali nigra in segmentis 2 & 3 tota subæque lata, & in ♀ postice dilatata, nec ut in *vacua* angusta, postice attenuata, facile dignoscitur.

**) abdomine non rufo-picto (in ♂ *G. fasciatæ* lateribus leviter ferrugineo-maculato).

3. *G. fasciata*: thorace griseo, fusco-lineato, scutello obscure testaceo; capite flavo, albo-micante; antennis basi ferrugineo-testaceis, articulo ultimo, pedibus abdomineque, nigris, hoc incisuris albis; alis hyalinis, nervo apicali subrecto. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 6. 10. & 7. 244. 13. Macq. Buff. 2. 86. 5. *Tach. capitata* Fall. Musc. 11. 18. var. *β*.

Hab. in graminosis, floribus Salicis cinereæ, &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 2 Maj.—10 Jun., minus frequens, in copula; scilicet in Scania ad Lund, D. *Dahlbom* & ipse; in Upplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia, D. *Boheman*; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa; & e Glogavia plura specimina ex utroque sexu sub nomine descripto a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Simillima *G. laterali*, sed sæpe nonnihil minor, & abdominis lateribus vix rufo-pictis, nisi in segmentis maris 2 & 3 macula utrinque parva, ferruginea, præcipue distincta. — Caput undique pilosulum. Thorax lineolis 4 angustis, subinterruptis, nigricantibus, limbo laterali & postico, scutelloque, sordide flavidis l. fusco-testaceis. Abdomen nigrum, nitidum, cingulis 3 ad basin segmentorum 2, 3, 4 argenteo-albis. Reliqua ut in præcedente.

4. *G. hebes:* cinerea, thoracis vittis abdominisque maculis nigricantibus; capite argenteo, vitta obscura; antennis basi ferrugineis, articulo ultimo pedibusque nigris; scutello rufo-testaceo; alis cinereis, nervi long. 4:ti angulo rotundato. ♂♀. (Long. 3½—4½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 7. 11. ♂. & 7. 244. 12. Macq. Buff. 2. 86. 6. ♂. *Tachina* Fall. Musc. 11. 19. ♀.

Hab. in foliis fruticum, floribus Chrysanthemi leucanthemi, &c., per prata Sueciæ mediæ, 7 Jul.—2 Aug., rarius, valde agilis; scilicet in Gottlandia ad Gothem; in Ölandia, & in Ostrogothia ad Wadstena, a me parce inventa.

♂? ♀. Magnitudo fere *G. capitatæ.* Cinerea, opaca. Caput minus quam in *capitata* inflatum, totum argenteum, in junioribus rufescenti micans. Antennæ paullo breviores quam in *capitata*, articulo ultimo nigro 2:do rufo vix duplo longiore, setæ articulis basalibus brevibus. Palpi flavi. Thoracis vittæ 4 nigræ. Abdomen cinereum, maculis irregularibus nigricantibus, segmento ultimo toto cinereo. Pedes nigri. Alæ cinereæ, basi subalbescentes, nervis ut in *G. capitata* directis, sed angulo nervi longitudinalis 4:ti magis rotundato. Squamæ albæ.

5. *G. flaviceps:* nigra, nitida, subimmaculata; capite pallido, albo-micante, antennarum basi scutelloque ferruginantibus; palpis nigricantibus; alis hyalinis, nervo transverso apicali subrecto. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 632. 2. ♂.

Hab. in Scandinavia, boreali rarissime; unicam marem in alpium Tornensium jugo inter Alten & Kautokeino Finmarkiæ d. 14 Aug. 1821 inveni ipse, unicam-

que feminam in Jemtlandia ad radicem alp. Areskutan d. 1. Aug. 1840 deprehendit D. *Dahlbom.*

♂♀. Prioribus paullo minor, ovata, nigra, nitida, in ♀ vestigio vittarum albarum in thoracis antico, & fasciarum 3 cinerascentium in abdomine. Caput stramineum, albomicans, modice buccatum, undique parce pilosum, setis frontalibus haud validis. Frons lata, vitta minus lata, flava. Antennæ nigræ, basi in ♂ ferrugineæ, in ♀ fuscæ, seta in utroque sexu 3-articulata valida, apice subulata, paullo ante medium geniculata. Epistoma subperpendiculare. Palpi nigricantes. Scutellum in ♂ testaceum, in ♀ ferrugineo-marginatum. Abdomen breviter ovatum. Alæ cinereo-hyalinæ, basi sordide albescentes. Costa inermis. Nervus longitud. 3:tius basi setulis 4—5, 4:tus subobtuse angulatim flexus. Nervi transversi recti, at apicalis in ♀ levissime incurvus. Squamæ albæ. Ungues basi & pulvilli toti albidi, in ♂ elongati, in ♀ breviores.

B. Epistoma declivum, vibrissatum. Alarum nervi longitudinales 1 & 3 basi setosi. Corpus haud latum.

6. *G. ruficeps:* nigra, subnitida, thoracis vittis abdominisque fasciis albo-micantibus; capite rufescente, albo-micante, macula frontali nigro-picea; antennis basi ferrugineis; alis cinereis, nervis ferrugineo-subfuscis, longitudinali 4:to acutangulatim flexo, infra angulum subcontinuato. ♂♀. (Long. $4\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 5. 8. — 6. 373. ♀. — *Tachina* Fall. Musc. 4. 3. ♀. *Illigera* Meig. 7. 247. 1. t. 71. f. 16.

Hab. in Sueciæ mediæ floribus Heraclei, Angelicæ &c., 6 Jun.— 30 Jul., minus frequens; scilicet in Smolandia, D. *Boheman:* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wad-

stena (in littore arenoso lacus Wettern), & Godegård; ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia rarius.

♂♀. *G. capitata* non brevior, sed angustior. Caput minus buccatum, rufescens, præsertim epistomate declivo margaritaceo. Vibrissæ spuriæ vix ad medium epistomatis assurgentes. Antennæ elongatæ, validæ, nigræ, articulis 2:do ferrugineo, 1:mo piceo. Articulus ultimus 2:do in ♂ triplo, in ♀ duplo longior. Seta crassa, in ♂ articulis 2 & 3 subæque longis, in ♀ articulo ultimo 2:do paullo longiore. Palpi flavi. Thoracis vittæ 4 albicantes. Scutellum summo apice puncto rufo. Abdominis segmenta 2, 3, 4 basi fascia lata albida. Alarum nervi ut in *G. capitata* directi, sed longitudinales: 1 & 3 basi setulosi; 4:tus infra angulum breviter continuatus; ut & nervus transv. ordinarius longius pone medium areæ insertus. Squamæ albæ. Pedes nigri.

7. *G. angustata:* nigra, nitida, thoracis vittis abdominisque fasciis obsoletis, albo-glaucis; capite albo, fronte nigro-micante, vitta ferruginea; antennis basi fuscis; humeris rufis; alis cinereis, nervo long. 4:to subacutangulatim flexo, infra angulum non continuato. ♂♀. (Long. 2¼ fere 3 lin.).

Hab. in locis aridis & campis arenosis, per Sueciam meridionalem, 4—30 Jul., rarius; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra & Lomma (prope littus maris) a D. *Dahlbom* & me aliquoties capta.

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed sæpe duplo l. triplo minor, & fronte subnigro-micante, vitta tota ferruginea, nec nigro-maculata, antennis basi piceis, nec ferrugineis, vibrissis perspicuioribus ad medium epistomatis adscendentibus, palpis flavis, apice obscuris, nec totis flavis, thoracis abdominisque pictura alba magis obsoleta, humeris

testaceis, nec nigris, alarum nervis minus infuscatis, longitudinali 4:to infra angulum non continuato, ut & area sæpissime occlusa, vere distincta. Caput in juvenilibus fulvorufescens. Setæ frontales 3—4 infra antennarum basin descendunt, sed minus validæ, quam in præcedente. Abdomen interdum piceum (forte in nuper exclusis), quo *G. piceæ* Macq. appropinquari videtur.

---

## 110. TRIXA Meig.

*Corpus* magnum aut medium, ovatum, tachinæforme, pubescens, setosum, opacum. Antennæ incumbentes, brevissimæ, articulis 2 & 3 subæquis, horum ultimo rotundato, ovato, seta biarticulata, recurva, brevissime puberula, basi incrassata. Frons modice prominens, vitta striata. Oculi parvi, nudi, brunnei. Epistoma subperpendiculare, infra oculos longe descendens, nudum, carinatum, vibrissis inferne spuriis. Mystaces nulli. Os non reflexum. Palpi magni, clavati. Mentum pilosum. Abdomen plerumque late ovatum, segmentis subæque longis, anticis 2 in medio, reliquis 2 undique, setosis. Alæ divaricatæ. Nervi transversi: ordinarius flexus, paullo pone medium areæ apertæ insertus, apicalis subincurvus, mox ante apicem alæ excurrit. Nervi longitudinales: 3:tius basi setulis 5—9, 4:tus sabacutangulatim flexus, breviter, sed determinate infra angulum descendens. Spinula costæ nulla. Squamæ magnæ albæ. Halteres flavi. *Color* nigricans. *Motu* velocissima: aut volatu continuo juxta terram se movens, aut celerrime in aëre librans. *Habitatio* in fruticibus & graminosis, libenter locis sylvaticis & montosis, per Sueciam borealem. *Larvæ* forte parasitæ, vix phytophagæ? *Differentia sexus; mas:* oculis sat approximatis, serie setarum utrinque simplici, unguibus pulvillisque longis; *femina:* oculis sat late

remotis, serie setarum postice utrinque duplici, unguibus pulvillisque mediocribus.

1. *T. limbata:* nigra, capite thoracisque vittis cinereis; antennis, palpis pedibusque ferrugineis; abdomine aut limbo inæqualiter rufo (♂), aut fasciis cinereis (♀); femoribus anticis superne vitta nigra; alarum nervis infuscatis. ♂♀. (Long. 3—4½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 630. 3. ♂. — *Tr. lapponica* Zett. Ins. Lapp. 629. 1. ♀, est forte hujus femina.

Hab. in silvis, montosis, etiam ad paludes Sueciæ borealis, 22 Jun.—30 Jul., passim; scilicet in Lapponia Umensi ad Asele, Stensele & Badstuträsk; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*; e Lapponia in provincias adjacentes descendit, & in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen plura specimina invenimus D. *Dahlbom* & ipse; e Dalecarlia per D. *Schönherr* etiam obtinui. (E Finlandia a D. *Sahlberg* communicata).

♂♀. *Tachinæ* majori similis, per antennas breves, setam recurvam, mystaces deficientes, epistoma carinatum & abdomen latum, facile dignota. Caput cinereo-argenteum. Vitta frontalis nigra, modice lata, in ♂ posterius angustissima. Oculi in ♂ subcohærentes, in ♀ late distantes. Antennæ foveolis, fere ut in *Oestro*, insertæ. Thorax cinereus, lineis 4 nigris, antice perspicuis. Scutellum cinerascens, apice sæpe rufum. Abdomen nigrum, segmento ultimo cinereo; in ♂ limbo laterali & postico inæqualiter ferrugineo, vestigio fasciæ cinereæ in segmentorum basi; in ♀ segmentis 2 & 3 fascia basali cinerea, in medio postice emarginata. Alæ cinereæ, nervis, præsertim transverso medio, subinfuscatis; basi fusco-ferrugineæ. Nervus transv. ordinarius inflexus, longitudinalis 4:tus infra angulum determinate descendens. Pedes ferruginei, femoribus anticis

aut anterioribus superne vitta, tarsorumque omnium annulis, nigris. Affinis videtur *Tr. dorsali* Meig.

2. *T. obscura:* nigra, capite, thoracis vittis abdominisque fasciis subintegris, cinereis; antennis, palpis pedibusque ferrugineis; alarum nervis non infuscatis. ♀. (Long. 4 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 630. 2. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad Barrsele 1 Jul. 1832 inventa.

♀. Simillima feminæ prioris, sed differt præcipue alarum nervis non infuscatis, basi flavis, nec fuscis, longitudinalibus: 3:tio basi setis pluribus (9—10), nec 6—8, 4:to infra angulam brevius continuato, ut & pedibus totis ferrugineis, nec femoribus anticis superne nigro-vittatis. Caput flavo-griseum.

3. *T. œstroidea:* "nigra; abdomine cinereo-micante, palpis antennisque rufis." ♂.

Macq. Buff. 2. 97. 4. ♂. Meig, Dipl. 7. 188. 7. ♂.

Hab. in Ostrogothia rarissime; in floribus Pastinacæ & altera vice in Pteride ad Gusum deprehensa a D. Prof. *Wahlberg*, ut mihi per litteras nuper annuntiavit; a me nec inventa, nec visa.

♂. "Nigra. Palpi flavi, crassi, exserti, apice rotundato, albido. Frons flavo-grisea, vitta nigra. Antennæ flavæ. Thorax pilis & vittis griseis. Abdomen cinereo-micans, lateribus interdum rufescens. Tibiæ & tarsi obscure flava. Squamæ albæ. Alæ cinerascentes, nervis transversis: medio nigro-maculato, ordinario brunneo-marginato." Macq. & Meig. l. c. — Long. circiter 4 lin.

# 111. MILTOGRAMMA Meig.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, subcylindricum, pubescens, parce setosum, opacum. Antennæ fronti prominenti insertæ, longitudine dimidii epistomatis, incumbentes, articulo ultimo 2:do duplo longiore, lineari, compresso, seta brevi, tri- (an bi-?) articulata, nuda aut brevissime puberula. Caput subvesiculosum. Frons porrecta, in utroque sexu modice lata, sæpe vitta lata, setis utrinque haud fortibus, vix infra antennas descendentibus. Epistoma perpendiculare. Os non reflexum, setulosum, sed setis mystacinis & vibrissis subnullis aut saltem non validissimis. Oculi nudi, brunnei. Abdomen subconicum, subnudum, præter setulas paucas in margine segmentorum. Segmentum 1:mum reliquis vix brevius. Alæ longitudine vix abdominis. Nervi longitudinales: 4:tus angulatim flexus, paullo ante apicem alæ excurrens; 3:tius basi setulis paucis l. nullis. Spinula costæ nulla. Nervus transv. ordinarius paullo pone medium areæ apertæ insertus. Squamæ magnæ. Pedum ungues & pulvilli in utroque sexu parvi. *Color* (in nostris) grisescens. *Motu* celerrima, inquieta. *Habitatio* in floribus & graminosis, sæpe in arenosis, ubi, testante D. *Macquart*, larvæ parasitæ in larvis aliorum insectorum degunt. *Discrimen sexus*; *mas:* ano subobtuso, serie setarum frontalium tenuium subsimplici; *femina:* ano subacuto, serie setarum frontalium nonnihil validiarum postice subduplici. — Typus generis: *M. œstracea.*

A.) Seta antennarum nuda. Abdomen undique pubescens, setulis tantum in margine segmentorum posticorum tenuibus.

*) Palpi flavi.

1. *M. œstracea:* cinerea, thoracis lineis 4 obscuris, abdominis maculis obsoletis olivaceo-micantibus; capite flavo-albo; vitta frontali latissima; antennis fuscis,

basi rufis; tibiis tarsisque nigris; alarum nervo longit. 4:to angulatim flexo. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 229. 4. Macq. Buff. 2. 153. 3. Meig. Dipt. 7. 233. 4. *Tachina* Fall. Muscid. 10. 17. ♂♀.

Hab. in graminosis, sed præsertim in floribus Chrysanthemi leucanthemi, per Sueciam meridionalem & mediam, 18 Jun.—16 Aug., sat vulgaris; scilicet in Scania ubique copiose; in Smolandia, Ostro- & Westrogothia, frequens; in Ölandia passim; in Gottlandia rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. (*Mas* sub nomine *M. marginata* Bouch. & *femina* sub nomine *M. tessellata* a D. *Zeller* e Glogavia mihi communicati).

♂♀. Caput albo-corneum, vitta frontali latissima, flava, setis tenuibus, non infra antenuarum radicem descendentibus, utrinque ornata. Antennarum seta brevis, recta, ad medium incrassata. Setulæ oris breves tenues, nigræ. Thoracis lineolæ 4 fuscæ, quarum laterales abruptæ, parum perspicuæ. Abdomen cinereum, fusco-marmoratum seu maculis certo situ olivaceo-micantibus, irregulariter subtrifariam dispositis. Alæ hyalinæ, basi albescentes. Nervi transversi: medius medio segmenti costæ 2:di (cfr. *Nephrocerus* gen. 100 in nota) brevissime oppositus; ordinarius subrectus; apicalis incurvus. Nervi longitudinales: 3:tius non setulosus; 4:tus subacute angulatim flexus, infra angulum apparenter & breviter subcontinuatus. Squamæ albidæ. Halteres flavi. Pedes nigri, pilosi femoribus cinerascentibus. Pulvilli in utroque sexu parvi, æpuales. Tarsi antici in ♂ articulo 4:to apice setis 2 elongatis incurvis munito. — Var. ♀ abdomine albo-cinereo, maculis olivaceis obsoletis. An *M. tessellata* Meig.? In Ölandia & Scania rar.

2. *M. Germari:* grisea, thoracis lineis subquinis obscuris; abdominis maculis distinctis fusco-brunneis, in-

cisuris albidis; capite albo-flavo, vitta frontali latissima; antennis fuscis, basi rufis; tibiis tarsisque nigris. ♂. (Long. fere 2½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 229. 5. & 7. 238. 5. Macq. Buff. 2. 151. 4.

Hab. in Suecia meridionali rarius; in Scania ad Sandby & Abusa prope Lund individua 4 inveni. (Sub nomine *M. Germari* e Glogavia a D. *Zeller* specimina quoque obtinui).

♂. Simillima priori, a qua tamen facile dignoscitur thoracis lineis subquinis, minus determinatis, abdomine maculis olivaceo-brunneis obscurioribus, distinctioribus variegato, incisuris inæqualiter griseo-albidis, ad latera rufescenti albis, ut & tarsis nudis. Reliqua ut in præcedente.

3. *M. punctata:* cinerea, thoracis lineis subquinis obscuris; abdomine flavescenti cinereo, trifariam nigro-maculato; capite albo-flavo, vitta frontali lata; antennis nigris, basi fuscis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Meig. Dipt. 4. 228. 3. & 7. 238. 3. Macq. Buff. 2. 153. 2. *Tach. œstracea* Fall. Muscid. 10. 17. var.

Hab. in Suecia meridionali & media, mense Jul. passim; scilicet in Scania rarius; in Gottlandia ad Stenkyrka 27 Jul. 1811 utrumque sexum paullo frequentius legi.

♂♀. Similis quoque præcedenti; abdominis vero maculis non cohærentibus, sed discretis, puncta majuscula in margine apicali segmentorum efficientibus, triplici serie dispositis, incisuris haud albidis, vitta frontali fulva lata quidem, sed non latissima, ut & tarsis anticis in ♂ articulo penultimo subtus piloso & apice setis 2 longioribus incurvis munito, mox

dignoscitur. Pubescentia sub ore ut in prioribus pallida, brevissima.

4. *M. arcuata:* cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque maculis, fuscis; capite flavo-albo, vitta frontali latissima; antennis fuscis, basi rufis; tibiis tarsisque nigris; alarum nervo longitud. 4:to arcuatim flexo. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel deprehensa.

♀. *M. œstraceæ* ut ovum ovo similis, & differt tantum nervo longitud. 4:to mox pone nervum transv. ordinarium curvatim seu arcuatim, nec angulatim, flexo.

5. *M. imberbis:* cinerea, thoracis lineolis anticis subquatuor, abdominisque maculis trifariam positis, obscure brunneis; capite cano; vitta frontali angustata, antennis pedibusque nigris; epistomate argenteo-micante. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Tachina imberbis* Zett. Ins. Lapp. 636. 9. ♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; specimen typicum e Torneå a D. *Deutsch* communicatum; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Gottlandia mense Julio, ipse.

♀. Parva, ovata, similis *M. punctatæ*, sed minor, & capite argenteo-micante, nec flavo-albo, fronte angustiore, vitta angustata, nigra, nec lata flava, ut & seta utrinque mystacina, pubescentiaque sub ore, evidentioribus nigris, distincta. Thoracis lineolæ anticæ 4 obscuræ, & vitta media longior brunnea. Abdominis ovati maculæ subtrigonæ, triplici serie dispositæ, nigro-brunneæ. Alæ hyalinæ, nervis transversis: ordinario recto, apicali valde incurvo, non procul ab apice excurrente. Nervus long. 4:tus infra angulum continuatus. Squamæ albæ. — Varietas vitta frontali cinerea, nec nigra,

& nervo transv. ordinario levissime flexo, nec exacte recto; forte hujus; in Scania ad Fogelsång d. 7 Jul. semel lecta.

6. *M. fasciolella:* cinerea, thoracis vitta abdominisque cani fasciis brunneis; capite albo-flavo, fronte modice lata, cana, vitta angustata concolore; antennis pedibusque fusco-nigris. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad villam Esperöd in parœc. Mellby specimen descriptum inveni.

♂. Minuta, subcylindrica. Similis *M. punctatæ*, sed multaties minor, fronte angustiore, cana, vitta angusta parum flavida, &c., dignota. Seta utrinque mystacina & setulæ oris, parva, nigra. Thorax cinereus, antice obsolete fusco-lineatus, sed vitta media læte brunnea perspicuiori. Abdomen brunneum, incisuris albis, vel si mavis, album, segmento 1:mo toto, reliquisque fascia in margine apicali lata, sinuata, certo situ maculas 3 formante. Nervi alarum & squamæ ut in priori. Pedes nigricantes, tarsis simplicibus, nudis.

**) Palpi nigri.

a.) Antennæ breviusculæ, seta basi incrassata.

7. *M. conica:* læte cinerea, abdomine trifariam nigro-maculato; epistomate argenteo; antennis pedibusque nigris. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 232. 13. & 7. 233. 16. Macq. Buff. 2. 155. 12. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 630. 1. ♂♀. *Tachina* Fall. Musc. 9. 11. ♂♀.

Hab. in terra arida & arenosa, libenter locis soli expositis, ubi tranquilla sæpe sedet, interdum in floribus obvia, per Scandinaviam, 10 Jun.—2 Sept., vulgaris; in copula deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia, Ostro-

gothia, ubique frequens; in Gottlandia ad Ruthe &c.; in Uplandia passim; deinde non nisi raro occurrit. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa. Ad Jungfern-Heyde & Moabile prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* in pluribus exemplis capta. E Glogavia a D. *Zeller* sub nomine: *M. conica*, quoque communicata.

♂♀. Cylindrica, parva, interdum valde minuta, magnitudine varians; dilute cinerea. Caput flavo-argenteum, fronte subangustata, grisea, vitta modice lata, concolore; interdum totum argenteum. Antennæ parvæ, nigricantes, seta basi incrassata. Epistoma perpendiculare, nudum, seta mystacina & setulis oris, minime validis, nigris. Thorax antice vestigio linearum 3 fuscarum. Abdomen conicum, griseo-cinereum, maculis trigonis serie triplici dispositis, lateralibus apice intus subobliquo. Nervi ut in *M. œstracea* directi. Squamæ magnæ, niveæ. Pedes nigri, tarsis simplicibus, nudis, pulvillis parvis, albis. — Variat toto corpore cano l. glaucescente, pictura obscura.

b.) Antennæ elongatæ, seta ultra medium incrassata. Frons non lata.

8. *M. cylindrica:* obscure cinerea, capite argenteo-micante; antennis mediocribus, vitta frontali, thoracis lineis 4 anticis, abdominis ovalis linea dorsali & maculis trigonis, pedibusque, nigris. ♂♀. (Long. 1½—2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 375. 234. ♂♀. & 7. 233. 24. Zett. Ins. Lapp. 635. 8. ♂♀. *Tachina* Fall. Musc. 8. 13. ♂♀. *Lydella* Macq. Buff. 2. 138. 20. ♂♀. An quoque *Tach. cincta* Meig. Dipt. 4. 297. 102? ♀.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis & mediæ Umbellatis, terræ sæpe insidens, 4 Jul.—15 Aug. mihi obvia;

scilicet in Scania ad Kjeflinge (D. *Dahlbom*), Abusa, utrumque Esperöd, &c., sat frequens; in Ölandia, D. *B. Fries*; in Gottlandia ad Westö, Öja &c.; in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Norvegia ad Näs Værdaliæ, rar. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* 1838. E Glogavia sub nomine: "*Miltogr. arvorum* Bouch." a D. *Zeller* 1842 communicata).

♂♀. Ovata, convexa. Frons modice prominens, subangustata, vitta modice lata. Antennæ epistomate paullo breviores, angustatæ, lineares, articulo ultimo 2:do triplo & ultra longiori. Epistoma subdeclivum, ad latera & in carinis omnium tenuissime & parce setulosum, vibrissis tamen nullis. Seta mystacina & setulæ sub ore, parva, nigra. Abdomen ellipticum, convexum, cinereum, segmentis: 1:mo toto, reliquisque vitta media dorsali & utrinque serie macularum trigonarum (interdum cum vitta basi confluentium), nigris, nitidis. Alæ hyalinæ, nervis ut in priori directis, sed transverso apicali fere in apice alæ, nec procul ab apice, excurrente. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes ut in priori.

9. *M. convexula*: glauca, capite albescente; antennis mediocribus, vitta frontali pedibusque nigris; thoracis lineis 4, scutelli basi abdominisque fasciis latis, sinuatis, fusco-brunneis. ♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 638. 21. ♀.

Hab. in Lapponia Suecica meridionali rarissime; ad Lycksele Lapponiæ Umensis semel lecta.

♀. Corpore brevi, abdomine rotundato, convexo, pictura olivaceo-micante, a reliquis affinibus dignota. Caput ut in priori, sed epistoma omnino nudum, seta tantum mystacina & setulis sub ore paucissimis; oculi etiam minores. Lineæ thoracis anticæ 4 brunneæ. Abdomen glaucum, segmento

1:mo toto, 2 & 3 margine apicali fascia lata antice sinuata (certo situ maculas 3 trigonas basi confluentes formante), fuscis seu olivaceis; totum breviter & depressim pubescens, minime setosum, nec nisi postice tenuiter pilosulum. Alæ ut in præcedente, sed nervus transversus ordinarius forte propius ad medium areæ insertus, & levissime flexus, nec exacte rectus; longitudinalis 4:tus vix apparenter continuatus infra angulum. Squamæ albidæ. Pedes nigri. Tarsi simplices.

10. *M. rotundiventris:* cinereo-grisea, capite albicante; antennis mediocribus, vitta frontali pedibusque nigris; thoracis vittis 3, abdominisque rotundati maculis novem, fuscis. ♀. (Long. circiter 2 lin.).

Hab. in Scania rarissime; detecta a Cel. D. Prof. *Boheman*, qui specimen descriptum 1831 mutuo misit; a me numquam deprehensa.

♀. Ovata. Frons convexo-prominula, cinereo albida, nitida, linea media angusta, nigra. Oculi non late distantes. Antennæ epistomate fere duplo breviores, apice subacutæ, articulo ultimo reliquis triplo longiore; totæ nigricantes, seta mediocri. Setæ mystacinæ vix ullæ, sed setæ oris plures, distinctæ. Palpi nigri. Thorax cinereus, vittis 3 sat latis, obsoletis, fuscis. Abdomen ovato-rotundatum, subdepressum, griseum, segmentorum 2, 3 & 4 margine apicali lineola utrinque abbreviata, & maculis in singulo tribus, fuscis. Alæ hyalinæ. Squamæ albidæ. Pedes nigricantes.

11. *M. minuta:* cinerea, epistomate argenteo utrinque setuloso; antennis magnis, abdominis fasciis pedibusque nigris; tarsis fuscis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$; ♀ $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Tachina* Fall. Muscid. 9. 15. ♂♀. vera & originaria. — Meig. Dipt. 4. 407. 292. (secund. Fall. transscripta).

Hab. in Suecia meridionali & media, 16 Jun.—26 Jul., rarius; scilicet in Scania ad Esperöd & Beckaskog; in Ostrogothia ad Wadstena rarissime; in Gottlandia ad Kyllej & in insula Furillen 21 Jul. 1811 paullo frequentius invenimus D. *Dahlbom* & ipse.

♂♀. ♂ subcylindricus, ♀ magis ovata. Per antennas magnas, faciem utrinque serie unica pilosulam & tarsos fuscos hæc species a ceteris affinibus mox dignota. Frons minus prominens, cana, in ♂ subangustata, vitta angusta, nigra; in ♀ latior, vitta lata, grisea. Antennæ longitudine epistomatis brevis, magnæ, validæ, nigræ, articulo ultimo reliquis quadruplo & ultra longiore, seta nuda ultra medium incrassata. Epistoma subperpendiculare, in carinis lateralibus subcontinue setulosum, setulis vibrissas spurias mentientibus. Seta mystacina & setulæ oris nigræ adsunt. Palpi tenues, nigri. Proboscidis labia ferruginea. Oculi magni, nudi. Thorax & scutellum cinerea, ille antice certo situ rudimento linearum 4 obscurarum. Abdomen nigrum, nitidum, segmentis 2, 3 & 4 basi fascia angusta, sinuata, subinterrupta, alba. Fascia hæc in segmento ultimo latior, segmentum fere totum saltem in ♀ occupans. Abdominis pubescentia præterea ut in *M. convexula*. Alarum nervi transversi: ordinarius rectus, in medio areæ anguste apertæ insertus, apicalis modice incurvus in apice alæ excurrens; nervus long. 4:tus apparenter sub angulo continuatus. De cetero alæ cum nervis ut in *M. convexula*. Squamæ albæ. Pedes nigri l. nigro-picei, tarsis obscure albidis, apice obscuris, pulvillis parvis, albis.

*Obs.* *Tach. (Harrisia) pagana* Meig. alia est species, oculis hirtis &c. dignota; cfr. nota sub *T. minuta* Meig. l. c. p. 408. — Nec *Lydella minuta* Macq. Buff. 2. 138. 22. ad nostram referenda. Cum *T. sannio* n:o 9, & quibusdam aliis *Tachinis* non confundendæ sunt nostræ species *Miltogrammæ.* Ad antennarum setam rectam, breviorem, & ar-

maturam corporis partiumque leviorem probe attendendum, ut *Miltogramman* a *Tachina* distinguas.

B.) Seta antennarum breviter pubescens, sæpe microscopice tantum puberula. Antennæ breviusculæ.

†. Palpi nigri.

12. *M. griseola*; cinerea, capite argenteo, vitta frontali lata, atra; antennis, thoracis lineis 4 anticis, abdominis unica obsoleta, pedibusque, nigricantibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Tachina* Fall. Musc. 10. 16. ♂♀. typica. — Meig. Dipt. 4. 317. 188. ♂. & Ejusd. 7. 191. 58.

Hab. in Scania rarissime; pauca tantum specimina hactenus ibi lecta.

♂♀. Oblonga subcylindrica, cinerea aut grisea, opaca. Frons distincte prominens, in ♂ paullo angustior quam in ♀, serie setarum in utroque sexu postice subduplici, infra antennarum basin non descendente. Antennæ epistomate brevi duplo breviores, articulo ultimo angustato, 2:do duplo longiore, seta vix ad medium incrassata, apice microscopice puberula. Epistoma subdeclivum, ad latera (inter carinas & oculos) undique tenuissime nigro-pilosulum. Vibrissæ nullæ, sed seta mystacina & setulæ oris nigræ adsunt. Palpi filiformes & proboscis, nigra. Oculi mediocres. Thorax antice lineis 4 fuscis obsoletis, mediis tenuioribus. Abdomen subconicum, griseum, lineola dorsali fusca obsoleta. Segmenta subæque longa: 1 & 2 inermia, 3 & 4 margine apicali setulosa. Alæ cinereæ, nervis ut in *M. œstracea* n:o 1 directis. Spinula costæ nulla. Squamæ albidæ. Pedes nigri, femoribus leviter cinerascentibus, pulvillis mediocribus, albis.

13. *M. oculata:* glauca, epistomate argenteo; fronte parum prominente, angusta (♂), vitta angusta, brunnea; antennis, thoracis vittis 4, abdominis fasciis latis sinuatis, pedibusque, nigricantibus. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; ad Garde 29. Jun. 1819 exemplum descriptum legi.

♂. Oblongo-ovata. Frons convexa, vix prominula, valde angusta, argenteo-micante, vitta angusta, brunnea, serie setarum tenuium utrinque vix ad basin antennarum extensa. Antennæ epistomate paullo breviores, articulo ultimo 2:do triplo longiori, angusto, seta subelongata, capillari, basi incrassata, apice microscopice puberula. Epistoma haud prominulum, nec infra oculos descendens, facie triangulari superne angusta, versus os latiori, tota argentea, nuda, carinis inferne tenuissime pilosulis, lateribus (inter carinas & oculos) valde angustis. Seta mystacina & setulæ sub ore, tenues. Oculi magni, in fronte anguste & æque remoti. Thoracis vittæ 3 latiusculæ, brunnescentes. Abdomen subconicum, convexum, nigrum, nitidum, segmentis: 2, 3, 4 basi inæqualiter anguste albidis; seu alio situ albidum, segmentis: 1:mo toto, reliquisque margine apicali late sinuatim nigris, nigredine certo situ maculas magnas trigonas basi cohærentes formante; totum depressim pubescens, sed non setulosum. Segmenta æque longa. Alæ hyalinæ, nervis ut in priori directis. Squamæ albæ. Pedes nigri, pulvillis parvis, albis.

††. Palpi filiformes, flavi. Alarum nervi transversi: ordinarius inflexus in medio areæ occlusæ insertus; apicalis incurvus, ante apicem alæ excurrens. Spinula costæ mediocris.

14. *M. hilarella:* cinerea l. cana, abdomine trifariam brunneo-maculato; antennis obscuris, basi, tibiisque posticis, flavidis; tarsis nigris. ♀. (Long. 1½—2 lin.).

Hab. in Scania rarissime; in frutice horti ad Esperöd in parœcia Tranås d. 13 Jul. & altera vice ad Sandhammar 11 Aug. duo exempla inveni.

♀. Similis *M. sticticæ* Meig. Dipt. 6. 367. 17., sed fronte magis prominente, abdominis pictura & pedum colore distincta. Oblonga, cinerea, opaca. Frons distincte porrecta, lata, cana, vitta media modice lata, rufo-straminea. Antennæ ut in priori constructæ, nigro-fuscæ, basi rufo-flavæ, seta non ad medium tenuiter incrassata, in medio pubescente. Epistoma declivum, argenteum, ad os rufescens, lateribus tenuissime pilosulum. Seta mystacina & setulæ oris, nigræ, Thorax subimmaculatus, & vix nisi linea media dilute brunnea ornatus. Abdomen conicum, cinereum l. canum, maculis subtrigonis triplici serie dispositis, nigro-brunneis; segmenta æque longa: 1:mum inerme, 2 & 3 in medio apicis setis 2, 4:tum apice setis circiter 8, armata. Alæ cinereæ, nervis transversis: ordinario leviter flexo, longissime a margine alæ remoto; apicali incurvo longe ante apicem alæ in costa excurrente. Nervi longitudinales: 3:tius basi setulis 2; 4:tus infra angulum continuatus; 5:tus fere ad marginem extensus. Area occlusa, brevissime petiolata. Segmenta costæ: 1:mum elongatum, spinula distincta; 2:dum brevissimum; 3 & 4 mediocriter & æque longa. Squamæ albæ. Pedes nigricantes, geniculis testaceis, tibiis, obscure fuscis. — Affinis etiam videtur *M. 6-punctatæ* Meig. Dipt. 7. 234. 20.

15. *M. siphonina:* cinerea, abdominis punctis minutis brunneis; antennis obscuris, basi, tibiisque, testaceis; tarsis nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali, locis aridis, in hortis, campis & pascuis, 21 Jun.—Jul.—16 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund (D. *Dahlbom*), Abusa, Esperöd (in Quasa), Östra Torp, Trelleborg &c., haud infrequenter.

♂♀. Simillima priori, sed fronte minus prominente, colore corporis magis flavido-cinereo, nec cano, abdominis punctis minutis fuscis, ubi in præcedente maculis trigonis majoribus, alarum hyalinarum nervo transverso ordinario magis oblique flexo, ut & tibiis plerumque omnibus testaceis, certe distincta. — Caput albo-micans, fronte flavida. Epistoma subperpendiculare, nudum. Thorax griseus, immaculatus. Abdominis incisuræ tenuissime albidæ, pygidio in ♂ atro, nitido. Squamæ sub alis albidæ. Femora basi sæpe rufescentia. Tarsi simplices, pulvillis in utroque sexu parvis. Reliqua ut in priori. — Variat abdominis basi lateribus flava; variat etiam segmentorum punctis fuscis obsoletis l. nullis. — Habitu similis *Siphonæ geniculatæ*, sed magnitudine minori, instrumentis cibariis aliis, abunde dignota. — Huc pertinet *M. murina*, de qua D. *Dahlbom* in suo opere eximio: *Hymenopt. Europ.* 1843 p. 14 narrat, eam in larva *Noctuæ chrysitis* ova deponere.

16. *M. heteroneura:* cinerea, abdominis punctis brunneis; antennis pedibusque flavo-rufis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 367. 18. & Ejusdem 7. 233. 18.

Hab. in Scania rarissime; ad Lund semel inventa. (Sub nomine "*M. heteroneura* M." etiam e Glogavia individuum unicum a D. *Zeller* accepi).

♂♀. Similis iterum priori, sed magnitudine paullo minore, punctis abdominis fuscis pluribus & majoribus, antennis fere totis, pedibusque, rufis, ut & alarum nervo transv. ordinario ad basin alæ adhuc magis retracto, vere distincta. Cinereo-cana. Frons minus prominens. Antennæ rufæ, articulo ultimo apice obscuro. Abdomen basi lateribus rufescens, apice nigrum, segmentis basi anguste albescentibus. Alæ hyalinæ. Nervi ut in priore directi, sed tranversi: ordinarius magis inflexus, adhuc longius a margine alæ re-

motus, & medio approximatus; apicalis quoque longior, valde obliquus in costam recta ductus; hinc nervi longitudinalis 4:ti angulus omnium obtusissimus. Pedes flavo-rufi, tarsis nigricantibus.

---

*Obs.* Heic inserendum est genus:

## LOPHOSIA Meig.

*Corpus* mediæ magnitudinis, subcylindricum, nitidum, pubescens. Antennæ liberæ, deflexæ, longitudine epistomatis, articulis basalibus parvis, ultimo maximo, compresso, trigono, basi seta dorsali nuda, 3-articulata, articulo 2:do 1:mo duplo longiore. Frons subprominens, subangusta, serie setarum non infra antennarum radicem continuata. Epistoma subdeclivum, nudum. Vibrissæ nullæ. Seta mystacina utrinque tenuis. Palpi exserti, clavati. Oculi oblongi, nudi. Thorax ovatus, setosus. Abdomen elongatum, cylindricum, segmentis æque longis, margine apicali setosis. Alæ divaricatæ. Nervi: transversus ordinarius obliquus, rectus, paullo pone medium areæ apertæ insertus; longitudinalis 4:tus angulatim flexus paullo ante apicem alæ excurrens. Spinula costæ nulla. Squamæ magnæ, convexæ. *Color* niger. *Motus* . . . . . *Habitatio* . . . . . *Differentia sexus* . . . . .

1. *L. fasciata:* nigra, nitida, capite albo; vitta frontali nigra; thoracis lateribus schistaceis; abdominis incisuris 2 mediis albis. ♀? (Long. $3\frac{1}{2}$ lin. mens. Suec.).

Meig. Dipt. 4. 216. 1. t. 40. f. 4. & Meig. Dipt. 7. 210. 1. Macq. Buff. 2. 182. 1.

Hab. in Dania rarissime; ad Hafniam a D. *C. Drewsen* semel inventa, teste D. *Staeger*; in reliqua Scandinavia hactenus non deprehensa, quantum noverim.

♀? Per antennarum articulum 3:tium maximum, trigonum, 2:do quadruplo longiorem, & abdomen elongatum cylindricum, ab affinibus generibus mox dignoscitur. Caput album. Palpi nigri, apice rufi. Seta antennarum fere ad medium incrassata. Alæ & squamæ hyalinæ. Halteres nigri. Tibiæ posteriores ferrugineæ. Reliqua ut in diagnosi.

---

## 112. PHANIA Meig.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, subsetosum. Antennæ epistomate paullo breviores, (in nostris) subincumbentes, articulo ultimo 2:do duplo longiore, plerumque angusto, compresso, obtuso, basi seta dorsali elongata, biarticulata, subnuda, basi incrassata. Frons non prominens, angustissima (♂), aut modice angusta (♀), serie setarum tenuium infra antennarum basin haud descendente. Epistoma perpendiculare, nudum, vibrissis nullis. Os subreflexum, mystacinum. Palpi subclavati. Oculi magni, nudi, brunnei. Thorax & scutellum setosa, opaca. Abdomen ellipticum, nitidum, segmentis æque longis, 1:mo inermi, reliquis margine apicali parce setosis. Cauda longe inflexa. Alæ hyalinæ. Nervi: transversus ordinarius (in nostris) subperpendicularis, rectus, in medio areæ apertæ insertus; longitudinalis 4:tus arcuatim flexus in summo apice alæ excurrens; longit. 3:tius inermis. Spinula costæ nulla. Segmenta costæ: 1:mum elongatum; 2:dum brevissimum; 3:tium longissimum, 4:tum 1:mo duplo brevius. Squamæ magnæ, albæ. Pedum pulvilli mediocres, albi. *Color* (in nostris) niger. Pictura nulla; at in speciebus exoticis abdomen plerumque ferrugineum, subdiaphanum; unde nomen generis. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus. *Larvæ* in Coleopterorum abdomine inventæ. *Differentia sexus; mas:* oculis subcohærentibus aut anguste remotis, serie seterum frontalium utrinque simplici, cauda crassa, minus longe inflexa, pulvillis me-

diocribus; *femina:* oculis modice remotis, serie setarum frontalium duplici, cauda longissime inflexa, cylindrica, pulvillis minutis.

1. *Ph. thoracica:* atra, nitida; thorace cinereo, opaco; capite albido. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 4. 220. 4. ♂♀. Macq. Buff. 2. 184. 4. Zett. Ins Lapp. 629. 1. ♀. *Uromyia* Meig. Dipt. 7. 202. 1.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, per Scandinaviam, 14 Jul.—1 Aug.—2 Sept., rarius; scilicet in Scania ad Räften prope Lund, Cel. D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Martebo 31 Jul. 1841; in Lapponia meridionali Umensi, nempe ad Wilhelmina & in monte subalpino Stöttingsfjellet; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger.*

♂♀. Caput argenteum, levissime flavido-micans. Frons in ♂ modice angusta, in ♀ paullo latior, vitta in utroque sexu modice lata, atra. Antennæ nigræ, in ♀ nonnihil latiores. Palpi nigri. Thorax griseus, antice obsolete fusco-4-lineatus, lineis mediis tenuissimis. Scutellum nigricans. Abdominis segmentum 1:mum 2:do fere longius, in margine apicali bisetosum. Reliqua segmenta apice parce setosa. Cauda in ♂ vix ultra segmentum 3:tium, in ♀ fere ad basin ventris inflexa. Alæ levissime fumato-hyalinæ, basi albicantes. Nervus long. 4:tus rotundato-arcuatus. Halteres sordide albi, fuscescentes.

2. *Ph. curvicauda:* atra, nitida; thorace nigro, opaco; capite argenteo. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 221. 5. ♂♀. t. 40. f. 10. ♂. Macq. Buff. 2. 184. 5. *Tachina* Fall. Musc. 17. 33. ♂♀. *Uromyia* Meig. Dipt. 7. 202. 2. t. 69. f. 1—5 & 6. ♂♀. *Tachina* Bohem. Act. Holm. 1828. p. 164—166.

Hab. in floribus Compositarum ut Chrysanthemi leucanthemi &c., etiam in Umbellatarum, per Sueciæ meridionalis & mediæ hortos & prata, 4 Jun.—6—9Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Beckaskog, D. *Fallén;* in Smolandia, D. *Boheman*, qui plura specimina ex abdomine *Harpali aulici & ruficornis* egressa obtinuit (cfr. Act. Holm. l. c.); in Ölandia ad Rella frequens, ♀ tamen rarior; in Gottlandia ad Gothem &c., passim.

♂♀. Similis priori, a qua vero magnitudine duplo minore, capite magis argenteo, minime flavido-micante, fronte in ♂ multo angustiore, oculis nempe fere cohærentibus, thorace in utroque sexu nigro, nec cinereo, alis hyalinis vix fumatis, ut & nervo long. 4:to arcuato minus rotundato, abunde distincta.

---

## 113. MICRA Zett.

*Corpus* parvum, oblongum, pubescens, subopacum. Antennæ incumbentes, breves, articulo ultimo 2:do parum longiore, subquadrato, compresso. Os setulosum. Mystaces & vibrissæ, nulla. Frons ante oculos minime prominens. Proboscis & palpi, retracta. Oculi magni, obscure brunnei, in ♂ approximati. Abdomen rotundato-ovatum, subdepressum, ano inflexo, hamato (♂). Alæ longitudine abdominis, nervo longitudinali 4:to arcuatim flexo in summo apice alæ excurrente. Area media occlusa. *Color* nigricans. *Motu* agilis. *Habitatio* in Scandinavia septentrionali. *Differentia sexus; mas:* oculis in frontis postico approximatis; *femina:* ignota.

1. *M. Trixina:* nigricans, epistomate argenteo-micante; abdominis segmentis basi subcinerascentibus; squamis sub alis albidis. ♂. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 631. 1. ♂.

Hab. in Nordlandia Norvegica rarissime; ad diversorium Björkvik prope Ofotenfjord d. 14 Jul. 1821 individuum unicum inveni.

♂. Nigricans, tota pubescens, seu pilosa, sed setis validis minime vestita. Antennæ epistomate triplo breviores, seta mediocri, subulata, basi articulata. Caput argenteo-micans, macula supra antennas triangulari nigra, pilosa. Thorax antice parum griseo-maculatus. Abdominis fasciæ subcinereæ linea media nigra interruptæ. Alæ hyalinæ, nervo longitudinali 4:to in summo apice alæ, & mox intra apicem cum nervo long. 3:tio confluente. Nervi transversi: ordinarius & apicalis recti. Squamæ sordide albidæ. Halteres fusci. Pedes nigri, pilosi, non spinulosi.

---

## 114. OCYPTERA Latr.

*Corpus* mediæ aut minoris magnitudinis, elongatum, cylindricum, nitidum, valide setosum. Antennæ liberæ, deflexæ (sed non incumbentes), epistomate paullo breviores, articulo ultimo 2:do circiter duplo longiore, sublineari, compresso, apice subtus rotundato, basi superne seta triarticulata, nuda, articulis basalibus brevibus. Frons minus porrecta, modice lata. Epistoma perpendiculare, nudum, vibrissis omnino nullis. Margo oris exsertus. Seta utrinque mystacina & setulæ sub ore adsunt. Palpi brevissimi. Oculi nudi, in utroque sexu fere æque remoti. Abdomen cylindricum, segmentis 1 & 2 æque longis. Alæ abdomine nonnihil breviores, area media occlusa, petiolata. Nervi longitudinales: 3:tius basi 2—4-setulosus, apice curvatim ad costam paullo ante apicem alæ inflexus; 4:tus angulatus. Nervi transversi aut inflexi, aut recti: ordinarius paullo pone medium areæ insertus. Segmenta costæ (cfr. *Nephrocerus* gen. 100 in nota): 1:mum longissimum, spinula nulla;

2:dum duplo brevius; 3:tium longitudine fere 1:mi; 4:tum 2:do fere duplo brevius. Squamæ magnæ, albæ. *Color* niger, abdominis lateribus rufis. *Motu* celerrima. *Habitatio* in floribus. *Larvæ* rhizophagæ putantur; an rite? Forte parasitæ vivunt. *Differentia sexus; mas:* fronte nonnihil angustiore, unguibus pulvillisque plerumque elongatis; *femina:* fronte nonnihil latiore, unguibus pulvillisque brevioribus. Typus generis: *O. brassicaria.*

A. Nervi alarum transversi: ordinarius & apicalis distincte inflexi. Frons nonnihil prominens. Species majores.

1. *O. brassicaria:* thorace cinereo, lineis 4 obscuris; capite argenteo; antennis totis, vitta frontali, pedibusque, atris; abdomine nigro, segmento 1:mo lateribus late, 2:doque toto, rufis; alis cinereis, basi flavidis. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Fabr. Antl. 312. 1. Fall. Rhizomyz. 5. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 211. 2. t. 39. f. 29. & Ejusd. 7. 215. 2. Macq. Buff. 2. 125. 2. ♂♀. *Musca cylindrica* Deg. Ins. 6. 30. 9. t. 1. f. 12. *Syrphus segnis* Panz. Fn. 22. 22. (exclus. syn. Linn.)

Var. b. ♂♀. abdominis segmento 2:do quoque linea media nigra.

Hab. in floribus Chrysanthemi, Eryngii &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 27 Jun.—7 Aug., passim; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia haud raro; in Ölandia ad Rella, &c.; in Gottlandia ad Fardhem, Nähr, Ahlskog, Gothem, Kyllej, & Ruthe, copiose; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in silvis Daniæ circa Hafniam non raro, D. *Staeger.* — Var. b. ad Wastena Ostrogothiæ.

♂♀. Caput albidum. Frons subporrecta, vitta sat lata, atra, serie setarum in ♂ simplici, in ♀ postice duplici; vitta ad antennarum basin extensa. Antennarum seta vix ad medium incrassata. Epistoma infra oculos descendens. Thorax subcærulescenti niger, antice in primis leviter albo-pollinosus, lineis 4 nigris, mediis angustis. Humeri & pleuræ, albida. Abdomen subincurvum, lateribus parce setosum. Segmenta 1 & 2 in medio marginis apicalis bisetosa; reliqua segmenta margine apicali setis circiter 8. Segmentum 3:tium basi in illæsis individuis albo-micat. Anus inflexus. Alæ fusco-cinereæ, basi & ad medium costæ, flavidæ. Nervus long. 4:tus infra angulum breviter, sed determinate continuatus. Pedes nigri, spinosi, tarsis in ♂ breviter setulosis, unguibus pulvillisque valde elongatis; tarsis in ♀ vix setulosis, unguibus pulvillisque brevibus.

*Obs. Musca brassicaria* Panz. Fn. 20. 20. cit. Fabr. huc non pertinet; sed ad *Scævam Ocymi* nostram referenda.

2. *O. cylindrica:* thorace antice albido, lineis 2 obscuris; capite argenteo; antennis fuscis, articulo ultimo, vitta frontali, pedibusque, nigris; abdomine nigro, segmentis 1 & 2 lateribus rufis; alis cinereis, basi flavidis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Fabr. Antl. 313. 2. Meig. Dipt. 4. 213. 4. ♂. t. 39. f. 28. & Ejusdem 7. 215. 6. Macq. Buff. 2. 186. 4. (*O. cylindrica* Fall. ad *O. interruptam* n:o 3 pertinet).

Hab. in Suecia media passim; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena raro; at in Gottlandia ad Ruthe, Martebo &c., mense Julio frequenter a me capta.

♂♀. Valde similis priori, differt vero certe: magnitudine constanter duplo minore, epistomate nonnihil minus porrecto, antennarum articulo 2:do apice fusco, vitta frontali, præsertim antice fusca, nec atra, thoracis fundo cinera-

scenti nigro, nec cærulescenti nigro, abdominis linea dorsali nigra segmenta 1 & 2, nec solum 1:mum, transiente, alarum nervis transversis nonnihil minus inflexis, ut & longitudinali 4:to vix infra angulum continuato.

B. Nervi transversi: ordinarius & apicalis recti. Abdomen basi angustatum. Frons haud prominens. Species minores.

3. *O. interrupta:* nigra, capite argenteo, antennis & vitta frontali atris; humeris albidis; abdominis segmentis 1 & 2 lateribus rufis; alis fumatis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 213. 5. ♂♀. & Ejusdem 7. 215. 5. *O. cylindrica* Fall. Rhizom. 5. 2. ♂♀. certe.

Hab. in plantarum humiliorum floribus, locis aridis mihi præsertim obvia, per Sueciam meridionalem & in primis mediam, mense Julio, passim; scilicet in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Gusum (*Wahlberg*) & Lärketorp; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Ölandia; in Gottlandia ad Ruthe, Gothem & Thorsborg, frequens. (E Glogavia ♂ a D. *Zeller* sine synonymia communicatus).

♂♀. A præcedente, cui similis est, statim dignoscitur: magnitudine sæpe duplo & ultra minore, fronte angustiore & minus porrecta, alis totis fumatis, costa præsertim infuscata, basi concoloribus, nervis transversis ordinario & apicali rectis, subperpendicularibus, ut & seta antennarum in ♂ apice sat distincte, incrassata seu subclavata. — Squamæ parvæ, integræ, albæ. Halteres nigricantes. Pedes parum spinulosi. *Mas:* tarsis validis, unguibus pulvillisque parvis: *femina:* antennarum seta basi incrassata, apice capillari, simplici, cauda cornu curvo inflexa, tarsis validis, unguibus pulvillisque minutis.

4. *O. pusilla:* nigra, capite argenteo, antennis & vitta frontali atris; humeris albidis; abdominis segmentis 1 & 2 totis rufis; alis fumatis. ♀. (Long. 2--2½ lin.).

Meig. Dipt. 4. 214. 6. (exclus. syn. Fall. *Ocyptera cylindrica*, quæ ad speciem priorem pertinet). Ejusdem Dipt. 7. 215. 9. Macq. Buff. 2. 186. 6. ♂♀.

Hab. in Suecia media cum priori, 2 Jul.—14 Aug., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp, rarius; sed in Gottlandia ad Lummelund, Fårön, Furillen &c. frequenter a D. *Dahlbom* & me lecta.

♀. Simillima iterum feminæ prioris, sed differt abdominis segmentis 1:mo (ima basi excepta) 2:doque, totis rufis. Segmentum 3:tium basi quoque sæpe rufescit. Abdomen subinerme, setis tantum 2 in singulo segmentorum 2 & 3. Anus cornu curvo inflexus. Nervus transversus apicalis levissime flexus, nec exacte rectus. Tarsi validi.

---

## 115. WAHLBERGIA Zett.

*Corpus* minoris magnitudinis, oblongum, convexum, breviter pubescens, haud setulosum, nitidum. Antennæ liberæ, longitudine fere epistomatis, articulo ultimo 2:do duplo longiore, apice rotundato, basi seta triarticulata, nuda, articulis basalibus brevibus; ad medium incrassata. Frons parum prominula, lata, vitta lata, serie utrinque pilorum brevium (nec setarum) simplici ad antennarum basin continuata. Epistoma perpendiculare, infra oculos nonnihil descendens, nudum. Vibrissæ nullæ; at setæ mystacinæ haud validæ & pili sub ore adsunt. Os vix exsertum. Oculi mediocres, nudi. Abdomen ellipticum, convexum, subcylindricum, punctulatum, nitidum, pubescens, sed omnino inerme,

segmentis 4 æque longis, arcte cohærentibus. Alæ abdomine non longiores, inermes. Nervi ut in *Ocyptera* directi; at nervi longitudinales: 3:tius omnino rectus propius ad apicem seu fere in apice alæ excurrens, & 4:tus magis arcuatim-angulatus, nec angulo subacuto, versus 3:tium haud procul ab apice alæ curvatus; hinc area haud longe petiolata. Nervus transversus ordinarius subrectus in medio, nec pone medium, areæ insertus. Squamæ mediocres. Pedes validiusculi, pubescentes, non setosi. *Color* nigricans, abdomine rufescente. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus. *Differentia sexus; mas:* fronte modice lata, cauda rotundato-ovata, biarticulata, inflexa, unguibus pulvillisque parvis; *femina:* fronte paullo latiore, cauda subcylindrica, elongata, inflexa, biuncinata, nitidissima *), unguibus pulvillisque minutis.

1. *W. melanura:* atra, nitida; capite argenteo, antennis nigris; vitta frontali thoracisque vittis anticis canis; abdominis segmentis tribus anticis rufis; alis ferrugineo-cinereis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Tachina* Meig. Dipt. 4. 286. 81. ♂? *Gymnosoma* Meig. Dipt. 7. 207. 3. *Ocyptera lateralis* Fall. Rhizom. 6. 3. ♂.

Hab. in Sueciæ meridionalis floribus, locis aridis, 2—23 Jul., rarissime; scilicet in Scania ad diversorium Weberöd, D. Mag. *E. Rosenschöld;* ad Raflunda, Cel. D. *Dahlbom;* ad villam Esperöd in parœcia Mellby utrumque sexum ipse deprehendi.

♂♀. Parva. Caput in illæsis individuis argenteum, sed in detritis frons atra, nitida, colore tamen cano in vitta tenacius adhærente. Setæ mystacinæ nigræ. Barba brevis

---

*) in Dispositione p. 51 lin. 10 dicitur: ♂, lege: ♀.

sub ore alba. Thorax in exemplis bene conservatis antice canus, vittis 4 nigris, quarum 2 intermediis angustissimis; sed in detritis fere totus niger, humeris tamen plerumque canis. Scutellum apice setulosum. Abdomen rufo-ferrugineum, segmento 4:to toto nigro. In segmento 3:tio sæpe etiam punctum medium nigrum cum nigredine marginis apicalis confluens. Rarissime quoque punctum medium nigrum in segmento 2:do adest. Cauda analis jam nigricans, jam picea, jam rufescens. Alæ cinereæ, nervis basi ferrugineis. Nervus transv. ordinarius leviter flexus. Squamæ albidæ. Halteres flavi, clava fusca.

*Obs.* Genus nomine Dipterologi Scandinaviæ meritissimi, Celeb. Professoris & Equitis *Wahlberg* jure ornatum. — Nomen specificum Fallenianum originarium, quod conservandum alias semper sancte existimo, in novum Meigeniarum mutare coactus fui, ne cum *Tachina laterali* subsimili confundetur species nostra. — Specimen, secundum quod Clar. *Meigen* l. c. suam descriptionem hujus speciei confecit, detritum masculum fuisse videtur. — Specimen femineum, paullo minus, vitta frontali abdomineque atris, segmentis 1 & 2 rufis, linea dorsali nigra, alarum nervo long. 4:to subangulatim flexo, ut & area brevius petiolata, de cetero *W. melanuræ* simillimum, e Glogavia a D. *Zeller* missum nuper accepi, certe hujus generis; sed alia species, cui nomen *W. dimidiata* proponerem.

---

## 116. GYMNOSOMA Fall.

*Corpus* minoris magnitudinis, rotundato-ovatum, glabriculum, nitidum. Antennæ liberæ, longitudine epistomatis, articulo ultimo 2:do vix dimidio longiore, lineari, subobtuso, basi seta dorsali triarticulata, articulis basalibus brevissimis; nuda, fere ad medium incrassata. Frons leviter prominula, lata, serie pilorum brevium utrinque ad antennas continuata. Epistoma perpendiculare, nudum, setulis oris

paucis & brevissimis. Os vix exsertum. Oculi mediocres, nudi, rufo-brunnei, unicolores. Abdomen rotundatum, convexum, fornicatum, glabrum, nitidum, punctatum, segmentis æque longis. Alæ inermes. Nervi longitudinales: 3:tius rectus, fere in summo apice alæ excurrens; 4:tus arcuatim angulatus. Nervus transversus ordinarius leviter flexus, aut rectus; paullo pone medium areæ insertus. Area breviter petiolata. Squamæ mediocres. Pedes validiusculi, mutici. *Color* nigricans, abdomine rufescente. *Motu* agilis, non vero celerrima. *Habitatio* in floribus, ab uno ad alterum cito volando. *Differentia sexus; mas*: fronte modice lata, pulvillis non magnis: *femina:* fronte latiore, pulvillis paullo minoribus. Anus in utroque sexu parvus, parum inflexus. Typus generis: *Gymnos. rotundata.*

1. *G. rotundata:* nigra, capite flavicante (♂), aut albo (♀); vitta frontali ferruginea; thoracis antico pallido (♂), obscure vittato; abdomine rufo, maculis dorsalibus nigris; alis fumatis, basi flavis. ♂♀. (Long. 2½—fere 3 lin.).

*Mas:* oculis modice remotis, fronte flava, vitta ferruginea, thorace antice flavido-pollinoso, abdomine rufo, maculis 4 subrotundis in serie dorsali positis, discretis, nigris;

*Fem.:* paullo major, oculis nonnihil latius remotis, fronte albida, vitta lata, ferruginea, thoracis humeris albido-pollinosis, abdomine rufo, maculis 4, quarum anticis 3 triangularibus, cohærentibus, & ultima sæpius parva, rotundata, discreta, nigris; in copula.

Fall. Rhizom. 9. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 4. 204. 1. ♂♀. t. 39. f. 21. ♂. & Ejusdem Dipt. 7. 207. Macq. Buff. 2. 189. 1. ♂♀. t. 15. f. 5. ♂. — Zett. Ins. Lapp. 628. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1838. ♂♀. Panz. Fn. Germ. 20. f. 19. ♂. Ross. Fn. Etr. 466. 1502. ♂♀. *Tachina* Fabr. Antl. 311. 12.

Var. b. ♀. minor, abdomine nigro, lateribus inæqualiter anguste rufo-ferrugineis; alias var. a. simillima. *G. costata* Meig. Dipt. 4. 205. 2. ♀. — *Musca costata* Panz. Fn. Germ. 73. f. 23. ♀.

Hab. in floribus Umbellatarum ut Pimpinellæ nigræ, Dauci &c., & Compositarum ut Chrysanthemi, Achilleæ &c.; per Scandinaviam meridionalem & mediam, 1 Jul. —14 Sept., vulgaris, ad versuras agrorum præcipue obvia, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Röstånga, Tranås, Kivik, Esperöd &c., haud rara; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Wadstena, Omberg, Godegård, Gusum &c., frequens; in Gottlandia ad Stenkyrka, Storungs, Ruthe, Fårön, Kyllej, Ahlskog &c., copiose; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad diversorium Stråtjära, rarius; in Dania haud infrequenter, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. *Musca domestica* paullo brevior, at latior. Palpi flavi. Antennæ nigræ, articulo ultimo basi intus macula rufa. Barba menti & occipitis, brevis, alba. Series pilorum frontalium in ♂ simplex, in ♀ postice subduplex. Thorax punctatus; in ♂ postice niger, antice opacus, flavus, lineolis 4 nigris; in ♀ totus niger, nitidus, humeris flavidis l. albidis. Pleuræ cinereæ. Scutellum lineola cinerea (♂), aut puncto apicis cinereo (♀). Squamæ & halteres, albida l. flavida. Reliqua ut in diagnosi. — Variat ♂ abdominis segmento ultimo maculis tribus nigricantibus. — In varietate b., quam in Ostrogothia cum var. a. haud raro inveni, abdomen nigrum, rufedine lateraii sæpe fascias 4 interruptas, intus valde angustas formante, ut in figura Panzeri. E Wienna Austriæ eadem quoque a D. *Andersch* missa; mus. D. *Falleni*. Formæ transientes ab a. ad b. dantur.

# 117. CISTOGASTER Latr.

*Corpus* parvum, rotundato-ovatum, glabriculum, nitidum. Antennæ deflexæ, subincumbentes, epistomate dimidio breviores, articulo ultimo 2:do parum longiore, ovato-quadrato, basi seta dorsali 3-articulata, articulis basalibus brevissimis; nuda, vix ad medium incrassata. Frons subprominula, parum lata, vitta angusta, serie pilorum brevissimorum ad antennarum basin continuata. Epistoma perpendiculare, nudum, pilis oris, loco mystacium, paucissimis, tenuissimis. Palpi breves, subfiliformes, pilosuli. Os vix exsertum. Oculi sat magni, nudi, in utroque sexu subæque remoti. Abdomen rotundatum, fornicatum, punctatum, segmentis æque longis, incisuris parum perspicuis. Anus parvus, leviter inflexus. Alæ, etiam quoad nervorum directionem, ut in *Gymnosoma*, at nervus transv. ordinarius fere in medio areæ insertus. Nervus long. 5:tus usque ad marginem alæ extensus. Squamæ majusculæ. Pedes validi, mutici. *Color*, *motus*, *habitatio* & *differentia sexus* ut in *Gymnosoma*. Typus generis: *C. globosus.*

1. *C. globosus:* niger, nitidus, capite flavido (♂), aut albo (♀); thoracis antico pallido (♂); abdomine rufo, apice nigro-maculato (♂), aut toto atro (♀). ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

*Mas:* niger, capite albo, fronte flava, vitta angustissima, nigra; thoracis antico flavo; abdomine rufo-ferrugineo, maculis dorsalibus nigris, versus apicem sensim majoribus; ano inflexo;

*Fem.:* nigra, capite albo, fronte sæpius detrita atra, vitta angusta, nigra; humeris cinereis; abdomine atro; in copula.

Macq. Buff. 2. 190. ♂. Meig. Dipt. 7. 207. 1. t. 69. f. 25. ♂. *Tachina globosa* Fabr. Antl. 311. 13. ♂. *Gymnosoma* Meig. Dipt. 4. 206. 3. !. 39. f. 22. ♂. *Gymnos.*

*dispar* Fall. Rhiz. 9. 2. ♂♀. *Cistogaster ovata* Macq. Buff. 2. 190. 2. ♀.

Var. b. ♀. abdomine basi macula utrinque ferrugineo-flava. In Gottlandia.

Hab. in floribus Umbellatarum ex. gr. Dauci, Pimpinellæ nigræ &c., atque Compositarum ex. gr. Achilleæ Millefolium, Chrysanthemi leucanthemi. Matricariæ &c., per Sueciam mediam, 12 Jul.—4 Aug., minus frequens, in copula sæpe capta; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena, Löfvingsborg prope Skenninge, Högby, Gusum &c.; in Gottlandia ad Ruthe (ubi in Pimpinella nigra d. 15 Jul. 1819 uterque sexus in copula junctus copiose deprehensus), &c.; in Sudermannia, D. *Wahlberg*.

♂♀. Pictura (in ♂) & habitu *Tachinæ pellucenti* n:o 81 valde similis, sed magnitudine minore, antennis adhuc brevioribus, capite corporeque glabrioribus, area alarum occlusa, nec apice aperta, abunde dignotus. — Frons in utroque sexu angustata. Antennarum seta ut mihi videtur 3-articulata, articulo ultimo basi incrassata. Palpi flavi. Proboscis obscura. Barba menti brevissima, alba. Scutellum nigrum. Alæ cinereæ, basi flavicantes. Squamæ subflavidæ (♂), aut albidæ (♀). Reliqua ut in diagnosi l. descriptione generis.

---

## 118. RHINOPHORA Meig.

*Corpus* parvum, subcylindricum, setosum, subnitidum. Antennæ incumbentes, epistomate dimidio breviores, articulo ultimo 2:do parum longiore, basi seta dorsali subnuda s. brevissime puberula, basi incrassata. Frons subprominula, modice lata, serie setarum sat validarum fere infra antennarum basin continuata. Epistoma breve, perpendiculare, ad latera juxta oculos distincte setulosum, vibrissis nullis.

Os antice reflexum, setis utrinque mystacinis distinctis, & infra setulis pluribus armatum. Palpi parvi, subclavati, apice pilosi. Oculi rotundati, nudi. Abdomen subcylindricum, læve, pubescens, segmentis æque longis, 1 & 2 in medio marginis apicalis bisetosis, 3 & 4 margine apicali multisetosis. Alarum nervi longitudinales: 3:tius rectus, fere in summo apice alæ excurrens, basi setulis 4—6; 4:tus subrectangulatim flexus, sat longe infra apicem alæ ad 3:tium curvatus; hinc area media (in nostris) longe petiolata. Nervi transversi: medius apici nervi longitudinalis 1:mi oppositus; ordinarius subrectus, in medio areæ occlusæ insertus; apicalis subrectus. Segmenta costæ (cfr. *Nephrocerus* gen. 100 in nota) breviter ciliatæ: 1:mum modice longum (circiter ad 4:tam partem totius alæ extensum), apice (in nostris) spinula subgemina; 2:dum brevissimum; 3:tium longitudine 1 & 2 simul sumtorum; 4:tum 1:mo fere dimidio brevius. Squamæ non magnæ. Pedes mediocres, setosi. *Color* niger. *Motu* agilis. *Habitatio* in floribus & truncis arborum. *Differentia sexus; mas*: fronte modice lata, abdomine subcylindrico, ano obtuso, tarsis breviter pilosis, unguibus pulvillisque parvis; *femina:* fronte nonnihil latiore, abdomine elliptico s. conico, ano acutiori, tarsis non pilosis, unguibus pulvillisque minutis. Typus generis: *Rh. umbratica.*

1. *Rh. umbratica:* nigra, epistomate subargenteo-micante; alis hyalinis, nervis fuscedine cinctis, transverso ordinario recto; squamis albis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

*Ocyptera* Fall. Rhizomyz. 7. 6. ♂♀. originaria. — *Tachina* Meig. 4. 287. 83? ♂♀. *Ptilocera* Macq. Buff. 2. 171. 7. *Leucostoma* Meig. Dipt. 7. 212. 10?

Hab. in Umbelliferis & truncis arborum viventium, per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jun.—2 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd,

Christinehof &c., frequens; in Ostrogoth. ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Ölandia, ipse.

♂♀. Nigra, capite plumbeo. Epistoma infra oculos rotundos descendens, lateribus setosum. Vitta frontalis modice angusta, atra, serie setarum utrinque in ♂ subsimplici, in ♀ postice subduplici, in utroque sexu per setas 1 l. 2 infra antennarum radicem descendente. Antennæ totæ nigræ, articulo 2:do superne setuloso. Palpi flavi, apice fusci. Thorax omnium levissime albido-submicans. Abdominis incisuræ 2 & 3 in bene conservatis individuis angustissime albo-micantes. Alarum nervi præsertim ad basin & costam fuscedine perspicue cincti. — Squamæ parvæ, albæ. Halteres testacei, clava fusca.

*Obs.* *Leucostoma umbratica* Meig. l. c. videtur aut alia species, aut cum *Rhinophora* (*Leucostoma* nobis) *maculata* commixta. Meigeni caracter (in suppl. 7 allatus) generis *Rhinophoræ* in *umbraticam* nostram incidit, & is *Leucostomæ* vice versa in *maculatam* nostram cadit. Forte igitur hæ duæ species per cofusionem ad contraria genera a D. *Meigeno* relatæ.

2. *Rh. hyalinata:* nigra, epistomate subargenteo-micante; alis hyalinis, immaculatis, nervo transverso ordinario leviter flexo; squamis albis. ♂. (Long. fere $2\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund mense Julio specimen descriptum inveni.

♂. Simillima priori; sed magnitudine paullo majore, alarum nervis non infuscatis & transverso ordinario leviter flexo, dignoscitur. Apertura oris rufescens. Alæ hyalinæ, interstitio inter nervum costalem & longitudinalem 2:dum leviter fumato. Reliqua ut in præcedente.

## 119. LEUCOSTOMA Meig.

*Corpus* parvum, subcylindricum (in *L. venosa* ovatum), setosum, nitidum. Antennæ cum seta ut in *Rhinophora*. Frons non prominens, modice lata, serie setarum sat validarum fere infra antennarum basin continuata. Epistoma breve, perpendiculare, nudum. Vibrissæ nullæ. Os non reflexum (in *L. æenescente* antice reflexum), omnino ut in *Rhinophora* setosum. Oculi rotundati (in *L. simplici* magni oblongi), nudi. Abdomen omnino ut in *Rhinophora* constructum & setosum, (in *L. venosa* rotundatum, undique setulosum). Alarum nervi quoque omnino ut in *Rhinophora* (sed in *L. simplici* spinula costæ nulla, & in *L. venosa* area breviter petiolata). Squamæ parvæ (in *L. simplici* magnæ). Pedes mediocres, setosi. *Color* niger. *Motu* celer. *Habitatio* in floribus & truncis arborum. *Larvæ* quarumdam in Coleopterorum & Hemipterorum visceribus parasitæ. *Differentia sexus* ut in *Rhinophora*, a qua: fronte minime prominente, epistomate nudo seu ad latera non setuloso, ut & ore sæpissime non prominente, distinguitur. Typus generis: *L. maculata*.

A. Alarum spinula costæ adest. Squamæ sub alis parvæ.

*) Abdomen subcylindricum, segmentis æque longis, margine apicali parce setosis.

1. *L. maculata:* nigra, nitida, capite argenteo-micante; antennis medio ferrugineis; alis cinereis, macula costali versus apicem magna, fusca. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Ocyptera* Fall. Rhizom. 6. 5. ♂♀. originaria. — *Tachina* Meig. Dipt. 4. 286. 82. ♀. *Ptilocera* Macq. Buff. 2. 171. 8. ♀. *Rhinophora* Meig. Dipt. 7. 210. 1. (cfr. quod in nota sub *Rhinophora umbratica* dicitur).

Hab. in floribus; truncis arborum viventium sæpe insidens; per Scandinaviam meridionalem & mediam, 20 Jun.—11 Aug., passim, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania ad Esperöd, haud rara; in Westrog., D. *Gyllenhal*; in Ostrogoth. ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Ölandia; in Gottlandia ad Ejsta, Garde, Wamlingbo, Rhone, Thorsborg, Stenkyrka, &c., frequens; in Dania circa Hafniam, D. *Staeger.*

♂♀. Nigra. Caput glauco-argenteum, antice convexum. Vitta frontalis angustata, nigro-brunnea, serie setarum omnino ut in *Rhinoph. umbratica.* Antennæ brevissimæ, seta nuda l. microscopice puberula, ima basi incrassata. Epistoma breve, nudum. Os non reflexum. Setæ mystacinæ & setæ sub ore plures sat validæ adsunt. Palpi filiformes, fusci. Thorax & abdominis incisuræ ad latera certo situ glauco-micant. Alæ albido-cinereæ, macula pone medium magna, fusca, ad costam dilatata, versus medium evanescente, nervum tamen transv. ordinarium semper transeunte. Squamæ albidæ. Halteres testacei, clava fusca. Pedes nigri, coxis anticis sæpe piceis. — Nervus transv. ordinarius mox ante medium areæ insertus.

2. *L. brevicornis:* ænescenti nigra, nitida, capite argenteo-micante; antennis medio ferrugineis; alis cinereis, costa postice fusca; squamis albis, fusco-marginatis. ♂♀ (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; scilicet ♂ e Smolandia a D. *Boheman* 1835 missus; ♀ in monte insigni Omberg Ostrogothiæ Jul. 1828 a me inventa.

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine triplo l. quadruplo minore, corpore nigro leviter metallice nitente, alarum macula costali fusca usque ad summum apicem dilatata, squamis albis anguste fusco-maculatis, ut & pedibus præsertim

basi & coxis livido-piceis, distincta. *Mas* paullo angustior, oculis subapproximatis, vitta frontali angustiori, atra, & ano subinflexo.

3. *L. ænescens:* ænescenti nigra, nitida, capite plumbeo; ore subreflexo; antennis nigris; alis cinereis, immaculatis; squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Hab. in graminosis, silvaticis, per Sueciam meridionalem, 10 Jul.—16 Aug., minus frequens; scilicet in Scania: ad Räften prope Lund, D. *Dahlbom*, ad utrumque Esperöd, ipse.

♂♀. *L. maculatæ* valde similis & affinis, sed magnitudine sæpe paullo minore, fronte anterius magis depressa, nec convexa, antice leviter prominente, antennis nonnihil longioribus, totis nigris, fere ad os antice subelevatum extensis, palpis nigris, alis cinereis, immaculatis, nervo transv. ordinario in medio, nec mox ante medium, areæ inserto, petiolo areæ breviori, ut & coxis nigris, nec piceis, abunde distincta. Similis quoque videtur Meigeni *Tachinæ (Leucostomæ) lepidæ*, & *Dexiæ (Rhinophoræ) nigranti*, sed ab illa colore corporis ænescenti nigro, nec "atro", abdomine immaculato, vix "fasciis duabus albis", ut & oculis maris anguste remotis, nec "cohærentibus"; & ab hac palpis nigris, nec "albis", ut & alis subhyalinis, nec "dimidiato-fuscis" facile dignota. — Seta antennarum microscopice puberula. Halteres toti flavi. Abdominis segmenta 2, 3 & 4 basi in illæsis individuis certo situ glauco-micantia. Reliqua ut in *L. maculata.* — Variat rarissime nervo transverso apicali in medio extus nervulo appendiceo aucto.

**) Abdomen (♀) rotundato-ovatum, segmentis in medio & apice setulosis.

4. *L. venosa:* nigra, nitida, epistomate squamisque albis; alis leviter fuscanis, margine interiori cinereo-hyalino; area media breviter petiolata. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 212. 11? *Tachina* Ejusdem 4. 288. 86?. ♀.

Hab. in Suecia rarissime, in Scania semel capta; in Ölandia 10—14 Jul. 1819 ad Gärdslösa & Galltorp 3 specimina inveni; ut incola Ölandica etiam a D. *Boheman* 1835 missa.

♀. Parva, ovata, nigra, nitida. Frons latiuscula, minime prominula, nigra, nitida (an detrita?), vitta mediocri, atra. Antennæ breves, seta nuda s. microseopice puberula. Epistoma brevissimum, nudum, album. Os non reflexum; setosum. Abdomen rotundatum, convexum, segmentis: 1:mo brevi, inermi, reliquis in medio & margine apicali setulosis. Alæ fuscanæ, margine interiori subhyalino. Nervi transversi subrecti, horum ordinarius in medio l. mox pone medium areæ insertus. Areæ petiolus brevis. Spinula costæ parva. Squamæ mediocres, albæ. Affinis videtur *Tachinæ gagatinæ* & *phœopteræ* Meig.

B. Alarum spinule costæ nulla. Squamæ sub alis magnæ.

5. *L. simplex:* atra, nitida, capite squamisque albis; alis albescentibus; ano alterius sexus hamato. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Meig. Dipt. 7. 212. 4. *Ocyptera* Fall. Rhizom. 8. 10. ♂♀. originaria. — *Tachina* Meig. Dipt. 4. 289. 89. ♂♀. *Melanophora* Macq. Buff. 2. 178. 19. ♂♀.

Hab. in pratorum floribus Compositarum ut Chrysanthemi leucanthemi &c., per Sueciam meridionalem & mediam, 29 Jun.—30 Jul., passim; scilicet in Scania ad Esperöd, rarius; in Smolandia & Westrogothia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Gusum

&c., passim; in Calmaria ad Berga; in Ölandia ad Rella & Gärdslösa; in Gottlandia ad Garde, Gothem Ruthe &c., frequens; ad Holmiam, D. *Haeffner.* (E Wienna Austriæ per D. *Zeller* etiam communicata).

♂♀. Parva, ovata, atra, nitida. *Caput* album. Frons non prominens, postice subangustata (♂), aut tota lata (♀), vitta modice lata, atra; setæ utrinque in ♂ tenues, simplici serie, in ♀ validiores, postice duplici serie, dispositæ. Antennæ nigræ, articulo 2:do fusco; seta nuda. Os minime reflexum. Palpi flavi. Oculi magni, brunnei. Abdomen ellipticum, segmentis æque longis, 1:mo inermi, reliquis in margine apicali parce setosis. Alæ albidæ, nervis tenuibus, pallidis, ut in *L. ænescente* directis, sed petiolo areæ proportione nonnihil longiore. Spinula costæ nulla. Squamæ niveæ, superior parva, inferior magna, fornicata. Halteres nigricantes. Pedes nigri, unguibus pulvillisque in utroque sexu parvis. Anus in ♀ forfice nigra ut in genere Meigeniano *Labidigaster*, appendiculatus, cum quo vero ob oculos nudos, nec hirtos, alarum area occlusa, nec aperta, &c., non confundi potest hæc species.

---

## 120. MELANOPHORA Meig.

*Corpus* parvum, cylindricum, setosum, nitidum. Caput crebre setosum. Antennæ incumbentes, epistomate plus quam dimidio breviores, articulo ultimo longitudine 2:di, basi seta dorsali distincte pubescente, basi incrassata. Frons minus prominula, latissima, serie setarum utrinque duplici. Epistoma breve, latum, nudum. Os subexsertum. Mystaces & setæ sub ore plures. Palpi breves. Oculi rotundi, nudi. Abdomen ut in *Rhinophora* constructum & setosum. Alæ subangustæ. Nervi longitudinales: 3:tius nudus, rectus fere in apice l. mox ante apicem alæ excurrens; 4:tus subangulatim flexus longe intra apicem alæ versus 3:tium cur-

vatus; hinc area longe petiolata; 5:tus usque ad marginem extensus. Nervi transversi: medius & ordinarius approximati, hic scilicet rectus ante medium areæ insertus. Segmenta costæ ut in *Rhinophora*, sed costa vix ciliata & spinula nulla. Squamæ parvæ. Pedes mediocres, parum setosi, unguibus pulvillisque in utroque sexu minutis. *Differentia sexus; mas:* abdomine cylindrico, ano obtuso, alis (in nostra) nigris, unicoloribus; *femina:* abdomine conico, alis (in nostra) nigris, puncto apicis albo. Typus generis: *M. roralis,* quæ antennarum seta perspicue pubescente, alarum nervis transversis mediis approximatis, petiolo areæ longiore, ut & squamis parvis, a proxime præcedentibus facile dignoscitur.

1. *M. roralis:* atra, nitida; alis squamisque nigricantibus; illis apice in ♀ albis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin).

Meig. Dipt. 7. 213. 1. t. 69. f. 16. ♂. Macq. Buff. 2. 178. 17. *Musca* Linn. Fn. Su. 1846. ♂. Schrank Enum. Austr. 463. 911. ♂. Fabr. Antl. 301. 102. ♂. *Tachina* Meig. Dipt. 4. 281. 79. ♂♀. *Ocyptera* Fall. Rhizom. 7. 7. ♂♀. *Musca grossificationis* Linn. Fn. Su. 1865. ♀. Rossi Fn. Etr. 2. 480. 1533. ♀. Schrank Enum 470. 951. ♀. *Tephritis* Fabr. Antl. 324. 42. ♀.

Hab. in parietibus & truncis arborum, præsertim vero in fenestris, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 8 Jun. — tota æstate — 20 Sept., vulgatissima, in copula; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia & Ostrogothia mihi non raro obvia;in Ölandia ad Borgholm &c.; in Gottlandia ad Wisby, Nähr, Thorsborg, &c., haud parce; in Uplandia ad Holmiam & in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* supra has provincias non nisi rarissime occurrit;in Dania ad Hafniam non rara, D. *Staeger.* (In Moabite prope Berolinum atque

in Helgolandia a D. *Dahlbom* lecta. E Glogavia par in copula junctum a D. *Zeller* missum).

♂♀. Tota atra. Caput nigricans. Oculi ferruginei, in utroque sexu late & æque remoti, vitta modice lata, atra. Antennæ brevissimæ. Alæ nigræ ad basin albo-punctatæ, & in ♀ macula apicis alba. Squamæ & halteres nigricantia. Pedes parum setosi. — In junioribus individuis sternum & pedes sæpe livido-picea.

## 121. SCOPOLIA Meig *)

*Corpus* minoris magnitudinis aut parvum, subcylindricum, nitidum, setosum. Antennæ incumbentes, longitudine epistomatis, articulo ultimo 2 triplo longiore, basi seta dorsali nuda, fere ad medium incrassata. Frons minus prominula, lata, serie setarum utrinque duplici, & infra antennarum basin in lateribus faciei usque ad os simpliciter descendente, vibrissas in epistomate mentiente. Epistoma subperpendiculare, aut subdeclivum. Os non reflexum. Mystaces, & setæ sub ore, plures. Palpi distincti. Oculi mediocres, nudi. Abdominis segmenta: 1:mum breviusculum, inerme, 2:dum apice bisetosum, reliqua in disco & margine apicali setosa. Alarum nervi longitudinales: 3:tius rectus, mox ante apicem alæ excurrens, basi a radice usque ad nervum transvers. medium setulosus; 4:tus angulatim flexus. Nervi transversi: ordinarius (in *S. picta* flexus) rectus, in medio areæ insertus, apicalis leviter incurvus. Petiolus areæ modice longus. Segmenta costæ ut in *Rhinophora;* spinula distincta.

*) *Scopolia* quoque est nomen antiquius plantæ generis, ergo in Dipterologia haud bene ferendum. Retineo tamen ne novo augeatur synonymia.

Squamæ mediocres. *Color* ater. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis & campis arenosis, in terra nuda, arida sæpe insidens aut celeriter ambulans. *Differentia sexus* vix nisi in abdomine *maris* cylindrico, ano obtusiore, tarsis anticis tenuibus, & *feminæ* abdomine subconico, ano acutiore, tarsis anticis nonnihil crassioribus, quærenda. Typus generis: *Sc. carbonaria.*

*). Antennæ subangustatæ, lineares.

1. *Sc. carbonaria:* æneo-nigra, epistomate argenteo-micante; antennis linearibus, fuscis; palpis flavis; alis nigricantibus, margine interiori squamisque albidis; nervis transversis validis, apicali leviter incurvo. ♂♀. Long. 1½—2 lin.).

Meig. Dipt. 7. 252. 4? *Musca* Panz. Fn. Germ. 54. 15. *Ocyptera* Fall. Rhizom. 8. 9. ♂♀. vera. — *Tachina* Meig. Dipt. 4. 420. 315? Macq. Buff. 2. 176. 9?

Hab. in campis arenosis, terræ sæpe insidens, per Sueciam meridionalem & mediam, 14 Maj.—15 Sept., vulgaris; in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Lomma, Abusa, Björnstorp, Silfåkra, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia; in Westrog., D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* sed supra Uplandiam versus septentrionem vix procedens; in Dania, D. *Westermann.* (E Glogavia a D. *Zeller* sub eodem nomine missa).

♂♀. Parva, atra, æneo-micans. Frons argenteo-micans, vitta latiuscula, atra. Seta antennarum, ni fallor, 3-articulata, articulis basalibus brevibus. Epistoma ad latera per totam longitudinem setis validis loco vibrissarum ornatum. Antennarum articulus 2:dus piceus. Thorax in illæsis levissi-

me cinereo-micans. Alæ hyalinæ, costa nigricante, nervis transversis fuscedine cinctis; horum ordinario recto, apicali incurvo. Squamæ albæ. Pedes nigri, setosi, unguibus pulvillisque in utroque sexu parvis, tarsis anticis in ♀ nonnihil crassioribus.

*Obs.* Meigeni *Tach. carbonaria* l. c., "corpore atro & nervis transversis rectis" a nostra differt.

2. *Sc. costata:* aterrima, epistomate argenteo-micante; antennis linearibus, nigris; palpis flavis; alis hyalinis, costa anguste nigricante, nervo transverso apicali leviter flexo; squamis albis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 7. 252. 1. t. 71. f. 46? (alis nimis obscuris). — *Ocyptera* Fall. Rhizom. 8. 8. ♀. originaria. — *Tachina* Meig. Dipt. 4. 419. 314? ♀.

Hab. in graminosis & campis arenosis, terræ nudæ sæpe insidens, per Scandinaviam, 21 Maj.—15 Jul., passim; in copula pluries deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Abusa, Björnstorp, utrumque Esperöd, &c., sat frequens; in Westrogothia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & Lärketorp rarissime, ipse; in Norvegia ad Thynæs in parœcia Skogn, D. *Dahlbom.*

♂♀. Similis & affinis priori, sed magnitudine paullo majore, colore corporis cærulescenti atro, nec æneo-micante, antennis præsertim in ♂ paullo validioribus, ut & alarum costa angustius nigricante, interdum leviter tantum fuscana, & nervis transversis fuscedine haud cinctis, vere distincta. Antennarum seta biarticulata videtur? Nervi transversi subrecti, apicalis plerumque levissime flexus.

*Obs.* Meigeni *Tach. costata* l. c. "palpis nigris, & nervo transverso recto", a Falleni & nostra differt. Ergo dubia.

3. *Sc. picta:* nigra, epistomale inferne argenteo-, superne subrufescenti micante; antennis sublinearibus, basi ferrugineo-maculatis; palpis rufescentibus; abdomine utrinque macula basali, femoribusque, rufis; alis fuscescentibus, squamis flavidis. ♀? (Long. circiter 2 lin.).

Wahlb. in litt. 14 Sept. 1843. (An *Scop. rufipes* Meig. Dipl. 7. 252. 8? "nigra, femoribus rufescentibus" — *Melanophora rufipes* Macq. Buff. 2. 176. 12?).

Hab. in Botnia boreali rarissime; in floribus Pyrethri inodori ad pagum Bredåker in parœcia ÖfverLuleå d. 25 Aug. hujus anni (1843) a Cel. Prof. *Wahlberg* in unico specimine forte femineo inventa.

♀? "*Melanophora rorali* paullo longior, subcylindrica, longius setosa, nitidissima. Vertex declivus, setosus, nitidus, vitta media opaca. Frons prominens. Epistoma excavatum, lateribus inferne argenteo-, superne certo situ rufescenti micans. Vibrissæ breves. Setæ mystacinæ elongatæ. Antennæ epistomate paullo breviores, sublineares, articulis 2 basalibus apice rufescentibus, unde maculæ oriuntur; articulo ultimo oblique truncato ceteris simul sumtis fere longiore, seta subnuda, capillari, basi incrassata. Oculi brunnei, nudi, latius remoti. Palpi tenues, rufescentes, versus apicem dilatati & nigricantes. Thorax & scutellum nigra, nitida, pleuris præsertim albido-micantibus. Abdomen anguste conicum, nitidissimum, longe setosum, segmento 1:mo lateribus late rufo. Pedes spinosi, nigri, femoribus rufis, anticis superne macula apicali nigra, tarsis omnibus crassiusculis. Alæ versus costam fusciores, basi subflavicantes, nervo longitudinali 4:to angulatim flexo cum 3:tio procul ab exitu ejus juncto, nervo transverso ordinario flexo. Squamæ flavescentes". *Wahlb.*

*Obs.* An nostra species identica sit cum *Scopolia rufipede* Macq. & Meig. ob horum Auctorum brevitatem & insuffi-

cientiam speciei diagnoseos & descriptionis, dijudicare non possum.

**). Antennæ magnæ, latæ.

†. Nervus longit. 3:tius a basi ad nervum transversum medium setulosus.

4. *Sc. cunctans:* nigra, epistomate cinereo-micante; antennis amplis; palpis flavis; alis hyalinis costa anguste fuscana, nervis transversis: ordinario rectissimo, apicali levissime arcuato; squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 252. 2? *Tachina* Ejusdem 4. 419. 312? *Ocyptera* Zett. Ins. Lapp. 628. 2. ♂.

Hab. in Scandinavia, 2—30 Jul., minus frequens; scilicet in Scania ad Abusa rarissime; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia; in Lapponia Umensi ad Stensele in Pinu silvestri semel.

♂♀. Similis *Scopol. costatæ*, a qua vero magnitudine sæpe duplo minore, antennis adhuc validioribus, alarum costa obsoletius fuscata, abdominisque segmento 2:do in disco setis 2 & in margine apicali setis totidem, nec solum in margine apicali bisetoso, differt. Epistoma declivum, in medio latissimum, lateribus (inter carinas & oculos) valde angustis continue & valide setosis. Antennarum seta 3-articulata. Palpi flavi. Nervi transversi subperpendiculares, sæpius leviter fuscedine cincti; horum ordinarius exacte rectus, apicalis jam subrectus, jam levissime arcuatus. Spinula costæ parva.

*Obs.* Ob magnitudinem majorem & alarum "nervum transversum apicalem arcuatum" synonymon Meigeni dubium videtur. De palporum colore quoque omnino silet Auctor.

5. *Sc. borealis:* atra, epistomate albo-micante, antennis amplis; palpis flavis; alis hyalinis, nervis transversis rectis; squamis albis. ♀? (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Ocyptera* Zett. Ins. Lapp. 627. 1. ♀.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; specimen descriptum a Cel. Dom. Assessore *Deutsch* ante plures annos obtinui.

♀? Magnitudo *Sc. costatæ.* A *Sc. cunctante*, cui alias simillima, differt, præter magnitudinem majorem, etiam alis hyalinis, nec costa, nec nervis infuscatis, nervo transv. apicali recto, nec arcuato, & suboblique ducto, nec perpendiculari, nervo longit. 4:to paullo magis obtuso, area nonnihil longius petiolata, ut & spinula costæ paullo longiore.

6. *Sc. lugens:* "atra nitida; palpis flavis; hypostomate albo; alis infuscatis: nervo transversali apicali sinuato." Meig. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Meig. Dipt. 7. 252. 3. t. 71. f. 51 (abdomen). — *Tachina* Meig. Dipt. 4. 419. 313. ♀. *Melanophora* Macq. Buff. 2. 176. 10. ♂.

Hab. in Ostrogothia, ubi ad Gusum a D. *Wahlberg* in copula capta erit, ut Ipse mihi per litteras nuper notum fecit; a me nec deprehensa, nec visa.

♂♀. "Similis *Sc. cunctanti*, epistomate albo nigro-micante, alis totis brunnescentibus, margine tamen interiori dilutiori, distincta. Similis quoque *Sc. costatæ.* Nervi transversi: apicalis leviter flexus, ordinarius rectus, & ab apicali longius remotus, quam in *Sc. cunctante.* Palpi flavi". Meig. & Macq. l. c.

††. Nervus long. 3:tius a basi & ultra nervum transversum medium setulosus.

7. *Sc. latifrons:* nigra, capite cinereo, fronte latissima; palpis fuscis; alis hyalinis, nervis transversis: ordinario recto, apicali arcuato; squamis albis. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; e Suecia superiore a D. *Marklin* mecum communicata.

♀. Magnitudo & summa *Sc. costatæ* similitudo, sed fronte adhuc paullo latiore, alarum costa non infuscata, ut & nervo 3:tio ultra tranversum medium (usque ad medium areæ) setuloso, differt. Frons parum prominens, lata, cinerea, vitta lata concolore. Epistoma subperpendiculare. Palpi fusci. Antennæ mediocres. Thorax levissime schistaceo-micans. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis: ordinario rectissimo, apicali perspicue arcuato. Nervus long. 4:tus brevissime infra angulum continuatus. Reliqua ut in *Sc. costata.*

---

## 122. PHASIA Latr.

*Corpus* majoris, mediæ aut minoris magnitudinis, obtuse ovatum, latum, pubescens, haud setosum, abdomine rotundato, subdepresso. Antennæ incumbentes, epistomate dimidio breviores, articulo ultimo 2:do parum breviore, apice rotundato, basi seta dorsali, 3-articulata, nuda, vix ad medium incrascata, articulis basalibus brevissimis. Frons parum prominula, plus minus angustata, utrinque serie setarum haud validarum per setas 3—4 infra antennarum basin descendente. Epistoma perpendiculare, apice reflexum. Setæ mystacinæ haud validæ adsunt, at vibrissæ vix ullæ. Barba menti brevissima. Palpi subclavati. Oculi magni, nudi, sæpissime valde approximati; ferruginei. Alæ divaricatæ, latæ, omnino inermes. Nervi transversi: medius apici nervi long. 1:mi fere oppositus; ordinarius subrectus fere in

medio areæ mediæ insertus, ad marginem interiorem sat prope retractus. Nervus longitud. 4:tus arcuatim l. angulatim versus tertium rectum flexus; 3:tius in apice alæ excurrens. Area occlusa; sæpe longe petiolata. Spinula costæ nulla. Squamæ magnæ, sæpe subtrigonæ. Abdomen 5-annulatum, segmento ultimo sæpe parvo, retracto; totum subnudum. Pedes mediocres, pilosi, tibiis spinulosis. *Color* niger, obscurus. *Motu* volatu celerrima. *Habitatio* in floribus in primis Umbellatarum & Syngenesistarum; choreas in aëre more Tipulariarum interdum ducunt. *Differentia sexus; mas:* genitale incurvo, tuberculum parvum formante, articulato, nec sulcato; alis latioribus; unguibus pulvillisque longissimis; *femina:* apertura anali, antice tuberculata, stylum nitidum includente; alis plerumque minus amplis; unguibus pulvillisque modice longis.

*Obs.* Respectu habito ad diversam nervorum in alis directionem specierum præsertim peregrinarum, D. D. *Robineau Desvoidy* & *Macquart* hoc genus in plura, ut *Phasiam*, *Elomyiam*, *Alophoram* & *Hyalomyiam* juste diviserunt, quorum exemplum D. *Meigen* (in Dipteror. Supplem.) etiam secutus est, genus tamen *Hyalomyam* cum *Alophora* conjungens, & nomen *Elomyiam* l. *Helomyam* ut nimium cum *Helomyza* consonans, in *Anantam* mutans. Species vero Scandinaviæ pauciores ad *Alophoram* Meig. pertinentes sub genere Latreilliano *Phasia* retinui, eas in Sectiones & Subdivisiones secundum nervorum diversitatem dividens.

*Sect. 1:ma.* Alarum area media longe petiolata. *Alophora* Meig.

A. Area subtrigono-ovata; nervus transv. ordinarius leviter flexus medio l. mox pone medium areæ insertus. Majores. *Alophora* Macq.

1. *Ph. subcoleoptrata:* cinerascens, antennis, thoracis lineis 4, pedibusque, nigris; alis hyalinis, aut vittis

2 fuscis (♂), aut immaculatis (♀); area lata, subtrigona; ♂♀. (Long. ♀ 3, ♂ $3\frac{1}{4}$ lin.).

Latr. Gen. 4. 345. Meig. Dipt. 4. 190. 7. ♂♀. T. 39. f. 13. ♂. *Conops* Linn. Syst. Nat. 2. 1006. 13. ♂. *Thereva* Fabr. 217. 1. ♂. (exclus. synon. Panz. 74. t. 13. 14. quod ad *Ph. hemipteram* pertinet). Fall. Rhizom. 2. 1. ♂♀. *Alophora* Macq. Buff. 2. 201. 1. Meig. Dipt. 7. 284. 2.

Hab. in Suecia media, rarius; in Westrogothia a D. D. *Gyllenhal* & *Dalman* in floribus Salicis cinereæ & capreæ inventa; in Sudermannia ad Nyköping, Doct. *Walmstedt:* in Uplandia ad Upsaliam olim etiam deprehensa, teste Ill. *Linnè*, & in recentiore tempore, D. *Wahlberg*.

♂♀. Magnitudo *Muscæ vomitoriæ* minoris. Frons aut valde angusta (♀), aut modice angusta (♂); flavida, vitta media fusca, serie setarum utrinque simplici. Epistoma cinereo-albidum, inferne convexum. Palpi flavi. Abdomen fusco-cinereum, puberulum, segmento ultimo brevissimo. Alæ in ♂ amplæ, albidæ, vittis 2 brunneis, quarum exterior a basi ad medium costæ ducitur, & interior late cingit nervos 4:tum longitudinalem atque transversos; in ♀ modice latæ, hyalinæ, basi stramineæ. Nervus long. 4:tus in utroque sexu angulato-arcuatus. Squamæ sordide albidæ. Halteres flavi. Pedes nigri, unguibus pulvillisque in ♂ longissimis, in ♀ modice longis. — Variat ♂ abdomine toto ferrugineo. Similis sequenti, sed forma areæ in alis mox dignota.

2. *Ph. hemiptera:* obscure cinerascens, epistomate albido; antennis, thoracis lineis 4, abdominis ferruginei medio, pedibusque, nigris; scutello ferrugineo; alis aut fusco-flavoque variegatis (♂), aut hyalinis, immaculatis (♀); area ovato-lanceolata. ♂♀. (Long. ♀ 3, ♂ $3\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 191. 8. ♂♀. *Thereva* Fabr. Antl. 218. 2. ♂. *Alophora* Macq. Buff. 2. 202. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 284. 1. *Thereva subcoleoptrata* Schæff. Icon. T. 71. f. 6. Panz. Fn. Germ. 74. 13. ♂; 14. ♀. — *Thereva affinis* Fabr. Antl. 218. 4. ♀. Panz. Fn. 74. 16. ♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; e Strandmöllen Selandiæ a D. *Drewsen* ante plures annos communicata. (A D. *Meigen* individuum hujus quoque obtinui).

♂♀. A priori, cui similis, differt præcipue: thoracis lateribus pleurisque ferrugineo-pilosis, oculis (in ♀) magis cohærentibus, scutello livido, ut & in primis alarum area media ovato-lanceolata, apice scilicet angustiore, nervo long. 4:to obtusissime arcuato (nec angulato-arcuato), & nervo transv. ordinario paullo pone medium (nec in medio) areæ inserto. — Frons cinerea. Pedes nigri, femoribus posticis basi flavis. *Mas:* abdomen ferrugineum, vitta media plusminus lata, ante summum apicem abbreviata, nigra. Alæ latæ, flavidæ, basi subferrugineæ, vittis 2 fuscis, quarum una ultra medium costæ extensa, & altera in disco alæ sita. In apice alæ etiam macula fusca. *Femina:* abdomen nigrum, lateribus plus minus ferrugineum. Alæ modice latæ, hyalinæ, basi leviter flavidæ.

*Obs.* Pictura alarum & abdominis præsertim in ♂ mire ludere dicitur. Forma areæ in alis & pilositas flavo-ferruginea nitida constantiores præbent notas. Figura Panzeri *Ther. affinis* l. c. bene convenit cum specimine femineo a D. *Drewsen* e Dania misso.

B. Area apice rotundata, nervus scilicet longitudinalis 4:tus regulariter arcuatim curvatus; nervus transversus ordinarius rectus, medio l. mox ante medium areæ insertus. Minores. *Alophora* Meig. *Hyalomyia* Macq.

*). Nervus transv. ordinarius in medio areæ obovatæ insertus.

3. *Ph. muscaria:* griseo-cinerea, capite cano; antennis, thoracis lineis 4, abdominis segmento 1:mo, incisuris tenuiter, lineolaque dorsali angusta, pedibusque nigris; alis latis fuscis (♂), aut modice latis hyalinis (♀); squamis albidis; oculis in utroque sexu subcohærentibus. ♂♀. (Long. vix 2 lin.).

Meig. Dipt. 4. 196. 18. ♂. Zett. Ins. Lapp. 626. 1. ♂♀. *Thereva* Fall. Rhizom. 3. 2. ♂♀. typica. — *Alophora* Meig. Dipt. 7. 281. 17. *Thereva cinerea* Fabr. Antl. 221. 13. ♀. *Phasia* Meig. Dipt. 4. 198. 22. ♀. *Hyalomyia* Macq. Buff. 2. 201. 8. ♀. t. 15. f. 13. (ala). — *Alophora* Meig. Dipt. 7. 284. 19.

Hab. in graminosis, at frequentius in floribus Achilleæ, Chrysanthemi &c., per Scandinaviam, 15 Jul.—Aug.—15 Sept., passim; scilicet in Scania ad Esperöd raro; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum &c., passim; in Gottlandia ad Kjellunge; in Nericia ad diversorium Öskevik in floribus Achilleæ Millefol. 8 Sept. 1840 uterque sexus copiose; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Berge in Alsen, ad Faxelfven &c.; in parœcia ÖfverLuleå ad Storsand, 1843, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi ad Kengis & Muonioniska, parce. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Reinerzi Silesiæ a D. *Zeller*, missa).

♂♀. *Musca domestica* minor. Frons convexa cinerea, linea media angusta, nigra. Epistoma canum. Palpi parvi, fusci. Thorax griseus, lineis 4 anticis nigris. Scutellum nigricans. Abdomen opacum, canum, segmento 1:mo toto, in-

cisuris tenuissime, & lineola dorsali in segmentis 2 & 3, nigris. Variat autem in detritis abdomen frequenter nigro-æneum, nitidum, indumento cinereo hinc inde, & præsertim ad latera, remanente. Alæ basi pallide flavæ, in ♂ totæ fuscæ, in ♀ hyalinæ. Squamæ flavido-albidæ. Pedes nigri. Pulvilli albi, in ♂ cum unguibus longi, in ♀ mediocres.

4. *Ph. umbrata:* cinerea, capite cano; antennis; thoracis lineis 4, abdominis lineola dorsali angusta, pedibusque, nigris; alis latis cinereo-hyalinis, macula costali apiceque fuscis, nervis umbra cinctis; squamis albidis; oculis subcohærentibus. ♂. (Long. vix 2 lin.).

Wahlberg in litt. 1842.

Hab. rarius in insula Gottlandiæ, ubi a D. Prof. *Wahlberg* detecta; ibidemque etiam ad Fardhem & Gothem 2—18 Jul. 1841 ad D. *Dahlbom* & me deprehensa. (E Reinerzi, & Wienna, a D. *Zeller* communicata).

♂. Simillima mari prioris, a quo non differt nisi abdominis segmento 1:mo cinereo, nec nigro, & alis non totis fuscis, sed albido-cinereis, macula costali ante medium (apicem nervi auxiliaris transeunte) fusco-brunnea, apice alæ indeterminate fusco, ut & nervis præsertim transversis umbra fusca sat late cinctis.

*Obs.* Affinis videtur *Therevæ obesæ* Fabr., sed abdomine basi non nigro & alarum pictura alia, distincta. — E Reinerzi & Glogavia Silesiæ a D. *Zeller* plura specimina sub nomine: *Musca* (Phasia) *nebulosa* Panz. Fn. 51. 20. obtinui, quæ a nostra *Ph. umbrata* non nisi abdomine æneo-nigro, nitido differunt. An hæc specimina speciem propriam vel tantum varietatem detritam efficiant dijudicare non possum.. — Nec Meigeni *Phas. atropurpurea*, *hamata* & *nubeculosa* ab Ejusdem *Ph. nebulosa* multum differre videntur.

5. *Ph. grisea:* cinerea, capite cano; antennis, thoracis lineis 4, abdominis lineola dorsali angusta, pedibusque, nigris; alis modice latis, hyalinis, squamis albis; oculis subcohærentibus. ♀. (Long. vix 2 lin.).

Hab. in Gottlandiæ pratis rarius; ad Fardhem & Stenkyrka 2—30 Jul. 1841 3 specimina inveni. (Eadem e Reinerzi sine synonymia a D. *Zeller* communicata).

♀. Simillima iterum priori, cujus femina forte est. Differt ab illa tantum alis hyalinis, immaculatis, & unguibus pulvillisque multo brevioribus. *Ph. muscariæ* feminæ quoque valde similis, & vix nisi abdominis basi cinerea ab illa dignoscitur. — Epistoma læte canum. Frons cinerea, linea angusta nigra. Thorax cinereus, vittis 4 nigris. Scutellum nigricans. Abdomen cinereum, opacum, segmentis: 1:mo obscure cinerascente, 2:do & 3:tio lineola dorsali fusca, raro in segmento 4:to continuata. Alæ hyalinæ, basi stramineæ. — Var. ♀ minor (1½ lin. longa) in Smolandia a D. *Ljungh* inventa mihique ante plures annos communicata).

6. *Ph. flavipennis:* griseo-cinerea, capite cano; antennis, thoracis lineis 4, pedibusque nigris; abdominis disco æneo, nitido; alis (♂) latis albidis, basi flavis, apice dilute fuscis, nervis mediis umbra leviter cinctis; squamis albidis; oculis subcohærentibus. ♂. (Long. circit. 2 lin.).

Wahlberg in litt. 1843.

Hab. in floribus Achilleæ Millefol. in parœcia Öfver-Luleå Bottniæ borealis, 23—28 Aug. 1843, primum a Prof. *Boheman* ad pagum Storsand inventa, deindeque a Prof. *Wahlberg* & D. *Andersson* ad pagos Bredåker & Råbäcken in societate cum *Ph. muscaria* lecta.

♂. A. *Ph. muscaria* (3), cui de cetero simillima, differt: magnitudine paullo majore, abdominis disco magis nitido, & præcipue alis latioribus, basi flavis, medio albis (nec continue fuscis), nervis dilute infuscatis, apice fusco. Similis quoque *Ph. umbratæ* (4), sed abdomine metallice nitente, nec cinereo, alis latioribus, basi flavis, interstitio costali ad basin minus infuscato, nervisque umbra dilutiori cinctis, dignota. Caput, thorax, nervorum directio, squamæ & pedes ut in *muscaria & umbrata*. Sed abdomen (an detritum?) supra cupreum, nitidissimum, limbo omni anguste cinereo-pruinoso, opaco. Alæ latæ, segmento 1:mo costali in primis dilatatum, sordide albidæ, basi late flavæ, nervis umbra dilute fusco-flavida cinctis. Totus apex alæ (usque ad apicem areæ) fuscus.

*Obs.* *Ph. nervosæ* Meig. valde quoque affinis videtur, vix tamen eadem.

7. *Ph. pusilla:* nigra, epistomate subargenteo; abdomine cano, segmento 1:mo lineolaque dorsali angusta, nigris; alis hyalinis, squamis albis; oculis cohærentibus. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 198. 23. *Hyalomyia* Macq. Buff. 2. 204. 9. *Alophora* Meig. Dipt. 284. 20.

Hab. in Scania minus frequens; ad Sandhammar & ad Esperöd prope Kivik 10--15 Aug. 1837 specimina 4 inveni. (E Glogavia & Wienna a D. *Zeller* missa).

♀. Parva. Caput albidum, lineola frontali angustissima nigra. Frons minime prominens. Antennæ nigræ, cinereo-micantes. Abdomen canum, opacum, segmento 1:mo toto, lineaque dorsali per segmentum 2:dum fere totum & ad medium 3:tii continuata, nigris. Segmentum vero 2:dum loco lineolæ macula dilatata denudata nigra sæpe gaudet. Alæ hyalinæ, basi subpallidæ. Squamæ albæ. Pedes nigri,

unguibus pulvillisque brevibus. — Individua plura congregata choreas in aëre instituunt, teste D. *Macquart.*

**). Nervus transvers. ordinarius mox ante medium areæ oblongæ insertus.

8. *Ph. hyalipennis:* atra nitida, epistomate argenteo-micante; alis hyalinis, squamis nigricantibus; in ♂ remotiusculis, in ♀ cohærentibus. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 4. 199. 25. *Thereva* Fall. Rhizom. 4. 3. ♂♀. (sed ♂ apud Clar. Auctorem est ♀, & contra). — *Hyalomyia* Macq. Buff. 2. 204. 10. *Alophora* Meig. Dipt. 7. 284. 22.

Hab. in floribus Laserpitii &c., per hortos & prata Sueciæ mense Julio, rarius; scilicet in Scania ad diversorium Röstånga, villam Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg.*

♂♀. Tota atra, nitida, immaculata. Caput argenteo-micans, linea frontali nigra in ♀ postice angustissima, in ♂ modice angusta. Frons non prominens. Oculi ferruginei, in ♂ mediocres, in ♀ magni. Abdomen in ♂ ovatum, ano incrassato; in ♀ rotundatum, depressum, ano non incrassato. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Area angustata, longe petiolata. Squamæ parvæ, brunneæ. Halteres obscuri. Ungues & pulvilli breves.

9. *Ph. nana:* nigra subnitida, epistomate argenteo-micante; alis nigricantibus, apice albis, squamis obscuris; femoribus lividis; oculis remotiusculis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 4. 199. 26. *Thereva* Fall. Rhizom. 4. 4. ♀. typica. — *Alophora* Meig. Dipt. 7. 284. 23.

Hab. in Scania rarissime; duo tantum specimina lustravi, unum (♀) in horto Esperöd a D. Prof. *Fallèn* inventum, & alterum (♂) ad Lomma in campo arenoso prope littus maris d. 20 Jul. 1830 a me captum. ♀ major, in Smolandia ni fallor, a D. *Boheman* quoque deprehensa.

♂♀. Priori affinis, sed paullo minor, angustior, fusco-nigra & minus nitida. Frons modice angusta. Abdomen in ♂ subcylindricum, ano inflexo; in ♀ ovatum, ano rufo, an semper? Alæ parum latæ, fuscæ, apice (usque ad nervum transv. apicalem) albo. Nervi ut in priori directi. Squamæ parvæ, brunneæ. Halteres sordide albidi. Pedes in ♂ fusco-lividi; in ♀ nigri, femoribus livido-flavis, unguibus pulvillisque in utroque sexu parvis.

10. *Ph. pygmæa:* nigra subnitida, epistomate albido-micante; alis hyalinis, costa nigricante, apice albis, squamis obscuris; oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 4. 200. 27. *Thereva* Fall. Rhizom. 4. 5. ♂. *Alophora* Meig. Dipt. 7. 284. 24.

Hab. in Suecia valde rara; scilicet in Scania, in horto Beckaskog mense Julio a D. *Fallèn* semel capta; in Ostrogothia in folio fruticis Populi tremulæ in Krogarängen prope Wadstena 11 Aug. 1829 marem unicum inveni; & ♀ in Gottlandia d. 8 Maj. a D. Prof. *Sundevall* deprehensa.

♂♀. Valde similis & affinis præcedenti, sed differt præcipue: colore corporis nigriore, oculis cohærentibus, alis albido-hyalinis, costa tantum nigricante, ut & pedibus totis nigris, nec femoribus testaceis. Frons & regio sub ore perspicue pilosæ. Palpi parvi, obscuri. Alas in mare vivo vibrantes vidi.

11. *Ph. fasciola:* atra opaca, epistomate griseo; abdomine fasciis 3 interruptis ferrugineis; alis hyalinis, squamis fuscis; pedibus obscuris; oculis cohærentibus. ♀? (Long. vix 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 626. 3. ♂. (an ♀?).

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Pino sylvestri ad Lycksele Lapponiæ Umensis 19 Jun. 1832 inventa.

♀? Atra, pilosa. Frons non prominens, postice angustissima, supra antennas testacea. Antennæ brevissimæ, rotundatæ, nigræ. Epistoma in medio cinereum, lateribus testaceum. Proboscis nigra, apice flavida. Palpi testacei, apice nigricantes. Abdomen rotundatum, subdepressum, pilosum. Incisuræ 1, 2 & 3 ferrugineæ, fascias tres transversas, rectas ad latera dilatatas, in medio interruptas efficientes. Alæ modice latæ, cinereo-hyalinæ. Squamæ mediocres, dilute fuscæ. Halteres obscuri. Pedes obscure lividi, tibiis tarsisque dilutioribus; unguibus pulvillisque brevissimis.

12. *Ph. zonella:* opaca, thorace cinereo; capite pallido, antennis, vitta frontali, pedibusque, flavis; tarsis fuscis; alis hyalinis, squamis albis; abdomine nigro, fasciis 3 interruptis ferrugineis; oculis remotis. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 627. 4. ♀. *Hyalomyia fasciata* Macq. Dipt. 71. 9? ♀. *Alophora* Meig. Dipt. 7. 290. 26? ♀.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; in Pino ad Stensele d. 3 Jul. 1832 in uno individuo deprehensa.

♀. Affinis priori, sed in multis diversa. Caput flavo-albidum. Frons modice lata, vitta latiuscula, aurantiaca, utrinque pilosula. Antennæ rotundatæ, flavæ. Palpi flavi. Regio

sub ore brevissime albo-pubescens. Oculi parvi, rotundi. Thorax & scutellum cinerea, pilosa. Abdomen ut in priori constructum & pictum, at macula flava ad latera in segmento 1:mo etiam conspicitur. Alæ ut in præcedente. Squamæ mediocres, & halteres, albida. Pedes flavi, posticorum femorum tibiarumque apice, tarsisque omnibus, fuscis. Ungues pulvillique minuti.

*Sect.* 2:*da.* Alarum area media breviter petiolata. Alæ haud dilatatæ,

13. *Ph. opaca:* nigra, opaca, epistomate canescente; alis cinereo-hyalinis, squamis albis; oculis cohærentibus. ♂? (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 626. 2. ♂.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ rarissime; scilicet ad diversorium Björkvik juxta Ofotenfjord d. 14 Jul. 1821 semel a me inventa.

♂? Affinis & similis *Ph. fasciolæ* (11), sed tota nigra & area breviter petiolata dignota. Tota pilosa. Oculi magni in vertice cohærentes. Epistoma cinereum. Palpi nigri. Frons supra antennas triangularis, nigra, linea utrinque ad oculos albida. Abdomen rotundatum, depressum, certo situ leviter cinereo-fasciatum. Anus breviter inflexus. Alarum nervi: longitudinalis 4:tus obtuse angulatus; transversus ordinarius paullo ante medium areæ sublanceolatæ insertus. Squamæ majusculæ, albæ. Femora nigra. Tibiæ tarsique nigro-fusca. Ungues & pulvilli minuti.

14. *Ph. ruficeps:* nigra, subopaca, capite albo-rufescente; antennarum basi, vitta frontali femorumque basi ferrugineo-flavis; abdomine cinereo-marmorato; alis hyalinis, squamis albis; oculis remotis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 627. 5. ♀.

Hab. cum priori rarissime; in foliis Betulæ albæ ad Björkvik Norvegiæ 14 Jul. duo specimina inveni.

♀? Similis præcedenti, nonnihil major, oculis distantibus, ut & capitis femorumque colore, præsertim dignota. Pilosa. Caput rufescens, albo-micans. Frons lata, cinerea, vitta lata, aurantiaca. Antennæ breves, rotundatæ, ferrugineæ, articulo ultimo cum seta nigris. Setulæ mystacinæ paucæ, nigræ. Pubescentia sub ore brevis, nitida, alba. Palpi albidi, in altero exemplo apice subfusci. Oculi non magni, rotundati. Thorax niger, levissime cinereo-micans. Abdomen rotundatum, depressum, nigrum, subnitidum, fasciis indeterminatis cinereis. Anus summo apice albido. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis ut in priori directis. Squamæ majusculæ, albæ. Halteres fusci. Pedes pilosi, nigri, femoribus omnibus basi indeterminate, coxisque anticis, flavis. Ungues pulvillique minuti.

15. *Ph. convexa:* "breviter ovata, convexa, supra cinerea nigro-maculata, subtus nigricans; antennis pedibusque nigris; alis hyalinis, nervo longitudinali 4:to arcuatim flexo, in apice alæ, mox ante exitum cum tertio juncto. ♀?" (Long. circit. 2 lin.).

Wahlb. in litt. 1813.

Hab. in floribus Achilleæ Millefolii ad Råbäcken in parœc. Öfver-Luleå Bottniæ borealis d. 28 Aug. 1813 in unico exemplo a Cel. Prof. *Wahlberg* detecta.

♀? Speciem ipsam non vidi, ergo descriptionem illam completam, a Cel. Detectore communicatam, heic immutatam reddam. "*Femina?* Magnitudine & statura brevi *Ph. muscariæ*, setosa, capite abdomineque multo convexioribus. Caput magnum, thorace latius, oculis maximis, semiglobosis, brunneis, glabris, superne interstitio satis angusto disjunctis. Vertex ater, velutinus, inferne dilatatus, longe setosus.

Frons planiuscula, minime prominula. Epistoma subconvexum, immarginatum, apice prominulum, plumbeo-albidum, orbitis argenteis & setis oris longioribus. Antennæ epistomate dimidio breviores, incumbentes, nigræ, articulo ultimo brevi, rotundato, seta longe capillari, nuda. Palpi parvi, angusti, fusco-testacei. Thorax convexus, atro-albidoque varius, disco scilicet atro, lateribus posticeque maculis majoribus albidis cinctus, quarum 2 utrinque laterales & unica velut gemina postice supra scutellum posita. Pleuræ cinerascentes. Scutellum atrum. Abdomen rotundatum, supra convexum, subtus fere planum, dorso cinereum, setosum, segmento 1:mo toto, maculisque 2 dorsalibus magnis trigonis secundi atris. Pedes nigri spinosi, femoribus præsertim anticis subtus nigro-ciliatis. Alæ latiusculæ, hyalinæ, nervis ut in diagnosi indicatum directis, transverso ordinario recto. Squamæ magnæ, flavescenti albidæ.

---

## 123. GYMNOPEZA Zett.

*Corpus* parvum, oblongum, subnitidum, nudum. Antennæ incumbentes, brevissimæ, rotundatæ, articulo ultimo 2:do non duplo longiore, compresso, apice subobtuso, basi seta dorsali biarticulata, articulo basali brevissimo; nuda, basi incrassata. Frons convexa, haud prominens, glabricula. Ocelli in vertice 3. Epistoma perpendiculare, breve, apice non reflexum. Os non mystacinum, sed peristoma brevissime pubescens. Palpi & proboscis retracta. Oculi magni, nudi; cohærentes (♂), aut remoti (♀). Alæ divaricatæ, subangustatæ, inermes. Nervi longitudinales: 1:mus ad medium costæ extensus; 3:tius 4:tusque leviter flexi in summo apice alæ cum nervo costali fere coëuntes; 5:tus ad marginem interiorem continuatus. Nervi transversi: medius apici nervi longit. 1:mi oppositus; ordinarius perpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ lanceolatæ apiceque an-

gustæ apertæ insertus. Squamæ mediocres. Halteres subnudi. Abdomen ellipticum 5? — (4?) annulatum, segmento 1:mo 2:do nonnihil longiore, ano inflexo; totum glabrum. Pedes mediocres, inermes, nudi; hinc nomen generis. *Color* niger. *Motus* — — —. *Habitatio* in floribus & campis aridis. *Differentia sexus; mas:* oculis cohærentibus, ano modice inflexo, unguibus pulvillisque minutis; *femina:* oculis late remotis, fronte punctulata, ano cylindrico, longissime inflexo, unguibus pulvillisque minutissimis. Similis *Phaniæ*, sed ore non mystacino, instrumentis cibariis retractis, antennis brevioribus & corpore toto glabro, dignota. A *Phasia*, cui etiam sat similis, glabritie corporis, alarum area media lanceolata, apice subaperta, ut & cauda feminæ longe inflexa, vere differt.

1. G. *albipennis:* nigra, epistomate subargenteo-micante; alis squamisque albis. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. p. 629 in observat. sub *Phania thoracica.*

Hab. in Suecia rarius; in Scania ad Esperöd prope Kivik 20 Jul. 1817 specimen unicum inveni; e Smolandia a D. *Boheman* 1834 benigne communicata.

♂. Tota nigra, subnitida, omnium tenuissime l. vix visibiliter puberula. Oculi maximi, postice cohærentes. Antennæ fuscæ. Frons brevissime nigro-subpubescens. Epistoma albido-micans. Pubescentia sub ore brevissima, nigra. Thorax brevissime puberulus. Abdomen glabrum, genitale tuberculato, inflexo. Alæ albidæ, nervis albis. Squamæ albæ. Halteres nigricantes. Pedes nigro-picei, tenuiter pilosuli. Tibiæ posticæ incurvæ, basi coarctatæ. Pulvilli minuti, albi.

2. G. *denudata:* nigra; alis infuscatis, squamis albis. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia rarius; in Scania in campo arenoso ad littus maris prope Lomma d. 6 Jun. 1826 duo individua inveni; e Smolandia quoque a D. *Boheman* missa.

♀. Similis priori; an ejus femina? Differt ab illa præcipue: corpore glaberrimo, oculis remotis, & alis fuscis. Frons lata, punctulata, stria media impressa. Antennæ fuscæ. Epistoma parum cinerascens. Oculi mediocres. Cauda longe inflexa ventris basin fere attingens, apice rufo-uncinata. Alæ aut fuscanæ, basi albescentes, aut subhyalinæ, nervis late infuscatis, & ima radice sordide albida. Squamæ non magnæ, albæ. Halteres pallidi, clava obscura. Pedes nigri, femoribus nigro-fuscis.

---

## 124. XYSTA Meig. *)

*Corpus* medium, oblongo-ovatum, subcylindricum, pubescens & setosum. Antennæ incumbentes, epistomate duplo breviores, articulo ultimo 2:do paullo longiore, compresso, basi seta dorsali nuda aut subnuda, biarticulata, vix ad medium incrassata. Epistoma subcontractum. Os mystacinum. Palpi subfiliformes. Frons subprominens, setulosa. Vibrissæ spuriæ. Oculi magni, nudi, approximati (♂), aut paullo remoti (♀). Abdomen ovatum, convexum, 5—6-annulatum. Alæ divaricatæ, mediocres, inermes, hyalinæ. Nervi longitudinales: 3:tius rectus; 4:tus angulatim flexus in apice l. paullo ante apicem alæ excurrens. Nervi transversi: medius nonnihil infra apicem nervi long. 1:mi ductus; ordinarius aut in medio aut mox pone medium areæ apertæ insertus. Squamæ mediocres. *Color* nigricans. *Motu* agi-

---

*) *Xysta* est nomen quoque Coleopterorum generis inter *Melastomata*. Cfr. Magazin de Zoologie par *Guerin*. Paris 1833. p. 30. 31.

lis. *Habitatio* — — —. *Differentia sexus* non rite cognita; sed in altero sexu, forte masculo, oculi appropinquantes; in altero, forte femineo, oculi modice remoti, & anus aculeo exserto, recto. Genus dubium.

1. *X. striginervis:* glauco-cinerea, fronte prominente subargentea; antennis, vitta frontali, thoracis vittis 3, abdominis maculis triplici serie, pedibusque, nigris; alarum nervo longit. 3:tio versus apicem strigulis 3 minutis. ♀? (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 633, 1. ♀?

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; ad lacum Wojmsjön parœciæ Wilhelminæ d. 11 Jun. 1832 specimen descriptum detegi.

♀? *Muscæ domesticæ* habitu similis. Affinis *Tachinæ*, cujus speciem primo obtutu & ante examen adcuratius crederes. Caput argenteum. Frons prominens, modice lata, vitta latiuscula atra, serie setarum utrinque postice subduplici. Epistoma subperpendiculare, infra oculos non magnos ovales descendens, lateribus tenuissime pilosulum. Setæ circa os utrinque plures, sed non validæ. Vibrissæ nullæ, sed loco illarum pili minuti. Proboscis & palpi exserta, nigra. Thoracis vittæ nigræ latæ, media subduplicata. Abdomen ovatum, pubescens, glaucum, maculis trigonis triplici ordine dispositis, basi subcohærentibus, nigro-brunneis, 1:mo segmento fere toto nigricante. Segmenta distincte 5, subæque longa, 1 & 2 margine apicali in medio bisetosa, 3, 4 & 5 margine apicali multisetota. Ex apice ani erumpit stylus corneus, subulatus, longitudine segmenti 5:ti, rectus, niger, nitidus. Alarum nervus long. 4:tus subrectangulatim flexus, infra angulum apparenter subcontinuatus: longitudinalis 3:tus ad apicem strigulis 3 transversis minutissimis, oculo tantum armato observandis. Nervi transversi: ordinarius subobliquus paullo pone medium areæ insertus; api-

calis incurvus ante apicem alæ in costa excurrens. Area Aperta, Spinula costæ nulla. Squamæ albæ, inferior magna. Halteres albidi. Pedes pilosi. Tibiæ Spinulosæ. Pulvilli albi & ungves, longiusculi.

2. *X. grisea:* obscure cinerea, fronte parum prominente subargentea; antennis angulo supero acuminato, totis, vitta frontali, palpis, thoracis antico lineolis 4 obsoletis, pedibusque, nigris. ♂. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 633. 2. ♂.

Hab. in Dalecarlia; a D. *Boheman* detecta mihique benevole communicata.

♂. Subsimilis priori; sed magnitudine paullo minore, fronte vix prominula, oculis majoribus magis appropinquantibus, antennis apice superne distincte acuminato, epistomate lateribus nudo, infra oculos parum descendente, thoracis lineolis anticis angustioribus minus perspicuis, abdomine cinereo, haud maculato, aculeo anali nullo, alarum nervis transversis: ordinario subperpendiculari in medio areæ inserto, apicali parum curvo fere in apice alæ excurrente, area occlusa sessili, nervo long. 4:to angulato-arcuatim flexo, ut & longitudinali 3:tio absque strigulis, abunde dignota. Proboscis apice rufa. Abdomen conicum, ut in priori setosum; griseum, vix fuscomaculatum. Segmenta tantum 4 perspicua. Squamæ sordide albidæ. Halteres pallidi. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes, pulvillis albis ungvibusque, mediocribus.

---

Nov. genus Wahlbergianum *Cinochira* statura quidem *Gymnopezæ*, seta nuda & toto habitu *Ocypteræ* l. *Tachinæ* parvæ affine & simile; sed propter nervorum in alis directionem, *Cyrtoneuræ* valde appropinquantem, ad Familiam Muscariarum forte rectius relegandum.

---

# 125. DEXIA Meig.

*Corpus* majoris aut mediæ magnitudinis, subcylindricum aut oblongum, pubescens & setosum, abdomine subconico. Antennæ incumbentes, breviusculæ, articulo ultimo 2:do duplo l. triplo longiore, compresso, basi seta dorsali, aut tota dense plumata, aut saltem distincte pubescente. Frons sæpe prominens, setosa. Oculi oblongi, nudi, in ♂ approximati, in ♀ sat late remoti. Epistoma nudum, in medio plerumque carinatum. Vibrissæ nullæ. Os mystacinum. Palpi filiformes aut subclavati; setulosi. Abdomen 4-annulatum, segmentis: 1:mo plerumque paullo breviore, interdum inermi, 2 & 3 in disco & margine apicali sæpe setosis, & 4:to undique setoso. Alæ divaricatæ. Nervi longitudinales: 3:tius rectus, basi sæpissime setulis 3—5; 4:tus angulatim, raro arcuatim, flexus, l. in apice l. paullo ante apicem alæ excurrens. Nervus transv. ordinarius pone medium, raro in medio, areæ sæpissime apertæ insertus. Squamæ mediocres. Pedes elongati. *Color* obscurus aut grisescens, numquam metallicus. *Motu* agilis. *Larvæ* in vegetabilibus putridis vivunt teste D. *Robineau Desvoidy*. Plures vero species certe parasitæ in aliorum insectorum larvis degunt. Imagines innocuæ e melle florum nutrimentum hauriunt, loca elevata præsertim amantes, in foliis fruticum & graminum sedentes. *Differentia sexus; mas:* frons angustata, serie setarum utrinque simplici; abdomen conicum; ungues & pulvilli elongati; tuberculum anale inflexum; *femina:* frons lata, serie setarum utrinque duplici; abdomen oblongum, vagina anali brevi; ungues & pulvilli breves. — *Muscæ Sylvaticæ* nobis Ins. Lapp.

*Subdiv. 1:ma.* Alarum area media apice aperta (*D. grisescens* area subocclusa in *Subd. 2:da* quærenda).

A. Seta antennarum plumata.

*a*). Seta longe plumata.

*. Nervus transversus apicalis sursum flexus.

†. Antennæ & pedes flava. Alarum costa spinula distincta.

1. *D. canina:* cinerea, thoracis dorso flavo-grisescente, nigro-lineato; abdominis fasciis tarsisque fuscis; antennis, palpis pedibusque flavis; alis basi flavescentibus, nervo longitudinali 4:to infra angulum distincte continuato. ♂♀. (Long. 3—3¾ lin.).

Meig. Dipt. 5. 47. 24. ♂♀. & 7. 270. 12. Macq. Buff. 2. 212. 2. T. 15. f. 17. ala. — *Musca* Fabr. Antl. 296. 60. Fall. Muscid. 41. 8. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 653. 2. ♂♀.

Hab. in lucis & pratis umbrosis, libenter in Coryletis, mense Julio & Aug., passim; scilicet in Scania ad diversorium Röstånga; Ringsjön, Abusa, Esperöd &c., frequens; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Egebylund &c.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Dania, passim. Mas in folio fruticis sedens, sole sereno avolat, mox ad idem punctum revertens; quem lusum sæpe repetit. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Magna, subcylindrica, opaca. Caput canum, genis carneis. Frons prominens subflavida, in ♂ angusta, in ♀ latior, vitta in utroque sexu sordide ferruginea. Antennæ angustæ, lineares, cum seta flavæ. Epistoma in medio retusum, apice non exsertum. Setæ mystacinæ & setæ sub ore nigræ. Palpi & proboscis flava. Thorax cinereus, dorso griseo l. flavido, lineis in medio 2 anticis angustis, & vitta laterali utrinque abbreviata, maculiformi, fuscis. Scutellum cinereum. Abdomen cinereum (raro supra griseum), fascia ante apicem segmentorum 1, 2 & 3 fusca certo situ maculas 3

(1 in medio & 2 laterales) in singulo segmento obscuras formante. Segmenta: 1:mum breve, subinerme; 2 in medio apicis bisetosum; 3:tium margine apicali 6-8 setosum; 4:tum postice multisetosum. Alarum nervi longitudinales: 3:tius versus apicem paullo flexus, basi 4-5-setulosus; 4:tus sub angulo subacuto sat longe continuatus; transversi: medius longe ante apicem nervi long. 1:mi situs; ordinarius flexus, pone medium areæ insertus; apicalis basi valde incurvatus, mox ante apicem alæ in costa excurrens. Area modice aperta. Spinula costæ distincta. Squamæ albidæ (superior parva), pallido-marginatæ. Halteres pallidi. Pedes elongati, flavi, nigro-spinosi. Tarsi inermes, fusci, nigro-pubescentes. Pulvilli albi, in ♂ elongati. — Variat detrita abdomine nigricante.

2. *D. rustica:* cinerea, thoracis dorso flavo-grisescente, nigro-lineato; abdomine in ♂ ferrugineo-pellucido, vitta dorsali fusca, continua; scutelli apice anoque in utroque sexu testaceis; antennis, palpis pedibusque rufo-flavis, tarsis nigris; alarum nervis flavescentibus, longitudinali 4:to vix l. parum infra angulum continuato. ♂♀. (Long. 4—$4\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 46. 22. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *Musca tachinoides*, quæ est *Tachina circumflexa* nob. n:o 173), & 7. 270. 8. Macq. Buff. 2. 211. 1. ♂♀. (exclus. syn. Fall. *Musca tachinoides*). *Musca rustica* Fabr. Antl. 296. 61. ♀.

Hab. in Scandinaviæ nemoribus, mense Julio & Aug., minus frequens; scilicet in Scania rarius; in Ostrogothia ad Gusum (in foliis Pteridis capta, sub nom. "*Dex. inanis* n. sp." a D. *Wahlberg* missa, ♂.), ad Lärketorp &c., ipse; in Dania ad Hafniam, D. D. *Fabricius* & *Staeger*. (E Glogavia a D. *Zeller* ♂ sub nom. "*Dex. vacua*", signo dubitationis adjecto, communicatus).

Var. b. *D. lyrata* ♂. abdomine ferrugineo-pellucido, vitta dorsali fusca lyrata seu inæquali, nec lineari ut in var. a. cui alias simillima. In Scania ad Lindholmen 10 Jul. 1838 semel a D. *Dahlbom* deprehensa.

♂♀. Valde similis & affinis priori; sed differt: magnitudine plerumque nonnihil majore; antennis forte paullo brevioribus; epistomate in medio carinato; scutelli apice anoque testaceis; setis quibusdam etiam in disco segmentorum abdominis 2:di & 3:tii præsentibus; alarum nervis (sed vix alarum basi) flavescentibus, longitudinali 4:to infra angulum subdescendentem aut non aut tantum brevissime continuato; tarsis totis nigris; fronte in ♂ paullo angustiore, abdomineque flavo-diaphano, vitta media angusta nigro-fusca; ut & abdomine in ♀ toto cinereo l.griseo, immaculato, nec fusco-fasciato; abunde distincta. — Variat ♀ abdomine nigricante in speciminibus detritis.

3. *D. vacua*: cinerea, thoracis dorso flavo-grisescente, nigro-lineato; abdomine in ♂ flavo-pellucido, vitta dorsali fusca, subinterrupta, in ♀ cano, nigro-fasciato; scutelli apice in utroque sexu subtestaceo; antennis, palpis pedibusque rufo-flavis, tarsis nigris; alarum nervis fuscis, longitudinali 4:to vix l. parum infra angulum continuato. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Var. a. ♂♀. nervo alarum longitudinali 4:to infra angulum minime continuato.

Meig. Dipt. 5. 16. 23. ♂♀. & 7. 270. 13. Macq. Buff. 2. 212. 3. ♂♀. *Musca* Fall. Act. Holm. 1816. p. 240. 10. ♂♀. & Muscides 42. 10. ♂♀. vera.

Var. b. ♂♀. nervo alarum longitud. 4:to infra angulum inchoante s. breviter continuato.

Hab. utraque varietas in foliis fruticum, præsertim

Coryli & Qvercus, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 15 Jul.—Aug.—23 Sept., passim, in copula; scilicet in Scania ad Abusa, Skarhult, Ringsjön (D. *Petersson*), Lindholmen, Esperöd, &c., haud raro; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, Medhamra &c., frequens; in Dania ad Hafniam, D. *Dahlbom*. (E Glogavia a D. *Zeller* missa). Mores *Dexiæ caninæ*; at præsertim vespere ante solem occidentem vigens.

♂♀. Simillima *D. rusticæ;* differt vero certe ab illa: magnitudine plerumque fere duplo minore; abdominis vitta dorsali in ♂ non integra, sed subinterrupta h. e. in singulo segmento versus basin angustata l. evanescente; abdomine in ♀ cinereo, segmentis omnibus apice fascia sat lata nigra; ut & alarum nervis in utroque sexu fuscedine plus minus perspicua cinctis. Abdomen in ♂ certo situ fasciis subalbicantibus micat, & alio situ incisuræ tenuiter nigrescunt. Anus ♀ niger, nec ut in priori rufescens.

††. Antennæ & pedes nigra. Alarum costa spinula nulla. *Sericocera* Macq. *Thelaira* Rob. Desvoid.

4. *D. leucozona:* nigricans, subnitida, thoracis lateribus albicantibus; capite argenteo, vitta frontali antennisque nigris, palpis flavis; alarum nervis longitudinalibus 1 & 3 basi multi-setulosis; abdomine fasciis albicantibus, in ♂ lateribus ferrugineo-diaphano. ♂♀. (Long. ♀ 3, ♂ 4 lin.).

*Mas:* frons angustata, utrinque simplici serie dense setulosa; abdomen nigrum, fascia basali in segmentis 2, 3 & 4 interrupta, alba; segmentis iisdem (2, 3, 4) lateribus plus minus late testaceo-vel ferrugineo-pellucidis; alæ abdomine longiores; pulvilli elongati;

*Fem.:* frons modice lata utrinque duplici serie parce setosa; abdomen nigrum, fascia basali in segmentis 2, 3 & 4 subinterrupta, glauco-alba; alæ longitudine abdominis; pulvilli parvi.

Meig. Dipt. 5. 37. 7. ♀. & 7. 270. 1. *Musca* Panz. Fn. Germ. 104. 19. ♀. (in figura oculi approximati marem repræsentant, & area alarum immerito occlusa depicta). — *Sericocera* Macq. Buff. 2. 165. 5. ♀. (♂ male etiam huc refertur). — *Musca nigrina* Fall. Muscid. 42. 12. ♀. (male etiam ♂). — *Musca nigripes* Fabr. Antl. 293. 47. ♂. — Panz. Fn. Germ. 104. 18. ♂. *Dexia* Meig. Dipt. 5. 38. 8. ♂. *Sericocera* Macq. l. c. 167. ♂. *Musca lateralis* Fall. Muscid. 42. 11. ♂. (immerito quoque ♀).

Hab. in graminosis, Umbellatis & foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 15 Jun. usque ad 22 Aug., haud rara; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Abusa, Tranås, Esperöd &c., sat frequens; in Ostrogothia rarius; in Westrogoth. ad Gothoburgum; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; ad Holmiam, D. *Stenhammar*; in Dania rar., D. *Staeger*. (Ad Rixdorf, Johannis Thal & Rudower, prope Berolinum, Jul. 1812 a D. *Dahlbom* lecta; e Glogavia in utroque sexu a D. *Zeller* communicata). — E pupa ovali, brunnea (larva educata) exclusa 2 Febr.; & alia vice imagines plures utriusque sexus 24 Jun. egressæ e pupis, quæ e larvis *Bombycis (Cheloniæ) Cajæ & lubricipedæ* proventæ erant. — Individua quidem non copulata inveni; sed cum e *D. leucozona* numquam nisi feminea, & e *nigripede* numquam nisi mascula, et talia etiam simul sæpe exclusa, inveni, mihi persvasissimum est, illa ad unam eandemque speciem pertinere.

♂♀. Frons & epistoma non prominentia. Vitta frontalis lata, atra, puncto supra antennas albo. Antennæ nigricantes, lineares; seta longe plumata. Oculi valde oblongi. Epistoma in medio non carinatum, apice non exsertum. Thoracis latera & pleuræ cinerea. Abdominis segmenta subæque longa; 1:mum in medio apicis bisetosum, reliqua in disco & margine apicali setosa. Alæ cinereo-hyalinæ, basi parum ferruginantes. Nervi ut in *D. rustica* directi, at longitudinales: 1:mus fere totus, & 3:tius basi, multisetosi; nervus quoque transversus apicalis minus incurvus. Squamæ albæ, inferior magna. Pedes nigri, tibiis in ♂ sæpe fusco-testaceis.

5. *D. ferina:* cana, vitta frontali, thoracis lineis 3, intermedia triplicata, abdominis maculis irregularibus micantibus, pedibusque, nigris; antennis obscuris, basi rufescentibus; palpis flavis; alis subinermibus. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 42. 16. & 7. 270. 6. Macq. Buff. 2. 213. 9. ♂♀. *Musca* Fall. Act. Holm. 1816. 242. 14. ♂♀. & Muscid. 43. 14. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, Umbellatis, etiam in ligno sicco, per Sveciam mediam, 8 Jul.—15 Aug., passim; scilicet in Westrog., D. *Fallèn*; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Gottlandia ad Kyllej; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Similis priori, sed paullo major, latior, fronte prominente, epistomate exserto, in medio carinato, apice subreflexo, antennis nonnihil brevioribus, articulis 1 & 2 fusco-rufescentibus, thoracis lineis nigris distinctioribus, abdomine in utroque sexu similiter picto, maculis nempe nigro-micantibus irregularibus, setis in disco segmentorum 2 & 3 nullis, ut & alis præsertim in ♂ abdomine multo longioribus, sub-

inermibus seu nervo long. 3:tio basi tantum setulis 2 instructo, abunde distincta. — Caput margaritaceum, inferne subrufescens, epistomate apice subprominente. Alæ hyalinæ. Nervi transversi: ordinarius paullo inflexus, apicalis parum incurvus. Squamæ albæ. — Cum *Sarcophaga carnaria*, cui similis, non confundenda.

6. *D. triangulifera:* cana, vitta frontali, thoracis lineis 4, abdominis maculis quatuor trigonis, pedibusque, nigris; antennis fuscis, basi rufescentibus; palpis flavis; alis subinermibus. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Wahlberg in litteris 1842.

Hab. in floribus Umbellatarum ex. gr. Pimpinellæ nigræ, Angelicæ &c., ut & Solidaginis virgaureæ, atque etiam in ligno cæso Pini, per Sveciam mediam & borealem, 2 Jul.—26 Aug., passim; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp & Wadstena, D. *Dahlbom* & ipse; in Gottlandia ad Westö, Storungs prope Kappelshamn, Ruthe, Kyllej &c., sat frequens; in Bo tnia boreali inter Säfvast & Råbäcken in paroec. ÖfverLuleå, 1843, D. *Wahlberg*. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Silesiæ campis lacustribus (Seefelder) a D. *Zeller*, benigne communicata).

♂♀. Præcedenti valde affinis & similis; ab illa vero certe distincta: corpore plerumque breviore, sed paullo latiore, antennarum seta paullulum longius plumata, oculis fere minoribus, epistomate ut videtur magis buccato, apice forte minus reflexo, thorace 4-lineato, lineis 2 mediis nigris subsimplicibus (h. e. lineola obscura vix interjecta), alis & pedibus, præsertim in ♂, nonnihil brevioribus, nervi longitudinalis 4:ti angulo, ni fallor, minus obtuso, sed paullo magis descendente, ut & in primis pictura abdominis a posteriori visi, maculis scilicet duabus in singulo segmen-

torum 2 & 3, regulariter triangularibus, nigris, per seriem mediam alarum macularum trigonarum cinerearum separatis, Abdominis 1:mum segmentum fere totum nigrum, inerme; 2:dum in medio apicis 2-setosum, 3:tium margine apicali multisetosum. — Affinis videtur *Dex. pectinatæ* Meig. Dipt. 5. 43. 17, sed vix eadem. — Sub nomine: *Dexia geminata* a me olim inter Amicos entomologicos divulgata fuit. — Specimen ex ÖfverLuleå mihi communicatum Gottlandicis vulgaribus duplo minus, alias simile.

** Nervus transversus apicalis rectus. Nervus longitudinalis 4:tus infra angulum non continuatus.)

7. *D. carinifrons:* cinerascens; capite cano, fronte distincte prominente; epistomate inferne subrufescente; antennis, vitta frontali, palpis, thoracis lineis 3, intermedia triplicata, pedibusque, nigris; abdomine fusco-subtessellato; alis inermibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}-3\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. alis hyalinis, immaculatis, nervis nigricantibus.

Meig. Dipt. 5. 45. 20. ♂♀. & 7. 270. 9. Macq. Buff. 2. 214. 10. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 41. 15. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 653. 1. ♂♀. *Myocera anthophila* Rob. Desv. n:o 3.

Var. b. ♂♀. alis hyalinis, nervis fuscis, basi præsertim flavedine cinctis. Sub. nomine *Dex. fuscinervis* olim vendita.

Hab. utraque varietas in graminosis, sed præcipue in floribus Compositarum ut Achilleæ Millefol., Matricariæ &c., ad vias & versuras agrorum, per Scandinaviam, 21 Jun.—2 Octob. (versus autumnum præsertim copiose) omnium frequentissima; vivipara; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia (ad Nähr, Marte-

bo, Stenkyrka, Gothem &c., vulgatissima; deinde rarescit & in Nericia, Uplandia (ad Holmiam, D. *Wahlberg*) & Gestricia parce lecta; in Dania, D. *Dahlbom.* (E Glogavia utrumque sexum & feminam nomine: "*D. griseola* Bouch." communicavit D. *Zeller*).

♂♀. Oblonga, cinerascens, opaca. Caput cinereo-albidum. Frons valde porrecta, in ♂ præsertim postice angusta, setis utrinque simplici serie dispositis; in ♀ latissima, setis paucioribus, postice duplici serie utrinque positis; in utroque sexu cana, vitta nigra, in ♂ subangusta, in ♀ latiori. Antennæ lineares, nigræ, seta plumata. Epistoma nudum, infra oculos descendens, in medio carinatum, inferne rufescens & subtus nigro-pubescens; oris margine antico subreflexo. Abdomen conicum (♂), aut ovatum (♀), maculis obsoletis fusco-micantibus, segmentis: 1:mo bisetoso, 2 & 3 margine apicali multisetosis, 4:to toto setuloso. Alæ omnino nudæ, nervo transverso ordinario inflexo. Squamæ sordide albidæ. — Oculi in viva rufo-ferruginei. Var. ♀ abdomine griseo, immaculato.

*β.*) Seta breviter plumata. Species nigræ, subnitidæ (*D. pygmœa* n:o 11 cinerascens).

8. *D. volvulus:* nigra, nitida, capite argenteo, fronte prominente, vitta latiuscula, atra; thoracis maculis humeralibus abdominisque cingulis 3, albis; alis hyalinis, basi squamisque subflavicantibus, halteribus flavis; nervo longitudinali 4:to subarcuatim flexo in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 35. 2. ♂♀. T. 43. f. 19. — *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 328. 17. Zett. Ins. Lapp. 653. 3. ♂♀. *Ocyptera* Fabr. Antl. 311. 7. *Sericocera* Macq. Buff. 2. 166. 3. ♂♀. *Melania* Meig. Dipt. 7. 275. 1. T. 73. f. 23. ♂. *Musca cylindrica* Fall. Act. Holm. 1816. 212.

13. & Dipt. Suec. Muscid. 43. 13. ♂♀. certiss. (exclus. syn. *Musca hallerata* Panz., quod ad *Muscam mauram* Fabr. seu *Dexiam mauram* Meig. pertinet, Faunæ Scandinaviæ forte ignotam).

Hab. in foliis fruticum, floribus Umbellatarum &c., per Scandinaviam, 2 Jul.—15 Sept., vulgaris; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Godegård &c.; in Nericia ad Kärr; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Ångermannia ad Hernösand; in Dalecarlia raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele rar.; in alpe Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*; ad Thynæs & Næs Værdaliæ Norvegicæ, frequens, D. *Dahlbom*. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia missa).

♂♀. Similis & affinis *Tachinæ albicinctæ* (71) & *Erinaceus* (75), sed antennarum seta subplumata, nec nuda, &c. ab illis distincta. Cylindrica. Oculi non magni, in ♀ paullo remotiores quam in ♂. Antennæ lineares, angustæ, longitudine fere epistomatis. Epistoma argenteum, nudum, subdeclivum, infra oculos descendens, in medio non carinatum nec margine antico distincte reflexo. Palpi subfiliformes. Pleuræ cinereæ. Abdominis segmenta æque longa, omnia in disco & margine apicali setosa; cingulis 3 subinterruptis (horum ultimo valde obsoleto) albis in basi segmentorum 2, 3 & 4 locatis. Alæ divaricatæ cinereo-hyalinæ, basi subflavidæ; inermes præter setulas 2-3 in basi nervi longit. 3:tii. Spinula costæ nulla. Area in apice alæ sæpe anguste aperta. Nervus transv. ordinarius parum flexus paullo pone medium areæ insertus. Squamæ albidæ, flavido-marginatæ; valvula superiore parva. Halteres subnudi, flavi. Ungues & pulvilli in ♂ nonnihil longiores quam in ♀.

9. *D. melanoptera:* nigra, subnitida, capite argenteo, fronte parum prominente, vitta angusta (♂), aut lata (♀), atra; alis fuscis, margine costali saturatiori, squamis

parvis fuscanis, halteribus obscuris; nervo longitudinali 4:to arcuatim flexo in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 5. 36. 4. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 52. 31. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 654. 7. ♂♀. *Morinia* Meig. Dipt. 7. 275. 1.

Hab. in Sueciæ mediæ & borealis fruticibus & Umbellatis, mense Julio, rarius; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Westrog., D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, Idem D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Åsele & Almsele. (E Glogaviæ montosis in utroque sexu a D. *Zeller* missa).

♂♀. Oblonga, subdepressa, tota nigra, immaculata, thoracis humeris perparum, & pleuris, albo-micantibus. Caput argenteum, vitta frontali atra. Frons nigra. Oculi in ♂ cohærentes, in ♀ remoti. Antennæ breves, articulo 2:do apice superne denticulo parvo; seta fusca, breviter plumata, apice nuda. Epistoma subperpendiculare, in medio non carinatum, nec apice reflexum. Palpi nigri. Abdomen pilosum, sed vix setulosum, segmentis subæque longis. Alæ sub qviete paralleliter subincumbentes, ad marginem interiorem hyalinæ, nervis omnibus fuscedine late cinctis & costa nigriore; totæ inermes & spinula costæ nulla. Nervi ut in priori directi, sed longitudinalis 4:tus magis obtuse arcuatus. Squamæ in ♂ fuscanæ, in ♀ albidæ. Halterum clava obscura. Pedes setulosi, sed vix spinulosi.

*Obs.* 1. Sub nomine: "*Coeliopsis lasiops* Bouché" individuum hujus quoque mihi misit D. *Zeller.*

*Obs.* 2. Pupa hujus speciei a Cel. *Baumhauer* in ligno putrido inventa, mense Majo exclusa, teste D. *Meigen.*

10. *D. minima:* nigra, parum nitida, capite sordide argenteo-micante; fronte non prominente, vitta angusta (♂), aut lata (♀), atra; alis totis fuscanis, squamis sordi-

de albidis, halteribus obscuris; nervo longitudinali 4:to arcuatim flexo in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

*Musca* Zett. Ins. Lapp. 654. 8. ♂♀. An *Dexia nana* Meig. Dipt. 5. 37. 5? *Melanophora nana* Macq. Buff. 2. 175. 4? *Morinia nana* Meig. Dipt. 7. 275. 3. T. 73. f. 29. ♂?

Hab. cum priori, in Suecia mense Julio minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd rarissime; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogoth. ad Gusum; in Westrogothia, D. D. *Gyllenhal* & *Marklin*; in floribus Pimpinellæ nigræ ad Ruthe Gottlandiæ, ipse; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Dovre, D. *Boheman*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine constanter duplo l. triplo minore, colore minus nitido, fronte minime prominente, epistomate minus pure argenteo, antennis proportione ut videtur paullo longioribus, alis totis fere æqvaliter leviter fuscanis, nec ad nervos intensius infuscatis, ut & nervo transverso ordinario omnino recto, vere differt.

*Obs.* *Moriniam nanam* Meig. l. c. hanc certe haberem, nisi in figura *alæ hyalinæ costa late nigra* repræsentarentur, quales in nostra non sint.

11. *D. pygmæa:* cinerascens, subopaca, capite sordide argenteo-micante; fronte non prominente, vitta latiuscula (♀), nigra; alis vix fuscanis, squamis sordide albidis, halteribus flavis; nervo longitudinali 4:to arcuatim flexo in summo apice alæ excurrente. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; ad Gothem d. 17 Jul. 1841 individuum descriptum detexit oculatissimus *Dahlbom*.

♀. Valde similis & affinis præcedenti, sed colore corporis obscure cinereo, nec nigro, alis minus infuscatis, fere hyali-

nis, ut & halteribus flavis, nec nigris, vere diversa. — Haud nitida. Caput albido-cinereum. Oculi late remoti, vitta frontali modice lata nigra, per orbitam oculorum albo-cineream utrinque marginata. Reliqua ut in priori.

*Nota.* In collectione mea adest individuum masculum *Dexiæ*, e Suecia superiori missum, quod hoc modo descriptum tradere volui:

*Dexia* tota atra, nitida, pilosa, oculis cohærentibus; antennis brevibus, seta longe plumata; epistomate brevi; alis ad marginem interiorem hyalinis, costa late (inclusis nervis) nigricante, nervis: longitudinali 4:to angulatim (nec arcuatim) flexo paullo ante apicem in costa excurrente & infra angulum subcontinuato, transverso ordinario recto in medio areæ subocclusæ inserto, longitudinali 3:tio basi setuloso, spinula costæ distincta, squamis majusculis albis halteres obscuros oblegentibus; 2 lineas longa;

affine & simile videtur Meigeni *Dexiis fimbriatæ* & *mauræ;* sed cum ejus patria mihi ignota est, illud seriei specierum Scandinavicarum inserere non potui.

B. Seta antennarum pubescens.

12. *D. dolens:* nigricans, parum nitida, capite argenteo-micante, palpis lividis; fronte subprominente, vitta angusta (♂), atra; alis hyalinis, squamis albis, nervis transversis rectis, apicali mox ante apicem alæ excurrente. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Musca* Zett. Ins. Lapp. 651. 5. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; ad lacum insignem Torneåträsk in regione subalpina Lapponiæ Tornensis situm, 9 Jul. 1821 specimen unicum inveni.

♂. Oblonga, affinis *D. carinifronti* (7), corpore vero nigro, fronte multo minus producta, alis magis pure hyalinis,

squamis albidioribus, ut & oculis (maris) adhuc magis approximatis, fere cohærentibus linea frontali angustissima nigra tantum remotis, mox dignota. Antennæ etiam fere breviores, quam in *D. carinifronte*, nigro-fuscæ, seta non usque ad apicem pubescente. Thorax antice parum cinereo-micans. Abdomen nigrum, subnitidum, pilosum. Alarum nervi ut in *carinifronte* directi. Spinula costæ adest, sed parva. Pedes picei.

**13.** ***D. puberula:*** cinerascenti nigra, subopaca, capite argenteo-micante, epistomate inferne rufescente, palpis flavis; fronte modice prominente, vitta angusta (♂), aut lata (♀), nigro-fusca; alis hyalinis, squamis albis, nervis transversis: ordinario leviter flexo, apicali recto mox ante apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Zett. Ins. Lapp. 654. 6. ♂♀.

Hab. in Norvegiæ Nordlandia septentrionali; ad urbem Tromsoe d. 24 Jul. 1821 unicum par copulatum deprehendi.

♂♀. Priori affinis & similis, sed paullo major, & colore corporis nigro magis cinereo-micante, palpis flavis, ut & oculis (maris) non tam prope conniventibus, distincta. Caput, in ♂ argenteum, linea frontali media angusta (angustiori nempe quam in *D. carinifronte*, at paullo latiori quam in *D. dolente*), piceo-atra; in ♀ cinereum, interstitio frontali lato, vitta media nigro-fusca. Antennæ ut in præcedente, sed articulo 2:do apice rufescente. Seta ut in priori. Epistoma inferne utrinque macula carnea, margine antico subreflexo. Vibrissæ inferne paucæ decrescentes. Thorax niger, cinereo-micans. Abdomen dense pubescens, sed vix nisi in margine apicali segmentorum 2, 3 & 4 setulosum, cinereo-nigricans, incisuris tenuiter, & maculis dorsalibus certo situ perspicue, fusco-æneo-micantibus; in ♂ subcylindricum, ano subtuberculato, inflexo (non vero tam magno ac in *Sar-*

*cophagis*, quibus alias subsimilis); in ♀ subdepressum. Alæ ut in *D. carinifronte* etiam quoad nervorum directionem, sed spinula costæ distinctior. Pedes in ♂ picei, in ♀ nigri. — *Muscæ rudi* quoque affinis & similis, sed magnitudine minore, corpore subcylindrico, nec late ovato, ut & seta antennarum pubescente, nec plumata, distincta.

*Subdiv. 2:da.* Alarum area media apice occlusa. Nervus longit. 4:tus angulatus, mox ante apicem alæ excurrens.

14. *D. compressa:* glauca, capite argenteo, antennarum nigrarum basi, palpis, abdominis compressi lateribus femoribusque, rufis; vitta frontali, thoracis lineis 2, abdominis vitta dorsali, tibiis tarsisque, nigris; alis subhyalinis, nervo longitudinali 4:to infra angulum continuato; antennarum seta breviter pubescente. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 41. 13. ♂♀. (synonymon Fabricii: '*Ocyptera rufa,*' erroneum). — *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 327. 64. Zett. Ins. Lapp. 652. 1. ♂♀. *Ocyptera* Fabr. Antl. 314. 5. *Sericocera* Macq. Buff. 2. 169. 10. ♂♀. *Wiedemannia* Meig. Dipt. 7. 253. 1. T. 72. f. 1. ♀. *Musca lateralis* Panz. Fn. Germ. 7. 22. (cum *Tachin. laterali* commixta). — *Musca rufiventris* Fall. Muscid. 41. 8. ♂♀.

Hab. in fruticibus, fenestris & parietibus ligneis, per Sueciam mediam & australem, 15 Jun.—2 Aug., minus frequens; scilicet in provincia Calmariensi Smolandiæ ex. gr. ad Berga & Ryssby; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Ejsta, Gothem & Kjellunge. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Longa, angustata, cylindrica. Caput argenteum. Frons parum prominens, convexa, in utroque sexu subæqualiter,

modice & fere paralleliter lata, vitta modice lata, nigra. Antennæ incumbentes, longitudine epistomatis, angustæ, articulo ultimo basalibus rufis fere triplo longiore, nigro, seta biarticulata, breviter puberula, vix ad medium incrassata. Epistoma subperpendiculare, nudum, vibrissis inferne spuriis, macula utrinque ad os sæpe rufa. Margo oris non reflexus. Thorax glaucus, vittis 2 lateralibus (in illæsis) brunneo-nigris. Scutellum glaucum, lateribus nigrum. Abdomen nigrum, nitidum, lateribus (in segmentis 1, 2 & 3) rufis, cingulo in basi segmentorum 2 & 3 certo situ albomicante; segmentis subæque longis, in disco & margine apicali setosis. Alarum nervi fere ut in *D. carinifronte* directi, sed nervus long. 4:tus magis acutangulatim flexus, infra angulum perspicue continuatus. Area apice distincte occlusa (minime aperta), & spinula costæ evidens. Nervus long. 3:tius basi setulosus. Squamæ albæ. Halteres testacei. Pedes nigri, femoribus rufo-flavis. Pulvilli & ungves in utroque sexu parvi. — Valde affinis *Tachinæ laterali* n:o 192.

15. *D. grisescens:* cinerea, capite cano, epistomate inferne rufescente; antennarum nigrarum basi, palpis tibiisque testaceis; vitta frontali picea; pedibus nigris; alis subhyalinis, nervo longitudinali 4:to infra angulum non continuato; antennarum seta plumata. ♂♀. (Long. $2-2\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigris, tibiis testaceis.

Meig. Dipt. 5. 45. 21. ♂. & 7. 270. 10. *Musca* Fall. Muscid. 44. 16. ♂. *Dinera* Macq. Buff. 2. 211. 4. ♂.

Var. b. ♂♀. pedibus testaceis, tarsis nigris.

Hab. utraque varietas in floribus Achilleæ Millefol. &c., per hortos & prata Sueciæ meridionalis & mediæ; locis plerumque aridis sæpe littoralibus, 27 Jun.—Jul.—29 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Eperöd, Kivik, Raflunda &c., sat frequens; in Smolandia ad villam

Skärsjö prope Eksjö, D. *Sv. Ingem. Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum (D. *Wahlberg*) & Wadstena; in Westrog., D. *Gyllenhal;* in Ölandia ad Glömminge & Galltorp; in Gottlandia ad Ruthe, Gothem, Nähr, Kyllej &c. (E Silesia & Wienna a D. *Zeller* benevole missa).

♂♀. Variat magnitudine. Cylindrica, grisea, immaculata, opaca. Caput ut in *D. carinifronte* (7) constructum, griseo-canum. Frons distincte porrecta, in ♂ angusta, in ♀ lata, serie setarum in utroque sexu ad antennarum basin continuata, utrinque in ♂ simplici, in ♀ duplici. Vitta frontalis ferruginea. Antennæ breves, rufæ, articulo ultimo nigricante, seta fusca, distincte plumata. Epistoma nudum, inferne flavo-rufum, antice reflexum. Palpi flavi. Oculi præsertim in ♀ parvi. Thorax antice lineolis 4 fuscis obsoletis & tenuibus. Abdominis segmenta subæque longa, margine apicali setosa. Alæ flavido-cinereæ, nervis ut in *carinifronte* directis, at area media apice occlusa. Spinula costæ adest. Squamæ albæ. Pedes ut in diagnosi. — Varietas b. plerumque individua feminea continet.

16. *D. cristata:* cinerea, palpis tibiisque testaceis; vitta frontali pedibusque nigris; thoracis lineolis 4, abdominisque maculis, obsoletis fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervo longitudinali 4:to infra angulum non continuato, area media petiolata; antennarum seta plumata. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 41. 14. ♂♀. T. 43. f. 21. (ala) —. *Dinera* Macq. Buff. 2. 210. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 269. 1. T. 73. f. 13. ♂. f. 15. ♀.

Hab. in Suecia boreali rarissime; femina in Dalecarlia in uno specimine a Cel. Prof. *Boheman* inventa, mihique ad describendam benigne communicata.

♀. Affinis & similis priori; sed magnitudine majore, antennis totis & vitta frontali nigris, ut & alarum area media petiolata, præcipue & vere differt. Læte griseo-cinerea. Caput subvesiculosum. Antennarum articulus ultimus 2:do cinereo-micante duplo longior, niger. Frons lata, serie se-

tarum utrinque duplici. Epistoma perpendiculare, inferne parum rufescens. Palpi flavi. Oculi parvi. Thorax antice lineolis 4 obscuris, quarum mediis tenuibus, omnibus parum perspicuis, posticeque evanescentibus. Scutellum griseum. Abdomen oblongo-ovatum, griseum, certo situ maculis irregularibus fusco-micantibus. Segmenta: 1:mum breve, inerme; reliqua disco bisetota. Alæ cinereæ, basi leviter fusco-ferrugineæ. Nervi transversi fuscedine paullo cincti, horum ordinarius pone medium areæ insertus, obliquus & inflexus, ultimus subrectus nonnihil intra apicem alæ cum nervo longit. 3:tio fere ut in *Ocyptera* conjuncto. Hinc area media sat longe petiolata. Spinula costæ gemina adest. Squamæ magnæ, sordide albidæ. Pedes nigri, tibiis testaceis.

♂ similis feminæ, sed oculis conniventibus, per vittam frontalem angustam tantum sejunctis, dignotus.

## *Species dubia.*

17. *D. tachiniformis:* cinerascens, antennis cuneatis, thoracis vittis, abdominis linea dorsali media & fasciis transversis, pedibusque, nigris; palpis, scutelli apice, abdominis lateribus, genubus tibiisque ferrugineis; alis hyalinis, squamis albidis, nervo longitudinali 4:to angulatim flexo fere in apice alæ excurrente; antennarum seta breviter pubescente. ♂. (Long. circiter 2 lin.).

Hab. in Ölandia, ubi inventa a D. Prof. *Boheman*, qui 1831 specimen descriptum mihi mutuo amice communicavit.

♂. Affinis *Sarcophagæ; Dexiæ puberulæ* (13) proxima. Cylindrica, grisea. Antennæ epistomate breviores, cuneatæ, nigræ, articulo 2:do summo apice rufo. Vitta frontalis brunnea. Oculi non late remoti, nudi. Palpi flavi. Scutelli summus apex ferrugineus. Abdomen cylindricum, macula laterali ferruginea. Anus tuberculatus, subtus rufo-bilamellatus. Alarum nervus transversus ordinarius rectus & subperpendicularis. Halteres flavi. Pedes nigri, genubus præsertim posticis late, tibiisque obscure ferrugineis.

# DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI CORRESPONDENTE.

*TOMUS QUARTUS.*

LUNDÆ,

EX OFFICINA LUNDBERGIANA,

SUMTIBUS REGIIS.

1845.

REGIÆ ACADEMIÆ SCIENTIARUM

HOLMIENSI

hanc sui operis Sectionem

venerabundo animo

dicat

Auctor.

# Famil. 24. SARCOPHAGARIÆ.

## 126. SARCOPHAGA Meig.

*Corpus* majoris aut mediæ magnitudinis, oblongo-ovatum, tachiniforme, pubescens & setosum. Antennæ incumbentes, sæpissime breviusculæ, articulo ultimo elongato, prismatico, compresso, basi seta dorsali ad dimidiam partem l. paullo ultra plumata, apice nuda. Frons plerumque prominens. Oculi in utroque sexu remoti, nudi. Epistoma in medio non carinatum, apice subreflexum. Setæ mystacinæ validæ. Vibrissæ nullæ l. spuriæ. Abdominis segmenta saltem posteriora margine apicali setosa. Alæ divaricatæ, hyalinæ. Nervus longitudinalis 4:tus angulo acuto l. subacuto ad costam sæpissime sursum flexus, paullo ante apicem alæ excurrens. Area media plerumque apice aperta, raro subocclusa. Alæ inermes, nervo tantum long. 3:tio basi pauciseluloso, at spina costæ sæpe nulla. Squamæ distinctæ. Pedes simplices. *Color* nigricans, cinereus, interdum metallicus; pictura nigro-lineata aut tessellata. *Motu* velox, volatu celeri. *Habitatio* in foliis fruticum, floribus, parietibus, muris, terra lapidibusque. Larvæ in cadaveribus, fungis putridis &c., degunt. Feminæ viviparæ. *Discrimen sexus; mas:* abdomine cylindrico-conico, ano bituberculatim inflexo, oculis magis appropinquantibus, interdum sat approximatis, serie setarum frontalium utrinque simplice, tibiis posticis interdum villosis, ut & tarsis magis pilosis, ungvibus pulvillisque elongatis; *femina:* abdomine ovali, ano acutiori, oculis late remotis, serie setarum frontalium utrinque duplici, tibiis posticis numquam villosis, ut & tarsis minus pilosis, ungvibus pulvillisque brevioribus. — Typus generis: *S. carnaria.* (Species 1:mæ Sectionis ægre distinguuntur, & notæ discernentes vix nisi e maribus sumi possunt. Feminæ multarum inter se simillimæ. Hinc individua in copula juncta sollicite colligenda utpote pro spe-

cierum determinatione necessaria). Species Creophilarum omnes, antennarum incumbentium seta circiter ad medium plumata apice longe nuda, fronte porrecta, ore exserto, oculis nudis, alarum nervo transverso apicali mox ante apicem alæ in costa excurrente, abdominis convexi segmentis saltem 3:tio & 4:to margine apicali setulosis, ut & ano maris inflexo bituberculato, tarsorum ungvibus pulvillisque in mare elongatis, præditas, ad *Sarcophagæ* genus numeravi. Unde etiam species quasdam (ex gr. *S. Vespillonem* &c.) his notis instructas a *Muscæ* genere removi & *Sarcophagæ* introduxi. — Ut autem facilius examinentur species sequentem earum subdivisionum conspectum allegare non inutilem duxi.

## *Sarcophaga:*

*Cohors Prima.* Anus maris magnus, tumidus. Color corporis aut cinerascens nigro-pictus, aut metallicus.

*Sect.* 1:*ma.* Palpi nigri (*S. fuscipalpis* palpis obscuris in Sect. 2:da sub n:o 27 quærenda). Alarum nervus longitudinalis 4:tus infra angulum saltem apparenter continuatus. Color corporis cinerascens, pictura nigro-lineata (in thorace), aut nigro-tessellata (in abdomine) Tibiæ posticæ intus in ♂ sæpe villosæ. *Sarcophaga & Agriæ* species Macq.

A. Anus niger; in ♂ nitidus, interdum medio (sutura), aut antice, cinereus. (In ♀ *S. vagantis* n:o 10 anus rufescens).

*) Tibiæ posticæ in maribus intus obscure villosæ.

1 *carnaria.* 2 *cærulescens.* 3 *striata.* 4 *Atropos.* 5 *albiceps.* 6 *melanura.* 7 *sinuata.* 8 *agricola.* 9 *pumila.* 10 *vagans.*

**) Tibiæ posticæ intus in utroque sexu nudæ. Species pleræque parvæ.

†. Abdomen cinereum nigro-tessellatum.

11 *arvorum.* 12 *depressifrons.*

††. Abdomen cinereum, triplici serie nigro- vel fusco-lineatum aut punctatum.

13 *affinis.* 14 *lineata.* 15 *latifrons.* 16 *obsoleta.*

.B Anus rufus aut rufescens. (*S. vagantis* femina ano rufo in subdivisione A. sub n:o 10 invenienda).

α). Mares: tibiis posticis intus obscure villosis.

17 *hæmorrhoidalis.* 18 *cruentata.*

β). Mares: tibiis posticis intus nudiusculis.

19 *hæmorrhoa.* 20 *hæmatodes.* 21 *erythrura.*

*Sect. 2:da.* Palpi flavi (in *S. fuscipalpi* n:o 27 obscuri). Alarum nervus longitudinalis 4:tus infra angulum non continuatus. Varicolores. Tibiæ posticæ intus semper nudæ.

*Subd. I.* Color præcedentium. Corpus scilicet cinereum, thorace nigro-lineato, abdomine obscure maculato. *Sarcophaga* Macq. *Theira* Rob. Desvoid.

22 *ruralis.* 23 *muscaria.* 24 *pygmæa.*

*Subd. II.* Color corporis metallicus, nitens, thoracis scilicet cærulescenti niger, lineatim albo-micans, abdominis chalybeus aut virescens. *Cynomyia* Rob. Desv. & Macq.

25 *Mortuorum.* 26 *alpina.* 27 *fuscipalpis.* 28 *Vespillo.*

*Cohors Secunda.* Anus maris parvus. Color corporis obscure cæruleus *). Palpi aut flavi, aut nigri.

---

*) Equidem concedo hanc *Sarcophagæ* cohortem *Muscariarum* Familiæ satis prope accedere, & quidem cum *Luciliis* ali-

29 *genarum.* 30 *cærulea.* 31 *atriceps.*

*Cohors Prima.* Anus in mare magnus, tumidus.

*Sect. 1:ma.* Palpi nigri. Alarum nervus longitudinalis 4:tus infra angulum saltem apparenter continuatus. Color corporis cinerascens, pictura nigro-lineata. Tibiæ posticæ in ♂ sæpe villosæ.

A. Anus niger; in ♂ nitidus, interdum medio aut antice cinereus. (In ♀ *S. vagantis* n:o 10 anus rufescens).

*). Tibiæ posticæ in masculis intus villosæ.

1. *S. carnaria:* cinerea, capite albo-flavescente, fronte longe porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; ♂: tibiis posticis intus villosis, ano atro, nitido, incisura cinerea. ♂♀. (Long. 3—5 lin.).

Meig. Dipt. 5. 18. 6. ♂♀. Macq. Buff. 2. 226. 10. Zett. Ins. Lapp. 649. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1832. Degeer Ins. 6. 63. 8. t. 8. f. 5. Reaum. Ins. 4. T. 29. f.

---

quotque *Muscis*, ex. gr. *vomitoria* & *Grönlandica* valde congruere. Cum vero *seta antennarum ad medium l. vix ultra medium tantum plumata* ut nota constans & facilis mihi visa fuit *Sarcophagarias* a *Muscariis* seta antennarum usque ad apicem plumata instructis, distinguendi, ex hac quoque setæ ratione caracterem essentialem pro *Sarcophagæ* genere in sua familia unico stabiliendo finxi, non omnino neglectis aliis notis magis accidentalibus. Neque heic plane desunt ejusmodi notæ secundariæ. Nam abdomine magis setuloso, a *Luciliis*, & corpore magis convexo a pluribus *Muscis* depressis saltem nostræ species *Sarcophagæ* 29 & 30, discernuntur.

2—8. Schrank Ins. Austr. p. 456. 927. Fabr. Antl. 284. 4. Latr. Gen. 4. 345. Fall. Muscid. 38. 1. (sub qua vero plures latent species). *Musca variegata* Scopol. Carn. n:o 869.

Hab. in hortis, pratis, agris, per totam Scandinaviam usque ad Lapponiam, a primo vere ad serum autumnum, omnium vulgatissima, in copula frequenter observata, e pupa cylindrica, lævi, brunnea sæpe exclusa. Larva in vegetabilibus putridis, & stercore pecorum hominisque, vix in carnosis, degit secundum Cl. *Bouché* Naturgesch. der Insecten, 1834. 1. 61. Status nympharum 4—8 hebdomadibus; seriores vero in statu pupæ hybernant. (Ex Helgolandia etiam plura specimina communicavit D. *Dahlbom*).

♂♀. Magna, sed variat etiam minor. Oculi exserti, in viva rufo-ferruginei. Antennæ epistomate paullo breviores, articulo ultimo 2:do duplo & ultra longiore, seta distincte plumata. Epistoma ad latera (juxta oculos) utrinque setulis 5—6. Vibrissæ vix inchoandæ. Frons longe prominens, in ♂ modice lata, in ♀ paullo latior, vitta in utroque sexu atra. Thoracis vittæ dorsales nigræ 5, laterales abbreviatæ & obsoletæ; vitta media ex anteriori inspecta triplicata. Abdomen nigrum, tessellis quadrifariam dispositis, cinereis. Segmenta: 1:mum subinerme, 2:dum in medio apicis bisetosum (setis facile deterendis), 3 & 4 margine apicali multisetosa. Anus in ♂ niger, in medio cinereus. Alarum nervi transversi: ordinarius leviter flexus paullo pone medium areæ sat late apertæ insertus; medius obliquus, fuscedine sæpe cinctus. Nervus longit. 2:dus ferrugineus. Squamæ albæ. Pedes in utroque sexu valide spinosi; in ♂ femoribus anterioribus subtus tibiisque posticis latere interiori sat longe & dense nigro-villosis, pulvillis magnis, suborbiculatis, albidis. Ungues in ♂ anteriores recti, truncati, in ♀ omnes curvati.

2. S. *cærulescens:* nigro-cærulescens, capite albo-flavescente, nitido, fronte minus porrecta; antennis, vitta frontali pedibusque, nigris; thoracis lineis 6, abdominisque tessellis, glaucis; ♂: tibiis posticis intus villosis, ano atro, nitido, incisura cinerea. ♂♀. (Long. 4—4½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 650. 2. ♂♀.

Hab. in sylvis & truncis Pini sylvestris, præsertim in Scandinavia boreali & Lapponia, 23 Jun.—21 Aug., rarius; d. 12 Jul. in copula capta; scilicet in Scania semel inventa; in Lapponia Umensi ad Tresunda, Wojmsjön & Rusele, passim; in Lapponia Tornensi ad Kihlangi, Juckasjervi usque ad Torneåträsk procedens; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ rarissime, D. *Dahlbom.*

♂♀. Priori parum brevior, sed fere latior, præsertim ♀. Præterea ei valde similis, fronte tamen minus prominente, antennis forte nonnihil latioribus, ut & colore corporis magis cærulescente, lineis thoracis abdominisque tessellis albo-glaucis, dignota. — In uno specimine vere masculo ungues omnes incurvatos vidi, in aliis vero individuis ungues anteriores rectos, truncatos ut in præcedente inveni.

3. S. *striata:* cinerea, capite albido, nitido, fronte modice porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, media antice subtriplicata, abdominis tessellis pedibusque, nigris; ♂: tibiis posticis intus villosis, fronte subangustata, ano atro, nitido, incisura cinerea. ♂♀. (Long. 4—5 lin.).

Meig. Dipt. 5. 21. 7. ♂♀. Macq. Buff. 226. 12. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 288. 20. *Musca carnaria* var. "colore linearum thoracis tessellarumque abdominis albicante" Fall. Muscid. 38. 1. in descriptione.

Hab. in foliis fruticum & floribus, per hortos, prata & agros Scandinaviæ, 20 Maj.— 15 Aug., passim frequens; in copula multoties deprehensa & mense Majo sæpe exclusa; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Abusa &c. vulgaris; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Wadstena &c.; in Gottlandia a Lärbro &c.; in Jemtlandia usque ad alpes Åreskutan & Mullfjellen; in littore arenoso insulæ in lacu Randijaur Lapp. Lul. D. *Wahlberg*; in Dania, D. *Staeger*. (In insula Helgolandia uterque sexus a D. *Dahlbom* inventus. E. Glogavia a D. *Zeller*, ex Hamburgo a D. v. *Winthem*, & e Kilia a D. *Wiedemann* quoque communicata).

♂♀. Simillima *S. carnariæ*, sed differt: statura nonnihil angustiore, capite albido-, nec flavido-micante, fronte minus prominente (paullo tamen magis quam in *S. cærulescente*), thoracis lineola media nigra ab anteriore visa subtriplicata, abdominis tessellis glaucis l. albidis, nec flavido- micantibus, ut & alis forte purius hyalinis. — Nervus transversus ordinarius flexus. Tibiæ posticæ in ♂ intus crebro villosæ.

4. *S. Atropos:* cinerea, capite albido, nitido, fronte modice porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; ♂: tibiis posticis intus villosis, fronte subangustata, ano antice cinereo, signaturis nigris, postice nigro, nitido. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3—4 lin.).

Meig. Dipl. 5. 23. 10. ♂♀. Macq. Buff. 2. 227. 15.

Hab. in Scania rarius; mihi aliquoties ad Lund & Fogelsång, mense Julio in copula obvia. (Mas e Glogavia a D. *Zeller*, & e Kilia a D. *Wiedemann* communicatus).

♂♀. *S. carnariæ* iterum simillima, nec ab illa differre videtur nisi capite albido vix l. parum flavido micante, fronte minus prominente, ut & maris ano segmentis: 1:mo postice cinereo signaturis nigris, nempe lineola intra marginem apicalem transversa, & alia longitudinali media tenui obsoleta juxta quam utrinque puncto, atris denudatis nitidis; ultimo atro nitido. Feminam vero a femina *S. striatæ* haud distinguere valeo, nisi frontem *in S. Atropos* levissime flavidam, in *S. striata* magis albam dicerem. — Segmentum 1:mum ani in mare interdum ad dimidium & ultra retractum.

5. S. *albiceps:* cinereo-albida, capite albo, nitido, fronte modice porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; nervo transverso ordinario flexo; ♂: tibiis posticis intus crebro villosis, fronte latiuscula, ano atro, nitido, incisura cinerea. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 22. 8. ♂♀. Macq. Buff. 2. 226. 13. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali Jul. Aug., rarius; in Dania, teste D. *Staeger*. (Ex Hamburgo a D. von *Winthem* sub eodem nomine communicata).

♂♀. A *S. carnaria*, cui in ceteris simillima, differt: magnitudine plerumque paullo minore, colore magis albido l. glauco, capite subargenteo-albo, fronte minus porrecta, & præprimis fronte in mare magis lata. — A *S. striata* fronte latiore dignoscitur. — Venter in utroque sexu cinereo-maculatus.

*Obs. Sarc. albiceps* Zett. Ins. Lapp. non ad hanc, sed ad *S. melanuram* n:o 6 pertinet. — Anus in ♂ *S. albiceps* segmento 1:mo jam exserto, jam retracto.

6. S. *melanura:* dilute cinerea, capite albido, fronte modice porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; ner-

vo transverso ordinario leviter flexo; ♂: tibiis posticis intus crebro villosis, fronte latiuscula, ano nigro, nitido, incisura cinerea. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 23. 11. ♂♀. Macq. Buff. 2. 227. 17. ♂♀. *S. albiceps* Zett. Ins. Lapp. 650. 3. ♀.

Hab. in Suecia meridionali frequens; circa Lund & Kjeflinge Scaniæ Jul. Sept. & feminæ usque ad 3 Octob., haud raro capta; in copula sæpe deprehensa; in Nordlandia Norvegica ad radicem alpium Andeness, rarissime. (♂ etiam e Kilia a D. *Wiedemann* communicatus, & uterque sexus e Glogavia a D. *Zeller* missus).

♂♀. Valde similis priori, a qua fronte nonnihil minus prominente & nervo transverso ordinario paullulum minus flexo præcipue differt. Thoracis lineæ 3 brunnescentes; ♂: fronte flavido-alba; ♀: abdomine cinereo, maculis dorsalibus olivaceo-micantibus, lateralibus parvis nigricantibus.

7. *S. sinuata:* cinerea, capite albido, fronte minus porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis, ventre pedibusque, nigris; nervo transverso ordinario subrecto; ♂: tibiis posticis intus parce villosis, fronte subangustata, ano nigro, nitido. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Meig. Dipt. 5. 22. 9. ♂.

Hab. in Scandinavia minus frequens, Jun.—Aug.; scilicet in Scania circa Lund passim; in Ölandia ad Glimminge in copula capta; in Gottlandia ad Sanda rar.; in Norvegia ad Næs Værdaliæ, rarius; in Dania mense Junio, D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Similis proxime præcedentibus, sed differt præcipue, a *striata:* thoracis lineis 3 nigris subsimplicibus; ab *Atropos:* ano signaturis non ornato; ab *albiceps:* colore cinereo, parum glauco, fronte paullo minus lata; & a *melanura:* thoracis lineis nigris, nec brunneis & abdominis tessellis nigris, nec olivaceis, fronte subangustata; ut & ab his omnibus: magnitudine plerumque paullo minore, fronte minus prominente, ventre nigro, nitido (nec cinereo l. cinereo-maculato), nervo transverso ordinario fere recto, ut & in ♂ tibiis posticis intus parcius villosis & ano toto nigro, nitido. — Pictura nigra in ♂ præsertim obscura seu atra est.

8. S. *agricola:* cinerea, capite albido, fronte minus porrecta; antennis, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; ventre cinerascente; nervo transverso ordinario subflexo; ♂: tibiis posticis intus mediocriter villosis, fronte subangustata, ani nigri nitidi segmento 1:mo subretracto, incisura cinerea. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 227. 16? ♂♀. — Meig. Dipt. 7. 278. 33? "*Nigra, cinereo-micans; abdomine maculato apice nigro; tibiis posticis maris villosis*". *Similis S. carnariæ.*

Hab. in Suecia Jul. Aug. minus frequens; nempe in agris & Salicetis Scaniæ ad Lund, Tygelsjö & Abusa; in Ostrogothia ad Wadstena; in Ölandia; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ.

♂♀. Similis proxime præcedentibus; sed a *striata* magnitudine minore &c., ab *Atropos* ano absque signaturis cinereis, ab *albiceps* & *melanura* fronte maris paullo angustiore, & a *sinuato* ventre cinereo, nec nigro, ut & nervo transverso ordinario magis flexo, præcipue dignoscitur. A sequente magnitudine majore etiam differre videtur. — Ani nigri seg-

mentum 1:mum l. totum l. ad maximam partem plerumque retractum, relicta tantum incisura griseo-cinerea.

*Obs.* Brevitas & insufficientia diagnoseos & descriptionis a Celeberrimis *Macquart & Meigen* l. c suæ *S. agricolæ* datæ, in dubium facile inducunt.

9. *S. pumila*: cinerea, capite albido, fronte parum porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; nervo transverso ordinario leviter flexo; ♂: tibiis posticis intus mediocriter villosis, fronte subangustata, ano nigro, nitido, incisura cinerea. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 24. 12. ♂.

Hab. in Scandinavia minus frequens; in Scania ad Lund & Abusa Jun. Jul. aliquot specimina inveni; in Jemtlandia ad Åreskutan & Mullfjellen; in Norvegia ad Næs Værdaliæ rarissime.

♂♀. Proxime præcedentibus plerumque adhuc paullo minor. A *S. sinuata*, cui de cetero similis, differt præterea: fronte fere adhuc minus prominente, tibiis posticis intus crebrius (forte tamen minus crebro quam in *melanura* & ei antecedentibus) & longius villosis, ut & ano maris nigro, incisura grisea. — A *S. agricola* magnitudine paullo minore, fronte nonnihil minus prominente & nervo transverso ordinario fere recto dignoscitur.

10. *S. vagans:* dilute cinerea, capite albido, fronte minus porrecta; antennis, vitta frontali, thoracis lineis subtribus, abdominis tessellis pedibusque, nigris; nervo transverso ordinario leviter flexo; ♂: tibiis posticis intus villosis, fronte latiuscula, ano nigro, nitido; ♀: ano rufo. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 26. 18. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in Dania a D. *Staeger* mense Aug. capta. (Plura individua feminea a D. *Zeller* e Silesia (ubi 20 Aug. 1841 lecta) mihi communicata sub nomine allato, signo interrogationis adjecto).

♂♀. Affinis & similis *S. arvorum* n:o 11, a qua maris tibiis posticis intus villosis, nec nudis, & feminæ ano rufo-testaceo, nec nigro, differt. A *S. pumila*, cui quoque valde similis, magnitudine nonnihil majore, corpore albidiore, alis cinereis, fronte maris paullo latiore, & feminæ ano, ut dictum, rufescente, dignoscitur.

*Obs.* An hæ omnes supra allatæ species inter se valde affines & similes vere distinctæ sint, vel quædam tantum ut varietates *S. carnariæ* typicæ considerandæ, ulteriores observationes docebunt.

**) Tibiæ posticæ intus in utroque sexu nudæ.

†. Abdomen cinereum nigro-tessellatum.

11. *S. arvorum:* cinerea, capite albicante, fronte parum porrecta; antennis, thoracis lineis 3, abdominis tessellis, ventre pedibusque, nigris; nervis transversis: ordinario subrecto, apicali inflexo; ♂: fronte angustata, ano nigro, nitido. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 24. 13. ♂♀. Macq. Buff. 2. 227. 19. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali & media, 24 Maj.—30 Jul., passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd &c.; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandiæ pratis ad Stenkyrka, Nähr, Gothem &c. Feminæ frequentiores; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Similis prioribus. Fronte minus prominente, capite sordide albicante, nervorum transversorum ordinario fere recto,

apicali flexo, ventre parum cinereo-micante, tibiis posticis nudis, maris fronte subangustata, ano toto nigro nitido, absque sutura cinerea, & feminæ abdomine subconvexo, notis simul sumtis, a præcedentibus facile dignoscitur. — Tessellæ abdominis nigræ sat magnæ, nitidæ.

12. *S. depressifrons:* cinerea, capite albo, nitido, fronte non porrecta; antennis, thoracis lineis 3, abdominis tessellis pedibusque, nigris; ventre cinereo-micante; nervis transversis subrectis; ♂: fronte angustata, ano nigro, nitido. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Hab. in Suecia mense Julio, Aug. rarissime; in Scania ad Lund, in Ostrogothia ad Wadstena & in Gottlandiæ insula Furillen mihi parce obvia. (E Glogavia etiam specimina ex utroque sexu a D. *Zeller* benevole communicata).

♂♀. A præcedente, cui sat similis, differt magnitudine plerumque paullo minore, fronte adhuc minus prominula, capite albidiore, nitidiore, nervo transverso apicali fere recto ut & ventre saltem certo situ cinereo-micante. — Meigeni *S. clathratæ* & *dissimili* valde quoque affinis & similis videtur; sed ab illa magnitudine minore, squamis sub alis albis, nec brunneis, abdomine subtus cinereo, nec nigro, ano maris toto nigro, nec segmento 1:mo cinereo; & ab hac abdomine maris cinereo, nigro-tessellato, nec "albo, trifariam nigro-lineato", & abdomine feminæ cinereo, nigro-tessellato, nec "nigro, punctis lateralibus albis", facile dignoscitur.

††. Abdomen cinereum trifariam nigro- vel fusco-lineatum aut punctatum.

13. *S. affinis:* ovata, cinerea, antennis seta mediocriter plumata, vitta frontali, thoracis lineis tribus, media triplicata, abdominis linea media subcontinuata maculis-

que lateralibus majoribus, pedibusque, nigris; ♂: oculis anguste remotis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 30. 27. ♂♀. T. 43. f. 10. — *Musca* Fall. Muscid. 39. 1. ♂♀. *Agria* Macq. Buff. 2. 229. 1.

Hab. in Suecia meridionali & media, sæpe locis aridis l. littoralibus, Maj.—Jul., passim; scilicet in Scania ad Lund, Kivik, Raflunda; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Omberg & Wadstena, &c. — Larvæ (parasitæ in larvis *Tineæ padellæ*) ad Wadstena copiose collectæ mense Julio 1835 a D. *Dahlbom*. Imagines utriusque sexus e pupis proventæ 20—24 Maj. anni sequentis. (Femina in individuis pluribus, nostris simillimis, a D. *Leon Dufour* 1841 communicata, ad St. Sever Galliæ collecta).

♂♀. Magnitudo *Muscæ domesticæ*. Ovata. Caput albidum. Frons parum porrecta, in ♂ saltem postice valde angusta, in ♀ modice & paralleliter lata. Scutellum cinereum. Abdomen cinereum, segmento 1:mo fere toto, linea dorsali media fere ad anum continuata, maculisque utrinque tribus irregularibus in segmentis 2:do & 3:tio majoribus, in 4:to minoribus, nigris, subnitidis. Segmenta: 1:mum breve, inerme; 2:dum margine apicali tantum ad latera parce setulosum (sed in disco & medio nudum); 3 & 4 margine apicali setosa. Anus in ♂ haud tuberculatus, in utroque sexu cinereus. Alæ hyalinæ, inermes, nervo longit. 3:tio tantum ad basin setuloso, sed spinula costæ omnino nulla. Nervi transversi: ordinarius & apicalis inflexi. Squamæ albidæ. Tarsorum ungues in ♂ elongati incurvi, in ♀ breviores.

11. S. *lineata:* dilute cinerea, antennis seta longe plumata, vitta frontali, thoracis abdominisque lineis triplici serie dispositis subcontinuis, pedibusque, nigris; ♂:

oculis anguste remotis. ♂♀. (Long. ♂ 2—2½, ♀ 2½ fere 3 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 40. 5. ♂.

Hab. in Suecia meridionali & media, 10 Jul.—26 Aug., passim; feminæ terræ arenosæ & lapidibus insidentes, perterritæ cito avolantes, at mox ad idem punctum revertentes, sat vulgares; scilicet in Scania ad Esperöd, Bäckaskog &c., rarius; in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Godegård, Gusum &c., frequens; in Helsingia ad Glösbo feminæ 25 Aug. 1840 a D. *Dahlbom* lectæ. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia missa).

♂♀. Similis priori, sed sæpe paullo minor, magis cylindrica præsertim ♂, & magis dilute cinerea fere cana præsertim ♀. Differt præterea ab illa: fronte paullo magis prominula & albidiore, antennarum seta longius plumata, alis cinereo-hyalinis, squamis albidioribus, ut & abdominis pictura. Abdomen nempe in ♂ subcylindricum, cinereum, lineis 3 subcontinuis (media tamen in segmento ultimo abrupta) nigris, in detrita nitidis; in ♀ ovatum convexum, canum, linea media in segmentis tribus primis continuata, maculaque subovali utrinque in basi segmentorum 2, 3 & 4 locata, nigrobrunneis, opacis. — Antennæ in utroque sexu angustæ.

*Obs.* Feminas hactenus nullibi descriptas sub nomine: *Sarcophaga lapidosa*, olim inter Amicos meos entomologicos divulgavi.

15. S. *latifrons:* subcylindrica, cinerea; antennis seta breviter plumata, vitta frontali, thoracis lineis tribus, abdominis punctis triplici serie dispositis, pedibusque, nigris; ♂: oculis late remotis. ♂♀. (Long. ♂ 1½—2, ♀ 1½—2 fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 31. 28. ♀. *Musca* Fall. Muscid. 40. 7. ♂. *Agria* Macq. Buff. 2. 230. 2. ♀. T. 16. f. 3. caput.

Hab. in Suecia meridionali & media, libenter in campis aridis & locis arenosis littoralibus, 2 Jun.—20 Aug., passim; scilicet in Scaniæ littoribus maris ex. gr. ad Lomma, Malmogiam, Kjeflinge, Östra Torp, Sandhammar, Esperöd &c., vulgaris; in Ölandia ad Ekerum &c.; in Gottlandia ad Slitö &c.; in Dania ad Dyrhaven Jul. 1811. D. *Dahlbom.* (E Glogavia a D. *Zeller* in pluribus exemplis communicata).

♂♀. A priori, cui similis, differt: magnitudine plerumque minore, corpore in utroque sexu subcylindrico, antennis paullo latioribus, seta brevius plumata, thoracis striis nigris obsoletioribus, abdomine nigro-punctato, nec nigro-lineato, alarum nervo transv. ordinario magis recto, ut & fronte in utroque sexu latiore. Oculi in utroque sexu late distantes, vitta frontali latissima, nigra. Abdomen cinereum opacum, in singulo segmentorum 2 & 3 prope marginem apicalem puncta tria fusco-nigra, quorum tamen intermedium sæpe majus, oblongum lineam mediam subinterruptam formans. Nervus transversus apicalis in individuis majoribus distincte incurvus, in minoribus leviter flexus. Spinula costæ adest, licet minuta. Ungues & pulvilli in utroque sexu parvi. Anus maris rotundatus, obscurus, nitidus; feminæ acutiusculus.

16. S. *obsoleta:* subcylindrica, cinerea; antennis seta longe plumata, vitta frontali, thoracis lineis tribus, abdominis lineola media abbreviata punctisque lateralibus obsoletis, pedibusque, nigricantibus; ♂: oculis subanguste remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 31. 29. ♀. *Musca* Fall. Muscid. 40. 7. ♂.

Hab. cum priori, 6 Jun.—15 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd, Sandhammar &c., haud raro; in

Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Ölandia ad Borgholm; in Gottlandia ad Fårön &c. rarius.

♂♀. Priori iterum valde similis & affinis; sed antennarum seta distinctius plumata, thoracis abdominisque signaturis fuscis multo obsoletioribus, ut & maris fronte evidenter angustiore, facile dignota. Magnitudine valde variat. — Frons in ♂ angustata, in ♀ modice lata. Antennæ angustatæ. Thoracis lineæ obsoletæ. Abdomen in ♂ subcylindricum, in ♀ ovato-rotundatum, convexum, in utroque sexu griseum, opacum, lineola dorsali in segmentis 2 & 3, tenui, brunnea, & punctis utrinque 2 in iisdem segmentis, nempe in basi singuli segmenti utrinque puncto unico parvo fusco sæpe valde obsoleto. Incisuræ ad latera albicantes. Alæ ut in præcedente. Pedes cinerascentes, tarsis nigris. Variat detrita abdomine thoraceque obscuris nitidis.

*Obs.* Specimen masculum *Sarcophagæ,* 2 lin. long., cylindricum, totum atrum, nitidum, antennis angustis, seta mediocriter plumata, fronte modice angusta, alarum nervo longitud. 3:tio a basi ad transversum medium setuloso, ut & squamis albis; in Scania ad Abusa ante plures annos inveni; sed cum forte non nisi individuum detritum *S. lineatæ* sit, illud hoc modo tantum indicare volo.

B. Anus rufus aut rufescens. (*S. vagans:* femina ano rufo in subdivis. A. sub n:o 10 quærenda).

*α*). Mares: tibiis posticis intus obscure villosis.

17. *S. hæmorrhoidalis:* cinerea, capite albo-flavido; antennis, vitta frontali, thoracis lineis 3, pedibusque, nigris; abdomine fusco-tessellato, ventre cinereo; ano nitido, sanguineo, segmento 1:mo in ♂ atro. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 28. 22. ♂♀. Macq. Buff. 2. 224. 5. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 39. 2. ♂♀. Var.

Hab. in Scandinavia, Jun.—Aug., passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum &c.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia usque ad Mullfjellen; in Lapponia Umensi rar.; in Norvegia ad Thynæs. (E Kilia a D. *Wiedemann* missa).

♂♀. Similis *S. carnariæ*, sed magnitudine paullo minore, capite minus flavicante, fronte multo minus porrecta, ut & in ♂ tibiis posticis intus minus crebre villosis, & ani segmento ultimo sanguineo, differt. Abdominis segmentum 2:dum in medio apicis ♂♀ bisetosum.

18. *S. cruentata*: schistacea, capite albo; antennis, vitta frontali, thoracis lineis 3, pedibusque, nigris; abdomine fusco-tessellato, ventre cinereo; ano nitido, sanguineo, segmento 1:mo in ♂ atro. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 28. 23. ♂♀. Macq. Buff. 2. 225. 6. *S. ruficauda* Zett. Ins. Lapp. 650. 4. ♂. Var. detrita.

Hab. cum priore, cui simillima, præter caput album, nec flavidum, colorem corporis schistaceum l. glaucum, ut & tibias in ♂ intus forte brevius villosas.

β). Mares: tibiis posticis intus nudiusculis.

19. *S. hæmorrhoa*: albido-cinerea, capite albo; antennis, vitta frontali, thoracis lineis 3, abdominis tessellis pedibusque, nigris; alarum nervis longitudinalibus 1 & 3 basi setulosis; ano nitido, in ♀ rufo, in ♂ sanguineo segmento 1:mo atro. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Meig. Dipt. 5. 29. 24. ♂♀. Macq. Buff. 2. 225. 7. ♂♀.

Hab. in Suecia, Jul. Aug., passim, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund &c., vulgaris; in Gottlandia ad Thorsborg, Martebo, Kyllej &c. frequens; in Ångermannia ad Hernösand. (Ad Jungfern-Heyde & Moabite prope Berolinum a D. *Dahlbom* lecta; & e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Similis *S. cruentatæ,* sed plerumque multo minor, & maris tibiis posticis intus nudis, vere diversa. Frons parum porrecta, in ♂ angustata. Antennæ præsertim in ♂ haud latæ. Abdominis segmenta: 1:mum ad latera, & 2:dum in medio apicis & ad latera, parce setosa. Alarum basi fuscarum nervi longitudinales 1 & 3 basi distincte setulosi, ut in priori. Spinula costæ distincta. Squamæ albæ. Pulvilli in ♂ magni, in ♀ parvi. Ani segmentum 1:mum in medio apicis in ♂ sæpe macula cinerea. Venter in utroque sexu cinereus.

20. *S. hæmatodes:* cinerea, capite albido; antennis pedibusque nigris; thoracis lineis 3, abdominisque tessellis, olivaceo-micantibus; alarum nervo longitudinali 3:tio basi setuloso; ano in ♀ griseo-rufescente, in ♂ sanguineo nitido segmento 1:mo cinereo opaco. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 29. 25. ♂♀. vera. Macq. Buff. 2. 225. 8. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 650. 5. ♂♀. *Musca hæmorrhoidalis* Fall. Muscid. 39. 2. ♂♀. genuina.

Hab. in foliis fruticum, sepibus, parietibus ligneis, &c., per Sueciam, Daniam & Norvegiam, usque ad Lapponiam Umensem procedens, tota æstate, ubique vulgatissima, in copula multoties capta. Feminas vermiculos fere 1 lineam longos, apodos, albos, antice macula sanguinea notatos, parientes in Gottlandia d. 15 Jul. vidi. (E

Glogavia utrumque sexum, feminasque sub nomine: "*S. vagans?*" communicavit D. *Zeller*. Ad Moabite prope Berolinum a D. *Dahlbom* frequenter lecta).

♂♀. Similis priori, a qua vero colore magis griseo-cinereo, signaturis olivaceis, nec nigris, antennis nonnihil latioribus, fronte in ♂ latiore, alis basi in utroque sexu parum infuscatis, nervo tantum longitudinali 3:tio, nec quoque 1:mo, basi setuloso, ut & ano in ♀ cinereo-rufescente, in ♂ segmento 1:mo toto opaco cinereo, 2:do nitido sanguineo, abunde dignoscitur. — Spinula costæ nulla. Abdominis signaturæ olivaceæ certo situ subtrifariam positæ, segmentis 1:mo & 2:do in disco & medio apicis nudis.

**21.** *S. erythrura:* albido-cinerea, capite albo; antennis, vitta frontali, thoracis lineis 3, abdominis maculis elongatis trifariam positis, pedibusque, nigris; alarum nervo longitudinali 3:tio basi setulosa; ano in utroque sexu nitido, sanguineo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 30. 26. ♂.

Hab. in fruticibus, etiam campis aridis, per Sueciam mediam & meridionalem, passim; scilicet in Scania ad Silfåkra, atque in campis littoralibus ad Sandhammar, Scanör, Lomma, &c., frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp rarius.

♂♀. Affinis & similis duabus proxime præcedentibus; sed a *S. hæmorrhoa* alarum nervo longitudinali tantum 3:tio basi setuloso, spinula costæ minuta; ab *hæmatodes* colore albidiore, signaturis corporis nigrioribus, nec fuscis, fronte in ♂ nonnihil angustiore; & ab utraque abdominis maculis certo saltem situ lineas tres subinterruptas formantibus, anoque in utroque sexu toto sanguineo nitido, in ♂ minus quam in prioribus exserto. Abdomen in ♀ sæpe totum nigricans, maculis cinereis hinc inde micantibus; per anum

vero totum sanguineum nitidissimum facile dignota. Segmentum abdominis 2:dum in medio apicis bisetosum.

*Sect. 2:da.* Palpi flavi. Alarum nervus longitudinalis 4:tus infra angulum non continuatus. Varicolores. Tibiæ posticæ intus semper nudæ.

*Subd. I.* Color præcedentium. Corpus scilicet cinereum, thorace nigro-lineato, abdomine obscure maculato.

22. *S. ruralis:* cinerea, antennis basi fusco-rufis; capite albido, fronte prominente, concolore, vitta, thoracis lineis 3, abdominis maculis triplici serie dispositis, pedibusque, nigris. ♂♀. (Long. 2 $\frac{1}{2}$—3$\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 17. 2. T. 43. f. 9. Macq. Buff. 2. 223. 1. *Musca* Fall. Muscid. 39. 3. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, truncis arborum viventium Populi tremulæ, &c., 4 Jun.—15 Aug., passim; scilicet in Scania ad Abusa, Björnstorp, Esperöd &c., haud raro; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Ölandia ad Borgholm.

♂♀. Similis *S. affini* (13) & *lineatæ* (14), sed palpis flavis mox dignota. Caput album. Frons porrecta, in ♂ modice angustata, in ♀ lata, vitta in utroque sexu atra, serie setarum ad antennarum basin continuata. Antennæ latæ, fusco-nigræ, articulis 1 & 2 fusco-rufescentibus, seta ad medium breviter plumata & in medio flavescente. Epistoma ad latera juxta os setulis 4—6 tenuissimis. Palpi subfiliformes, flavi. Abdomen ovatum, convexum, opacum, cinereum, segmento 1:mo fere toto nigro, & in singulo segmentorum 2 & 3 maculis tribus elongato-triangularibus ejusdem coloris. Segmenta: 1:mum nudum, 2:dum in medio apicis tenuiter bisetosum, reliqua margine apicali plurisetosa. Anus & venter cinerea. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis: lon-

gitudinali 3:tio basi setuloso; transversis: medio sub-perpendiculari, infuscato, ordinario oblique distincte flexo, apicali incurvo. Area sat late aperta. Spinula costæ adest. Squamæ albæ. Pedes nigri, cinereo-micantes. — Cum *Dexia carinifronte* seta antennarum fere ad apicem plumata, & palpis nigris prædita vix confundenda.

23. *S. muscaria:* cinerea, capite albido, fronte parum prominente concolore, vitta, antennis, thoracis lineis 3, abdominis maculis dilatatis micantibus, pedibusque, nigris. ♀. (Long. fere 3½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 17. 3. Macq. Buff. 2. 221. 2. ♀.

Hab. in Succia media rarissime; in insula Gottlandia ad Kyllej d. 8 Jul. 1819 specimen descriptum inveni.

♀. Similis priori, a qua vero fronte multo minus porrecta, antennis & seta totis nigris, palpis apice crassioribus & dilutius flavis, abdomine paullo breviore & latiore, maculis subolivaceo-micantibus majoribus dilatatis irregularibus, spinula costæ nulla, ut & alarum nervo transvesso ordinario propius ad angulum nervi long. 4:ti ducto, abunde dignoscitur. Setæ quoque 5 in epistomatis lateribus juxta oculos multo validiores, rigidæ. Abdomen certo situ nigrum, maculis præsertim ad latera cinereo-micantibus, alio situ cinereum, maculis mediis dilatatis margineque apicali segmentorum nigro-micantibus. Anus niger. Venter in nostro specimine levissime cinereo-micat.

24. *S. pygmæa:* cinerea, fronte non prominente, concolore, antennis subrufescentibus; vitta frontali, abdominis linea media obsoleta pedibusque, nigricantibus. ♀. (Long. vix 1½ lin.).

Hab. in Succia meridionali rarissime; in Scania unicum individuum inveni.

♀. Minuta. Subsimilis *S. obsoletæ* (16), sed palpis vere flavis, antennis sordide rufescentibus, seta non omnino tam longe plumata, pictura corporis fusca adhuc obsoletiore &c., certe distincta. Opaca, cinerea. Frons mediocriter lata. Thorax vix fusco-lineatus. Abdomen rotundato-ovatum, vitta dorsali in segmentis 1, 2 & 3 brunnea obsoleta, juxta quam utrinque vestigium strigularum brunnescentium in segmentis 2 & 3. Segmenta 1 & 2 omnino inermia. Venter cinereus. Alæ cinereo-albidæ, nervis pallescentibus; transversis: ordinario subrecto, apicali subcurvo. Spinula costæ nulla. Squamæ & halteres albida. Pedes nigro-fusci.

*Subd. II.* Color corporis metallicus, nitens, thoracis scilicet cærulescenti niger, lineatim albo-micans, abdominis chalybeus aut virescens.

25. *S. Mortuorum:* cærulescenti nigra, capite aureo-fulvo, antennis luteis; thorace antice obsolete albo-4-vittato; abdomine viridi-chalybeo, nitidissimo, unicolore. ♂♀. (Long. 4 sæpe 5 lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine viridi-chalybeo, antennis aut luteis, aut sæpius superne fuscis.

Meig. Dipt. 5. 16. 1. (exclus. syn. Schrank Austriæ *M. vomitoria*). *Musca* Linn. Fn. Su. 1830. Fall. Muscid. 45. 18. ♂♀. (exclus. syn. Fabr. Antl., quod ad *Muscam vomitoriam* pertinet). Latr. Gen. 4. 345. Zett. Ins. Lapp. 650. 6. ♂♀. *Cynomyia* Macq. Buff. 2. 233. 1. ♂♀. T. 16. f. 4. ♂. — *Musca chrysocephala* De Geer Ins. 6. 60. 5. *Musca vomitoria* Fabr. Antl. 290. 34. Rossi Fn. Etr. 463. 1494.

Var. b. ♂♀. abdomine toto aureo-viridi; antennis ut in var. a. variantibus.

Meig. l. c. var. — Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♀.

Hab. utraque varietas in graminosis, parietibus sæpe insidens, etiam in domibus, per Scandinaviam totam a Scania meridionali usque ad NordCap, alpibus lapponicis summis tantum exceptis, Maj.—Sept., vulgaris, sæpe in copula capta. — Strenue volans. Larva in cadaveribus & carne putrida, libenter in caninis, unde nomen *Cynomyia* Robin. Desvoidy. (Ex Helgolandia plura specimina reportavit D. *Dahlbom)*.

♂♀. Magnitudo valde variat. Caput totum fulvum, nitens, vertice postice præsertim in ♀ interdum grisescente. Oculi obscure ferruginei, in viva æneo-micantes. Frons distincte porrecta, in ♂ modice lata, in ♀ latissima, vitta lata lutea. Antennæ epistomate paullo breviores, latæ, luteæ, articulo ultimo superne sæpe fusco 2:do saltem triplo longiore; apice revera obtusæ, sed in mortuis margo interior sæpe inflexus, unde apex earum in his acutus videtur, qualis a D. *Fallén* describitur. Seta nigra, in medio supra longe, subtus breviter, plumata. Epistoma prominens & descendens, nudum, setis mystacinis & sub margine oris nigris. Vibrissæ nigræ parum inchoantes. Palpi flavi. Proboscis obscura. Abdomen pubescens, segmentis 1 & 2 inermibus, reliquis margine apicali nigro-setosis. Venter niger. Anus ater, in ♂ magnus, longe inflexus, dense villosus, hamulis 2 corneis, inflexis terminatus. Alæ hyalinæ, nervis obscuris; transversis: medio obliquo, crasso, ordinario distincte inflexo, apicali concavo. Area aperta. Nervus long. 3:tius basi parce setulosus, 4:tus angulatus, angulo subdescendente. Spinula costæ parva. Squamæ albæ. Halteres fusci. Pedes nigri, tarsorum unguibus in ♂ distincte incurvis, pulvillisque, longis. Variat abdomine chalybeo, violaceo aut viridi, splendido.

26. *S. alpina:* cærulescenti nigra, capite fulvo, antennis nigricantibus, basi luteis, genis & vertice fuscis;

thorace antice obsolete albo- 4-vittato; abdomine cæruleo, nitido, leviter albo-micante. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ lin.)

Zett. Ins. Lapp. 651. 7. ♂. — *Sarc. vomitorina* Wahlb. in litteris 1842.

Hab. in Suecia media & boreali, in foliis fruticum & ligno cæso mihi obvia, 24 Jun.—15 Sept., passim; in copula ter capta; scilicet in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh* rar.; in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Berge, Forsa, Skalstugan usque ad summa cacumina alpium Åreskutan & Mullfjellen adscendens, sat frequens; in jugo alpino Norvegiæ inter Kongsstue & Höjfjeldbroe atque ad diversorium Suul, D. *Dahlbom*; in Lapponia Umensi ad alpem Brattiksfjell rarissime; in alpe Njunnas ad Quickjock Lapponiæ Lulensis 1844 a D. Prof. *Wahlberg* lecta.

♂♀. Similis priori; sed præter magnitudinem minorem differt etiam: fronte paullo minus porrecta in ♂ nonnihil angustiore, vertice latius obscuro, antennis nigricantibus, articulis 1 & 2 totis, 3:tioque basi luteo-rufis; epistomate fulvo subalbido-micante in medio orichalceo, vibrissis brevissimis, spuriis, genis obscuris, abdomine cæruleo, maculatim albomicante, segmento primo fere toto & lineola in medio segmenti secundi nigris. Reliqua ut in præcedente. Anus maris magnus omnino *Sarcophagæ*. Abdominis segmentum ultimum in femina sæpe viride. A *Musca vomitoria* & *erythrocephala*, quibus sat similis, differt: magnitudine minore, corpore saltem minus lato, antennis basi rufis, seta tantum in medio superne longe, inferne breviter plumata, nec a basi & fere usque ad apicem undique subæque longe plumata, oculis in ♂ nonnihil remotioribus (licet magis appropinquantibus quam in *S. Mortuorum*), squamis sub alis al-

bis, nec fuscanis, tuberculo anali maris majori, ut & abdominis segmento ultimo in femina apice acutiore.

27. S. *fuscipalpis*: chalybea, capite plumbeo, antennis palpisque nigricantibus; abdomine violaceo, nitidissimo, apice aureo-viridi, segmento 1:mo, vitta frontali angusta (♂), aut lata (♀), pedibusque, nigris; alis hyalinis, squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—3 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarius; in Jemtlandia boreali ad cataractam Ristansfors, radicem alpium Mullfjellen & ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm; in Norvegia ad Suul Værdaliæ, 27 Jun.—5 Aug. 1840 specimina 3 mascula & totidem feminea inveni.

♂♀. Statura omnino & summa *S. Mortuorum* similitudo, sed multoties minor, capite plumbeo, nec fulvo, &c., diversa. Caput plumbeum, nitidum, interdum macula utrinque ad os picea. Frons minus exserta, in ♂ angusta (ut in *Musca erythrocephala*) vitta angusta nigricante; in ♀ lata, vitta latissima, nigra. Antennæ in ♂ modice latæ, in ♀ latissimæ, articulo ultimo in utroque sexu reliquis quadruplo longiore, fusco-nigro, seta superne sat longe plumata. Epistoma vibrissis brevissimis, spuriis. Palpi filiformes, obscure fusci l. lividi. Mentum non dense pilosum. Thorax chalybeus, nitidus, disco dorsali præsertim antice virescente, certo situ vestigio striarum tenuium nigrarum in medio. Scutellum & pleuræ violacea l. cyanea. Metathorax niger. Abdomen violaceum nitidissimum, pilosulum, segmentis 1:mo inermi toto nigro, 3 postice, & 4 toto, aureo-viridibus. Segmenta 2 & 3 margine apicali, & 4:tum fere totum, setulosa. Venter niger. Anus maris proportione sat magnus nitidus, tuberculo 1:mo nigro, ultimo virescente. Alæ hyalinæ, basi subfuscanæ. Nervi longitudinales: 3:tius basi brevissime setulosus, 4:tus subrectangulatim flexus. Nervi transversi: ordinarius leviter flexus, apicalis subrectus. Area

aperta. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Halteres testacei. Tarsorum ungues & pulvilli mediocres.

*Obs.* Valde similis videtur *Muscæ violaceæ* Meig. 7. 301. 5. ♂., sed differt ab illa abdomine convexo, nec plano, ut & squamis sub alis albis, nec griseis. De palporum tamen colore suæ *M. violaceæ* silet D. *Meigen.* — A *S. genarum:* palpis obscuris, nec flavis, antennis angustioribus, colore corporis violaceo, nec cæruleo, facile distincta. A *S. cærulea*, cui adhuc similior, colore multo splendidiore, oculis forte nonnihil magis remotis & ano maris distinctius exserto, differt. Cum *M. azurea*, quæ antennis brevioribus, seta usque ad apicem plumata, corpore depressiore, squamis sub alis fuscanis, &c., gaudet, vix confundi potest.

28. *S. Vespillo:* nigricans, thorace antice albo-micante, striis atris; capite obscure albido, palpis flavis; antennis, vitta frontali pedibusque, nigris; abdomine virescente aut cærulescente, albo-micante; alis cinereis, squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$, sæpe $2\frac{1}{2}$, plerumque 3, raro fere $3\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca Vespillo* Fall. Act. Holm. 1816. 247. 23. ♂♀. & Muscid. 47. 23. ♂♀. genuina. — Fabr. Antl. 292. 39. (secundum Mus. Fabric. teste D. *Wiedemann*). Meig. Dipt. 6. p. 374. Zett. Ins. Lapp. 658. 20. ♂♀. var. a. & b. — *Musca sepulchralis* Meig. Dipt. 5. 71. 34. ♂♀. & 7. 300. 10. (Ad *Onesiæ* aut *Calliphoræ* genus Macq. hæc species forte pertinet.).

Hab. in graminosis, foliis fruticum, floribus Compositarum, & sepibus, per hortos, campos prata &c., totius Scandinaviæ, Jun.—Aug., & præsertim feminæ usque ad Sept., vulgatissima, in copula capta & e pupa sæpe exclusa; scilicet in tota Suecia, Lapponia usque ad radicem alpium procedens, Dania, & Norvegia, ubique frequens.

(Ad Reinberg & Neuenkirchen a D. D. Prof. ***Hornschuch*** & ***Dahlbom*** lecta mihique in pluribus individuis communicata. E Kilia quoque a D. ***Wiedemann*** missa).

♂♀. Magnitudine valde variat. Caput nigrum albo- l. cinereo-micans, plerumque macula utrinque ad os ferruginea. Frons modice porrecta, in ♂ postice angustissima (oculis fere cohærentibns), in ♀ lata; in utroque sexu vitta nigra, in ♂ antice lata postice omnium angustissima, in ♀ latissima. Antennæ epistomate fere duplo breviores, nigræ, articulo ultimo 2:do duplo longiore, in ♂ angusto, lineari, in ♀ paullo latiore. Seta tantum ad medium plumata, pluma superne longa, inferne brevi. Palpi cylindrici, flavi, interdum apice fusci. Peristomium summum sæpe rufescens. Mentum pilosum. Thorax niger, opacus, in illæsis antice præsertim cinereo-micans, lineis tribus distinctioribus nigris, media duplicata. Abdomen ovatum, convexum, nitidum, aut æneo-virescens, aut cærulescenti viride, linea dorsali brunnea obsoleta; albo-maculatum, pubescens, segmentis: 1:mo brevi, inermi, obscuro; 2:do ad marginem lateralem parce setoso; 3:tio margine apicali multisetoso; & 4:to fere toto setuloso. Venter niger. Anus in ♂ haud magnus, inflexus, niger, nitidus, pilosus. Alæ inermes, hyalinæ, basi infuscatæ, nervis ut in priori directis. Nervus transv. medius distincte infuscatus. Squamæ albæ in ♂ leviter fuscanæ. Halteres flavi. Pedes nigri, tarsorum unguibus incurvatis. Alarum area media fere in summo apice alæ terminatur, ibique sæpissime aperta; sed aberrat quoque interdum occlusa. — In uno specimine, (in alpe Areskutan Jemtlandiæ captum) nervi alarum longitudinalis 4:ti angulum in discum paullo descendentem, & in altero hunc nervum infra angulum nonnihil continuatum vidi.

*Obs.* Varietatem cærulescentem sub nomine: "*Musc. chrysorrhoea* Meig." e Dania obtinui. — *Musca agilis* Meig. Dipt. 5. 70. 33. *Sarc. vespilloni* (seu *sepulchrali* Meig.) in omnibus simillima, præter palpos nigros, in Germania

frequens, in Scandinavia forte non occurrit, mihi saltem numquam obvia, nisi varietatem *S. vespillonis:* palpis flavis apice obscuris, huc referre vellem. Individua 2 unum masculum & unum femineum *Sarcophagæ vespilloni* nostræ simillima ad St. Sever Galliæ capta, sub nomine: "*Calliphora rufipalpis* Macq." a Cel. D. *Leon Dufour* 1844 obtinui. Specimina duo minora feminea ab Eodem sub nomine: "*Pollenia vespillo* Fabr." quoque missa ad nostram *Sarc. vespillonem* referri debere etiam videntur.

*Cohors Secunda.* Anus in mare parvus.

29. *S. genarum:* nigricans, thorace antice albo-micante, striis atris; capite albido, vitta frontali latiuscula picea, epistomate inferne palpisque rufescentibus, antennis latis genisque obscuris; abdomine cærulescente; alis hyalinis, squamis albis; pedibus nigris. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.).

*Musca* Zett. Ins. Lapp. 658. 18. ♂. *Musca laticornis* Zett. Ins. Lapp. 658. 19. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali & Lapponia, 8 Jul.—17 Sept., minus frequens, in copula 24 Jul. deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad radicem alpium Mullfjellen; in Botnia occidentali; in Lapponia Umensi ad alpem Brattiksfjell; in Lapponia Tornensi ad Muonioniska, lacum Torneåträsk atque in alpium Tornensium jugo in ipsa nive ambulans; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ rarissime.

♂♀. Similis *M. vomitoriæ & erythrocephalæ*, sed multo minor & antennarum seta brevius plumata, apice nuda, squamis sub alis albis, nec fuscanis, oculis in ♂ paullo remotioribus, &c., distincta. A *S. alpina* (26), cui etiam valde similis, magnitudine plerumque paullo minore, antennarum seta brevius plumata, abdomine minus lucido, ut & ano in ♂ multo minore, differt. Caput albo-nitens. Frons minus porrecta,

in ♂ latiuscula, vitta parum angusta, nigra aut picea; in ♀ lata, vitta latissima, nigra. Antennæ epistomate nonnihil breviores, nigricantes, articulo ultimo reliquis quadruplo longiore, latissimo (præsertim in ♀), ima basi & articuli 2:di apice rufescentibus. Seta ad medium breviter plumata, deinde nuda. Epistoma ferrugineum, in medio, superne ad latera & genis nigricantibus. Vibrissæ inferne brevissimæ, spuriæ. Palpi clavati, flavi. Proboscis nigra. Mentum non dense pilosum. Thorax cærulescenti niger, opacus, antice leviter albo-micans, vittis 3 nigris. Abdomen violaceo-cæruleum, nitidum, certo situ albo-micans, lineola dorsali segmentoque 1:mo toto, nigris, 3:tio 4:toque plerumque cærulescenti viridibus. Segmenta: 1:mum breve, inerme, 2 & 3 margine apicali multisetosa, 4:tum fere undique setulosum. Alæ inermes, hyalinæ, ima basi fuscanæ. Nervus longitud. 4:tus subrectangulatim flexus. Nervi transversi, ordinarius subflexus, apicalis subrectus. Squamæ albæ. Halteres fusci. Pedes nigri, tarsorum unguibus curvatis pulvillisque in utroque sexu non magnis.

30. S. *cærulea:* violaceo-nigra, thorace antice albo-micante, striis atris; capite albido, vitta frontali angusta (♂), aut latiuscula (♀), antennis angustis, palpis, genis pedibusque, nigris; abdomine cærulescente; alis hyalinis, squamis albis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2½ lin.).

*Musca* Meig. Dipt. 5. 63. 23. ♂♀. *Calliphora* Macq. Buff. 2. 261. 8? ♂♀. *Musca cognata* Meig. Dipt. 6. p. 371. & 7. 300. 4.

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ hortorum pratorumque fruticibus, 2 Jul.—30 Aug., passim, mihi præsertim in foliis Alni obvia; in fenestris quoque, forte errabunda, visa; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Kivik, Esperöd &c. haud rara; in Smolandia; in Ölandia; in

Gottlandia ad Ruthe raro; e Dania a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Similis priori, sed sæpe duplo & ultra minor, & antennis angustioribus, seta longius plumata, palpis nigris, epistomate non rufo-maculato, ut & fronte in ♂ multo angustiore, distincta. — Antennæ lineares, nigræ. Palpi subfiliformes, nigri. Alarum nervi transversi: ordinarius leviter flexus, apicalis rectus. Angulus nervi long. 4:ti subobtusus. Oculi in ♂ fere cohærentes. Reliqua exacte ut in præcedente. Variat abdomine toto violaceo. — In collectione Falleni adest individuum in Ölandia captum nomine: "*Musca azurea* minuta" digito ipsius Cel. Viri designatum, quod ad hanc speciem certe referendum. — E Dania specimina sub nomine *Musca azurea* obtinui.

31. S. *atriceps:* violaceo-cærulea, nitida, capite villoso, antennis latis, palpis pedibusque, atris; alis hyalinis, squamis nigris. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Jemtlandia ad radicem alp. Mullfjellen specimen descriptum d. 27 Jul. 1840 detegit Cel. D. *Dahlbom.*

♀. Valde similis & affinis *M. grönlandicæ, sordidæ & azureæ*, sed a *grönlandica* palpis nigris, nec flavis, a *sordida* squama sub alis nigra, nec albida, ab *azurea* capite toto atro, nec ad latera cinereo, & ab his omnibus antennarum seta breviter & vix ad medium plumata, apice longe nudo, certe differt. — Ovalis, subdepressa. Caput atrum, villosum, supra genas juxta oculos utrinque macula triangulari certo situ grisescenti micante. Frons latissima, vitta lata. Antennæ epistomate fere duplo breviores, articulo ultimo latissimo, subquadrato, 2:do fere duplo longiore. Vibrissæ tenues fere ad medium epistomatis adscendunt. Palpi subclavati, nigri, basi lividi. Mentum villosum. Thorax violaceo-cæruleus, nitidus, antice certo situ lineis obscurioribus. Abdomen ovale, subdepressum, cæruleo-violaceum,

postice cæruleo-virescens, totum dense atro-pubescens, apice nigro-pilosulum. Alæ hyalinæ, inermes, basi subinfuscanæ. Nervi validi; transversi: medius obliquus, ordinarius inflexus, apicalis rectus fere in apice l. mox ante apicem alæ excurrens. Squamæ, halteres & pedes nigra.

---

# Fam. 25. MUSCARLÆ.

## 127. LUCILIA Robin. Desv.

*Corpus* mediæ magnitudinis, breviter ovatum, thorace setoso, abdomine pubescente. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, sublineares, articulo ultimo 2:do circiter triplo longiore, basi seta dorsali longe plumata, plumis versus apicem decrescentibus. Oculi nudi. Frons parum exserta. Epistoma descendens, ore subreflexo. Vibrissæ nullæ aut inferne spuriæ. Abdomen breve, rotundatum, inerme, nec nisi in paucis setulosum, ano pilosulo. Segmentum 1:mum breve. Alæ divaricatæ, subinermes, spinula costæ nulla; in nostris hyalinæ. Nervus longitud. 4:tus angulatim flexus mox ante summum apicem alæ excurrens, infra angulum non continuatus. Nervi transversi: medius obliquus; ordinarius leviter flexus paullo pone medium areæ insertus; apicalis subrectus. Area aperta. Squamæ distinctæ. Pedes simplices. Tarsi pulvillique in utroque sexu fere æque longi. *Color* aureo-viridi- l. cæruleo-nitens. *Motu* velox. *Habitatio* in foliis plantarum, floribus, graminosis &c. *Differentia sexus; mas:* oculis cohærentibus aut appropinquantibus; *femina:* oculis late remotis, oviductu longe vaginato.

A. Palpi rufi vel ferruginei. Typus: *Lucilia Cæsar.*

1. *L. Cæsar:* aureo-viridis, nitens, interdum cæruleo-micans, abdominis 1:mo segmento concolore, aut ob-

scuro; epistomate lateribus argenteo, medio fusco, apice rufescente; genis albo-micantibus; palpis flavis; antennis pedibusque nigris; oculis in ♂ arctissime cohærentibus, in ♀ modice remotis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Robin. Desvoid. n:o 1. Macq. Buff. 2. 252. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 292. 1. T. 73. f. 15. ♂. *Musca* Linn. Fn. Su. 1828. De Geer Ins. 6. 61. 6. Schrank Austr. 923. Reaum. Ins. 4. T. 8. f. 1. Rossi Fn. Etr. 462. 1491. Fabr. Antl. 289. 26. Latr. Gen. 4. 345. Fall. Muscid. 46. 20. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 51. 1. Zett. Ins. Lapp. 655. 9. ♂♀.

Hab. imagines in foliis fruticum & herbarum, per totam Scandinaviam usque ad Lapponiam (alpes vero aufugiens), a primo vere ad autumnum, ubique vulgatissima; larvæ in cadaveribus, carnibus, putridis, &c. (E Finlandia, Kilia, Lubeca, Sedino, Glogavia, Wienna &c quoque communicata. Ad Lewenhagen & Elisenheyne prope Gryphiam etiam in pluribus exemplis a D. *Dahlbom* hoc anno (1844) lecta).

♂♀. Magnitudine & colore variat, aut tota viridis, aut thorace cærulescens & abdomine viridis, aut tota cærulescens l. cyanea, aut denique tota (in veteribus) ænescens l. cuprea. Præter capitis colorem (apud *L. ruficipitem*), oculorum connectio est fere unica nota essentialis & constans hanc a reliquis hujus subdivisionis distinguendi speciem, nam color corporis minus valet. Caput argenteo-micans, epistomatis apice pallide rufo-testaceo, genis nigris albo-micantibus. Epistomatis discus concavus griseo-nigricans, opacus. Frons minime prominens. Oculi magni, in ♂ arcte cohærentes, per lineam tantum angustissimam geminam albam in fronte distantes; in ♀ per vittam frontalem latam griseo-nigram opacam utrinque anguste argenteo marginatam remoti. Series seta-

rum frontalium utrinque in ♂ simplex, in ♀ postice duplex, in utroque sexu ad radicem antennarum continuata. Vertex in ♀ viridi-micat. Antennæ nigro-fuscæ. Thorax & scutellum setosa. Abdomen pubescens, apice tantum subpilosum. Segmentum primum in medio pro receptione scutelli excavatum; totum plerumque, saltem a posteriori visum, obscurum seu cyaneo-nigricans. Alæ hyalinæ, basi leviter fuscæ. Nervus longitudinalis 3:tius basi setulosus. Nervi transversi: ordinarius subinflexus, apicalis fere rectus. Squamæ albæ. Halterum clava albida. Pedes nigri.

2. *L. ruficeps:* aureo-viridis, nitens, interdum cæruleo-micans, abdominis 1:mo segmento obscuro; epistomate pallide rufescente, orbita oculorum alba, genis nigris albo-micantibus; palpis flavis; antennis pedibusque fuscis; oculis in ♂ arctissime cohærentibus, in ♀ modice remotis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Macq. Buff. 2. 252. 6? Meig. Dipt. 7. 292. 3? ***Musca*** Meig. Dipt. 5. 55. 8? ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarius; marem e Dania sub hoc nomine a D. *Staeger* obtinui; feminam in Smolandia inveni. (Sub nomine: "*Musca flaviceps* Bouch." individuum masculum e Silesia mihi quoque misit D. *Zeller).*

♂♀. Similis priori, a qua magnitudine duplo minore, antennis pedibusque fuscis, ut & facie magis rufescente dignoscitur. Macula rufescens in fronte supra antennas, in ♂ parva, in ♀ magna vittam frontalem antice efficiens, adest.

3. *L. sericata:* aureo-viridis, nitens, interdum cæruleo-micans, abdominis 1:mo segmento obscuro; epistomate argenteo, inferne nigro albo-micante, oris margine antico rufescente; palpis flavis; antennis pedibusque

nigris; oculis in ♂ cohærentibus, in ♀ late remotis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Var. a. ♂♀. 2½—3 lin. longa, corpore viridi aut cærulescente.

Macq. Buff. 2. 252. 5? ♂♀. — Meig. Dipt. 7. 292. 2? *Musca* Meig. Dipt. 5. 53. 3? ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 655. 10. ♂♀.

Var. b. ♂♀. 3 lin. longa, viridis, cærulescenti micans, thorace vittis 4 æquali spatio remotis, scutelloque chalybeis l. violaceis.

*Lucilia cærulescens* Macq. Buff. 2. 253. 9? ♂♀. — Meig. Dipt. 7. 292. 4? *Musca* Meig. Dipt. 5. 55. 10?

Hab. cum priori tota æstate, var. a. frequentissima; var. b. præsertim in Scania ad Lund, in Blekingia (D. *v. Borck*), & in Ostrogothia ad Wadstena, lecta.

♂♀. Simillima *L. Cæsari*, a qua vix nisi oculorum connectione discrepat. Oculi scilicet in ♂ sat intime quidem cohærent, at non tam arctissime ut in *Cæsare*. Oculi quoque in ♀ paullo magis distant quam in ♀ *Cæsaris*. Variat præterea color ut in *Cæsare*, sed pictura in varietate b. paullo constantior, unde forte propria species.

4. *L. fulgida:* aureo-viridis, nitens, interdum cæruleo-micans, abdominis 1:mo segmento obscuro; epistomate argenteo, inferne nigro albo-micante; palpis flavis; antennis pedibusque nigris; oculis in ♂ paullo distantibus, in ♀ latissime remotis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Hab. in Suecia minus frequens, in copula capta, 15 Jul. ad 10 Sept. mihi obvia; scilicet in Scania ad Lund, Lackalänga (D. *Dahlbom*), &c.; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh.*

♂♀. Valde similis & affinis priori, nec ab illa differt, nisi oculis aperte remotioribus, & id in utroque sexu. Apertura oris quoque parum rufescit. Caput fere totum argenteum. Oculi in ♂ appropinquantes per vittam angustam nigram utrinque (præsertim antice) albo-marginatam separati; in ♀ latissime distantes, nempe per vittam latam griseo-atram utrinque late albo-marginatam remoti; vertex metallice nitet. — Marem toto corpore aureo-viridi, cum femina toto corpore cæruleo-splendente in copula vera junctum deprehendi.

B. Palpi nigri.

5. *L. cornicina:* aureo-viridis, e cæruleo splendens, abdominis nudi 1:mo segmento concolore; epistomate argenteo, medio obscuro; fronte & genis virescentibus aut cæruleis; palpis, antennis pedibusque nigris; alarum nervo transverso apicali basi incurvo; oculis in ♂ paullo distantibus, in ♀ late remotis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

*Mas:* fronte modice angusta, linea media angustissima, grisea, oculis microscopice puberulis;

*Fem.:* fronte lata, linea media angusta, grisea, oculis nudis; in copula.

*Musca* Fabr. Antl. 289. 29. Fall. Muscid. 47. 21. certissime, ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 655. 11. ♂♀. (excl. syn. Meig.) *Musca Cæsarion* Meig. Dipt. 5. 57. 14.

Hab. in foliis fruticum & herbarum, floribus Compositarum &c., a primo vere usque ad serum autumnum, per totam Scandinaviam, omnium vulgatissima. Larvæ in stercoratis degunt. (E Kilia sub nomine: *Musca cornicina* Fabr. a D. *Wiedemann*, & ex Hafnia sub nomine: *M. Cæsarion* Meig., a D. *Staeger*, missa. (In horto Senatoris *Krey* Gryphiæ Sept. 1844 a D. *Dahlbom*, lecta.

Etiam e Glogavia a D. *Zeller* communicata ut "ex Hirundinis cadavere exclusa." — Sub. nom. "*Lucil. ignita* Macq." ♂ e St. Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missus).

♂♀. Similis *L. Cæsari*, sed colore plerumque cæruleo-splendente, fronte metallice nitente magis polita, oculis magis remotis, vitta frontali in ♀ angustiore, genis metallice nitentibus, palpis nigris, ut & alarum nervi longitudinalis 4:ti angulo magis rotundato, nervo scilicet transverso apicali basi concavo l. inflexo, abunde distincta. Facies argentea, cavitate media obscura. Apertura oris parva. Seta antennarum longe, sed parce plumata. Abdomen subnudum, apice plerumque viride, ano haud piloso. Variat colore frontis & genarum plerumque chalybeo, raro virescente. Pleuræ sæpissime virides, fascia obliqua chalybea.

*Obs. Musca (Lucilia) cornicina* Meig. 5. 52. 2 in Scandinavia vix occurrit.

6. *L. illustris:* aureo-viridis, e cæruleo rarius resplendens, abdominis subnudi 1:mo segmento obscuro; capite argenteo, genis subdescendentibus albis; palpis, antennis, vitta frontali pedibusque nigris; alarum nervis transversis: ordinario inflexo, apicali subrecto; oculis in ♂ paullo distantibus, in ♀ latissime remotis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Meig. Dipt. 7. 292. 18. Macq. Buff. 2. 255. 16. *Musca* Meig. Dipt. 5. 54. 7. ♂♀.

Hab. in graminosis (sæpe in paludosis) & foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 2 Jul.—24 Sept., minus frequens, in copula capta; scilicet in Scania ad Lund (in fenestra), & Björnstorp (D. *Dahlbom*); in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena rarissime, ipse; in Norvegia ad Christiania D. *Dahlbom.* (Ex

Helgolandia etiam & Gryphia specimina reportavit idem D. *Dahlbom).*

♂♀. Statura, magnitudo & color variabilis ut in *L. Cæsare* (n:o 1); sed fronte nonnihil magis porrecta, in utroque sexu multo latiore, antennis paullo longioribus, genis paullo magis descendentibus, pesistomio nigro, nec rufescente, ut & palpis nigris, nec flavis, aperte differt. A *L. cornicina,* cui etiam similis, magnitudine plerumque paullo majore, frontis genarumque colore albo, nec metallice nitente, ut & nervo transv. apicali levissime & æque, nec tantum basi, concavo, facile dignoscitur. Frons & oculi omnino ut in *L. fulgida* (4). Orbita oculorum occipitalis alba. Abdominis segmenta: 1 & 2 nuda, 3:tium magine apicali, & 4:tum fere totum, setulosum. Squamæ sub alis albæ. Halterum clava albida. — Abdomen lateribus & postice in feminis illæsis certo situ levissime albo-micat. — Marem aureo-viridem in copula cum femina cærulescenti viridi junctum deprehendi.

7. **L.** *Silvarum:* aureo-viridis, e cæruleo plerumque resplendens, abdominis subsetosi 1:mo segmento lineolaque dorsali obscuris; capite argenteo, genis subdescendentibus albis; palpis, antennis, vitta frontali pedibusque nigris; alarum nervis transversis: ordinario inflexo, apicali subrecto; oculis in ♂ paullo distantibus, in ♀ modice late remotis. ♂♀. (Long. circit. 3 lin.).

Meig. Dipl. 7. 292. 15. *Musca* Meig. Dipl. 5. 53. 4. ♀.

Hab. cum præcedente, rarius; scilicet in Scania ad Lund, Grönby, Lindholmen, &c.; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh.* (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Simillima priori; colore autem frequentius in cæruleum l. cyaneum vergente, lineola dorsali in abdominis segmentis 2 & 3 obscura plerumque obsoleta (interdum deficiente), segmento etiam 2:do margine apicali setose, ut & fronte in

♀ modice lata, nec latissima, mox dignota. — Antennæ elongatæ, validæ. Vitta frontalis nigra, utrinque albo-marginata, in ♂ angustata, in ♀ lata. Orbita oculorum occipitalis alba. Abdominis segmenta: 2 & 3 margine apicali setosa, ultimum fere totum setulosum. Squamæ sub alis albæ. Halteres fusci. Reliqua ut in præcedente.

8. *L. splendida:* aureo-viridis, e cæruleo aut violaceo plerumque resplendens, abdominis subsetosi 1:mo segmento obscuro, ultimo viridi; capite argenteo, genis parum descendentibus albis; palpis, antennis, vitta frontali pedibusque nigris; alarum nervis transversis: ordinario subflexo, apicali recto; oculis in ♂ anguste distantibus, in ♀ modice late remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ raro 3 lin.).

Macq. Buff. 2. 255. 18. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 292. 20. T. 73. f. 50. (abdomen). — *Musca* Meig. Dipt. 5. 56. 11. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis fruticibus & floribus Compositarum Jul. Aug. Sept. sat frequens; in Suecia superiori rarius; scilicet in Scania ad Lund, Räften (D. D. *Dahlbom* & *v. Borck*), Grönby (D. *Kinberg*), &c.; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Gottlandia ad Gothem, ipse; e Dania a D. *Staeger* missa. (Ad Putbus Rugiæ & ad Gryphiam, jam versus finem mensis Maji collegit D. *Dahlbom.* Ex Hamburgo a D. *v. Winthem*, & e Glogavia a D. *Zeller*, quoque communicata).

♂♀. Similis iterum priori; sed magnitudine minore, genis minus descendentibus &c., differt. Frons ut in præcedente, sed oculi maris forte nonnihil magis approximati. Abdomen ut in priori setosum; segmento 1:mo semper obscuro, 2:do plerumque cæruleo l. violaceo, 3 & 4 sæpissime aureo-viridibus; sed variat quoque sæpe abdomen totum (excepto segmento 1:mo obscuro) viride aut cærulescens. Incisuræ interdum nigrescunt. Alarum nervus transv. apicalis om-

nino rectus. Squamæ albæ, sed inferior interdum in ♂ leviter fuscana. Halteres obscuri. Reliqua ut in priori.

---

## 128. PYRELLIA. Rob. Desv.

*Corpus* mediæ aut minoris magnitudinis, breviter ovatum, convexum, thorace setoso, abdomine pubescente. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, sublineares, articulo ultimo 2:do circiter triplo longiore, basi seta dorsali longe plumata. Oculi nudi, raro hirtuli. Frons haud exserta. Epistoma parum descendens, ore subreflexo. Vibrissæ nullæ. Abdomen breve, rotundatum inerme, ano parum setuloso. Segmentum 1:mum breve. Alæ divaricatæ inermes, nervo tantum long. 3:tio basi setuloso; spinula costæ nulla. Nervus longit. 4:tus arcuatim flexus in summo apice alæ excurrens. Nervi transversi: medius subperpendicularis; ordinarius leviter flexus fere in medio areæ apertæ insertus. Squamæ distinctæ. Pedes simplices. Tarsi unguibus pulvillisque in utroque sexu subæque longis. *Color* aureo-viridis, aut cæruleus, nitens. *Motu* velox. *Habitatio* in floribus, foliis plantarum, graminosis, cadaveribus & stercoratis. *Differentia sexus; mas:* oculis arcte cohærentibus; *femina:* oculis late remotis, oviductu longe vaginato. Typus generis: *P. cadaverina.*

*). Oculi nudi.

1. *P. cadaverina:* aureo-viridis, e cæruleo sæpe resplendens, nitidissima; capite, antennis, palpis pedibusque nigris, epistomatis lateribus argenteis; thorace, abdomineque pubescente inermi, subunicoloribus; alis pallescentibus, squamis albidis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 298. 1. T. 73. f. 51. ♂. — *Musca* Linn. Fn. Su. 1829. De Geer Ins. 6. 62. 7. Schrank Austr.

455. 925. Rossi Fn. Etr. 2. 462. 1491. Fabr. Antl. 289. 30. Fall. Muscid. 53. 35. ♂♀. (exclusis in descriptione: "individuis minoribus in Caltha palustri primo vere observatis", quæ ad *Pyr. æneam* (5) pertinent). Meig. Dipt. 5. 59. 19. ♂♀. & 6 374. var. chalybea. — Zett. Ins. Lapp. 656. 12. ♂♀. *Lucilia* Macq. Buff. 2. 257. 28. ♂♀.

*Mas:* oculis magnis arcte cohærentibus, linea angustissima nigra tantum remotis; abdomine nigro-pubescente; squamis sub alis albis, leviter brunneo-tinctis;

*Fem.:* oculis mediocribus, fronte sat lata nitida nigro-cærulescente, aut nigro-virescente, vitta modice lata, nigra opaca, postice nitida; abdomine subnudo; squamis sub alis albidis, vix brunneo-tinctis; in copula.

Hab. in cadaveribus & stercoratis, per totam Scandinaviam, a primo vere usque ad autumnum, ubique vulgatissima; in Lapponia vero rarius obvia. (E Finlandia, Petropoli, Wienna, St. Sever Galliæ & Glogavia etiam missa).

♂♀. Similis *Lucil. cornicinæ*, sed magnitudine paullo minore, oculis minus remotis, ut & nervo longitudinali 4:to arcuatim, nec angulatim, flexo, statim dignota. — Frons breviter & tenuiter setosa. Antennæ epistomate paullo breviores, angustæ. Epistoma breve, nigrum, opacum, lateribus argenteis nitidis. Genæ nigræ, nitidæ. Vertex nitidus. Orbita oculorum occipitalis nigra aut metallica. Thorax & abdomen variant aut viridia (plerumque in ♀), aut cærulescentia l. violacea (plerumque in ♂); semper nitidissima. Alæ cinereo-albidæ. Nervi transversi: medius perpendicularis, ordinarius leviter inflexus. Halteres flavidi. Pedes nigri, femoribus in medio late viridi-micantibus. — Variat thorax in fundo viridi vittis l. maculis violaceis.

2. *P. purpureo-fasciata:* aureo-viridis, nitidissima, capite, antennis, palpis pedibusque nigris, epistomatis la-

teribus argenteis; abdominis pubescentis inermis segmento 2:do fascia interrupta violacea; alis pallescentibus, squamis albidis. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad villam Esperöd in paroecia Mellby d. 12 Aug. duo specimina inveni.

♂. Simillima priori & differt tantum fascia abdominis purpurea. Tota scilicet aureo-viridis, splendida, abdominis segmento secundo basi fascia (dimidiam longitudinem segmenti occupante) in medio modice interrupta, pulchre violacea l. cyanea, nitidissima, glaberrima, & in ambobus exemplis simillima. Reliqua omnia exacte ut in præcedente.

3. *P. serena:* obscure viridis, nitens; capite, antennis, palpis pedibusque nigris, epistomatis lateribus argenteo-micantibus; thoracis antico vittis tribus albidis lineisque subquatuor, atris; alis cinereo-hyalinis, squamis albis; abdomine pubescente inermi, apice pilosulo; oculis nudis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 7. 298. 2. *Musca* Meig. Dipt. 5. 59. 18. ♀. Zett. Ins. Lapp. 656. 3. ♂♀. var. a. — *Lucilia* Macq. Buff. 2. 258. 32.

Hab. in Sueciæ mediæ & borealis silvis & cultis 1 Jun.—14 Aug., minus frequens, & mas rarissime; scilicet in Botnia boreali; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Tresunda; in Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson;* in Lapponia Tornensi ad Wittangi & Juckasjervi; in Dania ad Hafniam frequens. (Sub nomine "*Musca serena*" e Glogavia plura exempla feminea etiam a D. *Zeller* 1842 obtinui).

♂♀. Similis *P. cadaverinæ*, sed paullo major, rubustior, & colore obscuriore, minus nitido, ut & thoracis pictura &c.

differt. Caput ut in *cadaverina*, sed fronte in femina vix nisi postice (in vertice) nitida. Frons scilicet feminæ lata nigra opaca, orbita tantum oculorum ad medium frontis albida nitente; & serie setarum subduplici paullo validiore quam in *cadaverina*. Thorax in utroque sexu obscure cærulescenti viridis, subnitidus, antice maculis tribus albis, una media & 2 humeralibus, vittas latas inchoantes formantibus, obsoletis præsertim in ♂. Inter has vittas albas lineæ nigricantes indeterminatæ certo situ apparent. Abdomen obscure viride, parum cæruleo-micans, nitidum, nudiusculum, ano pilosulo. Segmentum ultimum certo situ ad latera levissime albicat. Abdomen subtus cærulescit, ventre nigro. Squamæ sub alis albæ. Pedes nigri.

4. *P. cyanicolor:* cyanea, nitens; capite, antennis, palpis pedibusque nigris; epistomatis lateribus argenteo-micantibus; thoracis antico vittis tribus albidis lineisque subquatuor, atris; alis hyalinis, squamis albis; abdomine pubescente inermi, apice pilosulo; oculis nudis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

*Pyrellia violacea* Meig. Dipt. 7. 299. 8. ♀. *Lucilia* Macq. Buff. 2. 258. 33. ♀: thorace viridi, violaceo-micante, antice albo-vittato; abdomine pulchre violaceo; alis hyalinis, squamis albis. — *Musca serena* var. b. Zett. Ins. Lapp. 656. 12. ♀.

Hab. in Suecia media & boreali, 12 Maj.—15 Aug., passim; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena, Lärketorp, Gusum; in Gottlandia ad Garde 12 Jul.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Faxelfven, Undersåker, Ristansfors, usque ad radicem alp. Åreskutan procedens, frequens; in Botniæ borealis stercoratis ad Johannis Ro, rarius; in Norvegia ad Garnæs Værdaliæ parce.

♂♀. Simillima priori, a qua non differt nisi colore thoracis, scutelli abdominisque violaceo, alis forte purius hyalinis,

nec cinereis, ut & squamis albidioribus. — Vix species distincta; forte tantum varietas præcedentis.

*Obs.* Nomen specificum: *violacea* in hac genere rejiciendum, ne confundendum cum *Musca violacea* Fabr. Antl., quæ certe *Pyrelliæ* species est.

5. *P. ænea:* aureo-viridis, nitens; capite, antennis, palpis pedibusque nigris; epistomatis lateribus argenteo-micantibus; thoracis antico in ♀ vittis 3 albis obsoletis; alis cinereo-hyalinis, squamis albis (♀), aut subalbidis (♂); abdomine pubescente, subinermi, apice pilosulo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Mas:* cupreo-aureo-viridis, thorace non albo-vittato; oculis arcte cohærentibus; abdomine tenuiter pubescente, pube suberecta; alis cinereo-hyalinis, basi subfuscatis; squamis leviter brunneo-tinctis;

*Fem.:* aureo-viridis, thorace antice vittis tribus inchoantibus albis; oculis remotis, fronte vitta lata atra opaca utrinque ad medium argenteo-marginata; vertice metallice nitido; abdomine subglabro l. pube tenuissima depressa tecto; alis hyalinis, squamis albis; in copula.

*Musca ænea* Zett. Ins. Lapp. 656. 12 inter synonyma *M. cadaverinæ.* — *M. cadaverina* Fall. Muscid 53. 35. in descriptione: "individua minora in Caltha palustri primo vere observata." — Forte etiam inter Macquarti *Lucilias ignitam*, *nitidam*, *calidam* aut *cupream* latet, sed ob Cl. Auctoris descriptiones harum specierum perbreves & insufficientes, synonymiam extricare non valeo.

Hab. in floribus Achilleæ Millefol., Chrysanthemi leucanthemi, Pruni spinosæ, Calthæ palustris &c., per Succiam meridionalem & mediam, 15 Maj.—15 Sept., vulgaris & passim copiose, in copula deprehensa; scilicet

in Scania ad Lund, Kjellby, Kjeflinge, Östra Torp, Esperöd &c., frequentissima; in Ostrogothia ad Wadstena Jul· copiose; in Ölandia, D. *Boheman*; in Gottlandia ad Wisby &c.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; sed vix in Suecia borealiori obvia. (E Glogavia marem sub nomine: "*Musca luteipennis*" & feminam sub nomine: "*Musca parviceps*" a D. *Zeller* obtinui. E St. Sever Galliæ mares sub nomine: "*Lucil. cadaverina* Linn. Macq." cum aliis individuis genuinæ *cadaverinæ* a D. *Leon Dufour* 1844 quoque communicati).

♂♀. Similis *P. serenæ*, sed sæpe duplo minor, & *mas* colore thoracis magis æneo l. cupreo, vittis albis nullis, abdomine crebrius pubescente, alis saltem basi magis flavescentibus, squamis brunneo-flavis; & *femina* colore totius corpore lætius viridi, differunt. Nec cohabitant. Thoracis dorsum in ♂ plerumque æneo-viride, vittis 3 cupreis perspicuis, discretis aut interdum subconfluentibus. Hujus picturæ in dorso thoracis feminæ quoque vestigium adest.

**). Oculi hirti.

6. *P. lasiophthalma:* obscure viridis, nitens; capite, antennis, palpis pedibusque nigris; epistomatis lateribus argenteo-micantibus; thoracis antico vittis 3 albidis obsoletis lineisque subquatuor atris; alis subhyalinis, squamis albidis; abdomine cærulescenti viridi pubescente, inermi, apice piloso; oculis hirtis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 7. 299. 9. ♂. *Lucilia* Macq. 2. 258. 34. ♂.

Hab. in Scandinavia media & boreali rarius; utrumque sexum in floribus Salicis cinereæ in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam captum sub nomine: "*Musca cyanella*" mihi communicavit Prof. *Wahlberg*;

in Norvegia ad Thynæs in paroecia Skogn ♀ a D. ***Dahlbom*** quoque inventa.

♂♀. Simillima *P. serenæ*, a qua vix nisi oculis tenuiter hirtis, in ♂ non tam arctissime cohærentibus dignoscitur. Caput de cetero ut in *serena*. Thorax in fundo quidem viridis l. cærulescenti viridis, sed in disco dorsali maculæ indeterminatæ lineas subconfluentes formantes, cupreæ, nitidæ; antice vittæ 3 latæ inchoantes albæ cum lineis 4 nigris alternantes. Scutellum obscure viride aut cærulescens. Abdomen cærulescenti viride, nitidum, lateribus & apice pilosum. Alæ subhyalinæ, basi leviter fuscanæ. Squamæ albæ, in ♂ parum fusco-tinctæ. Reliqua ut in *P. serena.*

7. ***P. eriophthalma:*** cæruleo-violacea, nitens; capite, antennis, palpis pedibusque nigris; epistomatis lateribus argenteo-micantibus; thoracis antico vittis 3 albidis obsoletis lineisque subquatuor, atris; alis hyalinis, squamis albis; abdomine pubescente, inermi, apice piloso; oculis hirtis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipl. 7. 299. 10. ♂. *Lucilia* Macq. Buff. 2. 258. 3. ♂. An *Musca cyanella* Meig. Dipl. 5. 77. 45? & Ejusdem *Cyrtoneura* 7. 309. 18?

Hab. in Scandinavia media & boreali, 2 Jul.—10 Aug., minus frequens; scilicet in Gottlandiæ insula Furillen rarissime; in Jemtlandia boreali ad cataractam Ristansfors in paroecia Undersåker, raro; in Norvegia ad Thynæs & Næs Værdaliæ, passim.

♂♀. Simillima iterum priori, a qua differt ut *P. cyanicolor* a *serena*. Color scilicet dominans thoracis abdominisque in violaceum abiit. Alæ quoque forsitan purius hyalinæ & squamæ albidiores quam in *lasiophthalma*.

*Obs.* Oculi maris cohærentes, nec "perspicue remoti", & frons feminæ fusco-nigra, antice utrinque sordide albido-mar-

ginata, vertice tantum obscure leviter cæruleo-micante, nec frons "cæruleo-nigra nitida, vitta atra", identitatem cum *M. cyanella* Meig., quæ huic de cetero valde affinis, prohibere videntur.

---

## 129. MUSCA Linn.

*Corpus* magnum aut medium, ovatum aut ovale, thorace setoso. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, articulo ultimo 2:do duplo, triplo aut ultra longiore, basi seta dorsali undique longe (in *M. pubicipite* n:o 5 breviter) plumata. Oculi nudi (in *M. pubicipite* n:o 5 hirti). Frons modice, interdum parum, exserta. Epistoma infra oculos plerumque descendens, ore reflexo. Vibrissæ nullæ aut spuriæ. Abdomen late ovatum, pubescens, antice inerme, postice setosum. Segmentum 1:mum breve. Alæ divaricatæ, in quibusdam subincumbentes, inermes, nervo tantum long. 3:tio basi bi-l. trisetosæ; spinula costæ nulla. Nervus longit. 4:tus angulatim flexus mox ante apicem alæ excurrens. Nervi transversi: medius obliquus; ordinarius plerumque flexus, semper paullo pone medium areæ insertus. Area normaliter aperta, raro subocclusa, sed non petiolata. Squamæ distinctæ. Pedes simplices. Tarsi unguibus incurvis pulvillisque in utroque sexu subæque longis. *Color* niger, cæsius, obscurus, opacus, raro cærulescens & nitidus. *Motu* velox. *Habitatio* in floribus, vegetabilibus putridis, cadaveribus, domibus &c. *Discrimen sexus; mas:* oculis plus minus cohærentibus, setis frontalibus utrinque simplici serie; *femina:* oculis late remotis, setis frontalibus postice duplici serie dispositis. — A *Lucilia* vix nisi colore obscuro, nec aureo-nitente, & abdomine interdum depresso, differt. — *Muscæ plebejæ* Auctorum.

A. Thoracis dorsum non tomentosum.

*). Palpi ferruginei (in *M. sordida* palpi fusci).

1. ***M. vomitoria:*** thorace cæsio, antice subvittato; capite nigricante, orbita oculorum faciali albida; antennarum medio, epistomatisque carinis subvibrissatis & apice, ferrugineis; palpis flavis; barba fulva; abdomine cæruleo, nitido, maculatim albo-micante, incisuris anguste pedibusque atris; alarum angulo nervi longitudinalis 4:ti acuto, descendente, squamis nigris. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$, plerumque 4—5 lin.).

*Mas:* oculis arcte cohærentibus, linea tantum angustissima nigra utrinque albo-marginata disjunctis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta lata nigra opaca, antice utrinque cinereo-marginata disjunctis;

Linn. Fn. Su. 1831. De Geer Ins. 6. 57. 4. Reaum. Ins. 4. T. 12, 24. Rœsel Ins. 2. T. 9. 10. Schrank Austr. 455. 926. Panz. Fn. 10. 19. ♀. Meig. Dipt. 5. 60. 21. certe. ♂♀. Fall. Muscid. 47. 22. ♂♀. (exclus. syn. De Geer & Fabr., sub qua species sequens etiam latet). Dahlbom Skand. Ins. 318. 217. T. 2. f. 23. ♀. Zett. Ins. Lapp. 656. 14. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 300. 1. *M. carnivora* Fabr. Antl. 285. 5. (teste *Meigen*). *M. Mortuorum* Fabr. Antl. 290. 32. *Calliphora fulvibarbis* Macq. Buff. 2. 262. 3. ♂♀.

Hab. ad domicilia per Scandinaviam tota æstate frequens, in Lapponia rarius, ex. gr. ad Quickjock Lapp. Lul. (Ad Elisenheine prope Gryphiam 6 Sept. 1844 copiose, D. *Dahlbom).* Larvæ in carne & recenti & putrida degunt, etiam in caseo antiquo, teste D. *Bouché.* In statu larvæ circiter 7—8 diebus, & in pupæ adhuc paucioribus, manet. Suet. *Spyfluga.*

♂♀. Genæ obscuræ & barba fulva speciem a sequente in primis distingvunt. *Sarc. Mortuorum* sæpe brevior, sed proportione latior, ovata, convexa. Frons parum prominens,

serie setarum ad antennarum basin continuata, macula supra antennas picea. Antennæ epistomate paullo breviores, fusco-nigræ, articulo ultimo lineari 2:do quadruplo longiore, basi, 2:doque apice, rufis. Epistoma ad latera griseum, nitens, cavitate media nigra, opaca, carinis lateralibus ad medium breviter nigro-vibrissatis, & peristomio, ferrugineis. Palpi clavati, flavi. Genæ nigræ cinereo-micantes, nigro-pubescentes. Mentum fulvo-barbatum, barba nitida. Oculi rufo-brunnei, æneo-micantes. Orbita pone oculos albida. Thorax cæsio-niger, opacus, setosus, antice vittis albis & nigris alternantibus, obsoletis. Sutura transversa distincta. Scutellum cæsio-nigrum, apice sæpe piceum. Alæ hyalinæ, basi subfuscanæ. Nervi transversi: medius fuscedine cinctus, ordinarius inflexus, apicalis basi distincte concavus. Area sat late aperta. Squamæ nigricantes, inferiores albo-marginatæ. Halteres obscuri, clava albida. Abdomen breviter ovatum, cæruleum, nitidum, pubescens, præsertim ad latera maculatim albo-micans. Segmenta: 1:mum breve, inerme, totum, reliquaque linea dorsali obsoleta, incisurisque, nigra. Segmenta: 2:dum ad latera, 3:tium margine apicali, & 4:tum fere totum, setulosa. Pedes nigri.

2. *M. erythrocephala:* thorace cæsio, antice subvittato; capite ferrugineo; orbita oculorum faciali flavida; vitta frontali, antennarum articulo ultimo fere toto, epistomatisque breviter vibrissati medio, nigricantibus; palpis flavis; barba nigra; abdomine cæruleo, nitido, maculatim albo-micante, incisuris anguste, pedibusque, atris; alarum angulo nervi longitudinalis 4:ti acuto, descendente, squamis nigris. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ sæpe 4—5 lin.).

*Mas:* oculis non acte cohærentibus, vitta angusta nigra, anterius dilatata sæpe rufescente, utrinque albo-marginata, disjunctis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta lata nigra opaca, antice utrinque cinereo-marginata, disjunctis.

Meig. Dipl. 5. 62. 2. certe ♂♀. & 7. 300. 2. Zett. Ins. Lapp. 656. 15. ♂♀. *Musca vomitoria* Fall. Muscid. 47. 22. var. — *Calliphora vomitoria* Macq. Buff. 2. 262. 2. T. 16. f. 16. male colorata & alis justo longioribus. — (A pluribus Auctoribus cum *M. vomitoria* confusa).

Hab. cum præcedente, sed multo frequentior & longius procedens, per totam etiam Lapponiam (exceptis alpibus) usque ad NordCap inventa. A mense Majo usque ad Novemb. obvia. Culinas frequentans, coquis inimica; larvas in carne, cremore &c., uti prior, deponens. (E Regio monte a D. *Andersch*, e Kilia a D. *Wiedemann* & ex Helgolandia & Gryphia in utroque sexu a D. *Dahlbom*, communicata).

♂♀. Simillima priori, a qua tamen epistomate inferne ad latera magis rufescente, genis rufis, barba menti nigra, nec fulva, alis magis hyalinis, nervis nempe ad basin non infuscatis, ut & oculis in ♂ non tam arcte cohærentibus, vere distincta. Barba menti nigra, gulæ lutescens. Genæ præsertim posticæ in individuis senioribus interdum nigrescunt, sed tomentum menti fulvum, & oculorum distantia in ♂, constantes præbent notas. — Cicatrix flava pleurarum antice in fovea sub humeris ut in priori adest.

3. *M. grönlandica:* ovalis subdepressa, violaceo-cærulea nitida, immaculata, thoracis limbo antico interdum virescente; capite, antennis pedibusque nigris; orbita oculorum faciali albicante; palpis flavis; alarum nervo transverso apicali subrecto; squamis nigricantibus. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

*Mas:* oculis nonnihil distantibus, fronte angustata;

*Fem.:* oculis longe remotis, fronte latissima; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 657. 16. ♂♀. — Vix *Calliphora rufipalpis* Macq. Buff. 2. 264. 10?

Hab. aut in floribus Salicis, in stercoratis, truncis Populi, & ligno recenti Pini, locis sylvaticis, aut in cultis, in parietibus ligneis, sepibus, in piscibus mortuis, &c., 20 Maj.—2 Sept. mihi obvia, per Scandinaviam præsertim borealem, passim frequens, in copula capta; scilicet in Scania ad Lund rarissime; in Smolandia rarius; in Ostrogothia parce; in Uplandia ad Holmiam omnium vulgatissima; in Gestricia passim; in Jemtlandia usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellen, frequens; in Ångermannia & Botniis occidentali & boreali; in Lapponiis omnibus per regionem sylvaticam, passim; e Dania. ("Jun. Aug. passim") a D. *Staeger* missa; in Norvegia: a Dovre usque ad Alten Finmarkiæ haud rara; ad urbem Christianiam Jul. 1844 in utroque sexu a D. *Dahlbom* lecta. In Holmia intra domos hybernat quemadmodum *M. rudis*, testante D. Prof. *Wahlberg*. (E Grœnlandia per D. *Westermann* ut "*Musca grœnlandica* Wiedm." communicata, & e Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Aut plerumque obscure violaceo-cærulea, aut interdum cæruleo-virescens, thoracis limbo antico & abdominis apice magis viridibus; tota subdepressa, ovalis, nigro-pubescens, parum setosa, pubescentia in abdomine præsertim depressa. Caput totum nigrum, orbita oculorum albida. Frons parum prominens. Antennæ epistomate fere duplo breviores, nigro fuscæ, validæ, articulo ultimo 2:do triplo longiore, seta longe plumata, apice summo nudo. Vibrissæ brevissimæ, spuriæ. Palpi flavi. Cicatrix pleurarum in fovea sub humeris nigra. Abdomen ovale, depressum, unicolor. Alæ hyalinæ, in quiete subincumbentes, nervis ut in prioribus directis, sed angulus nervi 4:ti subrectus, nec descendens,

& transversus apicalis fere rectus. Area modice aperta. Nervus long. 5:tus ad marginem non continuatus, mox infra transversum ordinarium abruptus. Squamæ fuscanæ. Halterum clava albida. Pedes nigri.

4. ***M. sordida:*** ovalis, subdepressa, thorace cæsio, limbo antico virescente, cinereo- & nigro-alternatim vittato; abdomine viridi nitido unicolore; capite, antennis pedibusque nigris, epistomatis frontisque lateribus griseis; palpis fuscis; alarum nervo transverso apicali subrecto, squamis albidis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

***Mas:*** oculis nonnihil distantibus, fronte angustata; thorace cæsio, antice vittis albidis nigrisque alternantibus obsoletis;

***Fem.:*** oculis longe remotis, fronte latissima, vitta lata grisescente nigra; thorace antice vittis latis griseo-cinereis lineisque angustioribus nigris alternantibus.

Zett. Ins. Lapp. 657. 17. ♀.

Hab. in Scandinaviæ mediæ & borealis pratis & floribus Salicis, 2 Jun.—28 Aug., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Gusum & in Westrogothia ad Gothoburgum, ♀, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Lärbro, ♀, D. *Dahlbom;* in Lapponia Umensi ad Lycksele 2 individua feminea inveni; in Botnia boreali ad Bredåker in paroecia ÖfverLuleå, D. D. *Wahlberg* & *Boheman;* in Jemtlandia ad Faxelfven ♂; in Norvegia ad Næs Værdaliæ ♂ rarissime.

♂♀. Valde similis & affinis *M. grönlandicæ;* sed antennis paullo angustioribus, palpis retractis fuscis, frontis epistomatisque lateribus latius sordide griseis, thoracis vittis anticis præsertim in ♀ cinereo-griseis distinctis, abdomine lætius viridi linea dorsali angusta violacea, ut & squamis albidis vix infuscatis, dignota. — Thorax: in ♂ cærulescens,

antice vittis 5 suturam non attingentibus albidis obsoletis, & lineis 4 infra suturam (sed non ad scutellum) descendentibus angustioribus nigris; in ♀ cæsius aut virescens, antice vittis cinereis & lineis nigris ad suturam l. paullo infra continuatis. Abdomen in ♀ viride interdum aureo-viride, in ♂ magis cærulescens. Nervi alarum ut in priori, sed transversus ordinarius plerumque nonnihil magis incurvus. — Reliqua ut in præcedente.

5. *M. pubiceps:* ovata, subconvexa, nigra, thorace antice cinereo-vittato, capite albido; palpis flavis; abdomine ænescente, nitido; alarum nervo transverso apicali subrecto, squamis flavidis; oculis maris hirtis. ♂. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Bottnia boreali inter Luleå & limitem Lapponiæ Lulensis 1843 a D. Prof. *Boheman* detecta mihique in uno specimine ad describendam communicata.

♂. Species dubia. Affinis *Tachinæ,* & in vicinitate *T. chalconotæ* 182, l. *T. chalybeatæ* 185, illam reposuissem, nisi antennarum plumatura obstetisset. Similis quoque *Sarcophagæ Vespilloni* n:o 28, sed antennarum pubescentia, colore alio, &c., diversa. Oculi oblongi, sat magni, distincte hirti, postice fere cohærentes. Frons parum prominula, nigricans, antice triangularis. Antennæ incumbentes, nigræ, articulo ultimo 2:do duplo longiori, seta biarticulata, basi incrassata, fere tota pubescente l. breviter plumata, apicem versus subnuda. Epistoma breve, albido-micans, ore non reflexo. Palpi flavi. Thorax nigricans, antice vittis 5 cinerascentibus & lineolis 4 atris. Abdomen ovatum, subconvexum, nigro-æneum, nitidum, omnium levissime cinereomicans. Segmenta: 1:mum parum breve; postica setulosa. Tuberculum anale parvum. Alæ subhyalinæ, basi leviter fuscanæ. Nervi transversi: ordinarius paullo pone medium insertus, obliquus & flexus, apicalis subrectus fere in apice alæ excurrens. Area media anguste aperta. Spinula costæ

nulla. Squamæ mediocres, flavidæ, halteres flavos tegentes. Pedes nigri, spinulosi. Pulvilli longiusculi, albi.

*Obs.* *Dexia triangulifera* Wahlb. forma corporis omnino *Muscæ*, sed propter picturam & alias affinitates cum *Dexia ferina* illam in genere *Dexia* descripsi, ibique sub n:o 6 inveniendam.

**). Palpi nigri (*M. sordida* palpis fuscis supra sub n:o 4 quærenda).

6. ***M. azurea:*** ovalis, subdepressa, violaceo-cærulea nitida, subimmaculata; thorace antice obsolete albo-subvittato; capite, antennis, palpis pedibusque nigris, epistomatis frontisque lateribus albido-cinereis; alarum nervo transverso apicali leviter incurvo; squamis fuscanis. ♂♀. (Long. 3—4 lin.).

*Mas:* oculis anguste distantibus, vitta atra utrinque tenuiter albo marginata disjunctis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta lata fusco-nigra, utrinque cinereo-marginata.

Fall. Act. Holm. 1816. p. 245. 19. ♂♀. Muscid. 46. 19. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. p. 657 in observ. sub n:o 17. Meig. Dipt. 5. 63. 24? *Calliphora* Macq. Buff. 2. 264. 9?

Hab. in sepibus, ligno recenter cæso, parietibus ligneis, &c., 15 Jul.—2 Sept., per Sueciam mediam, minus frequens; scilicet in Smolandia meridionali ad diversorium Dihult; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*, mus. D. *Falleni.*

♂♀. *M. grönlandicæ* iterum valde similis & affinis; sed palpis nigris, nec flavis, thoracis vittis 4 anticis albis obsoletis, &c., ut & oculis maris magis approximatis, vere differt.

*Obs.* An Meigeni *M. azurea* l. c. ad nostram *azuream*, aut *sordidam* (4), aut denique aliam quandam Faunæ nostræ

ignotam speciem pertineat, pro certo dicere non audeo, cum Cl. Auctor de palporum colore suæ *azureæ* nihil dicit, neque comparationem cum quadam alia specie facit.

7. *M. domestica:* nigricans, fronte flavida, vitta atra; thoracis vittis abdominisque tessellis cinereis; alarum nervo transverso ordinario subrecto, squamis sordide albidis; abdominis basi lateribus in ♂ sæpissime flavo-diaphanis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* oculis subapproximatis, vitta latiuscula atra disjunctis; abdominis segmentis 1 & 2 lateribus plerumque flavo-pellucidis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta lata atra disjunctis; abdominis segmentis 1 & 2 lateribus vix pellucidis; in copula.

Linn. Fn. Su. 1833. De Geer Ins 6. 71. 10. t. 4. f. 5. 6. Schrank Austr. 456. 928. Fabr. Antl. 287. 18. Fall. Muscid. 49. 26. ♂♀. Latr. Gen. 4. 345. Meig. Dipt. 5. 67. 31. & 7. 300. 12. Macq. Buff. 2. 265. 1. Dahlb. Skand. Ins. 319. 218. Zett. Ins. Lapp. 659. 24. ♂♀.

Hab. in domibus per totam Scandinaviam etiam Lapponiam, ubi scilicet homines exstruxerunt domicilia, omnium vulgatissima, notissima; hybernans. In silvis & pratis a domibus longe remotis interdum errabundam vidi. Larva in colluvariis & in stercoratis, præsertim in stercore equino & gallino, D. *Bouché;* in vasculo sputis excipiendis pupas invenit D. *Fallén*; 200 specimina semel e nasu infantis, ubi exclusæ fuerunt, provenisse, narrat *Tengmalm* in Act. Holm. 1796. p. 286. Educatam e larvis in ulceribus immundis ægroti inventis quoque obtinuit Profess. Doct. *Wahlberg*. In statu pupæ degit 8—14 diebus. Plures generationes anno.

♂♀. Oblonga, subconvexa opaca, pubescens, parum setosa. Frons parum prominens. Antennæ epistomate paullo breviores, mediocres, seta tota longe plumata. Cicatrix in fovea subhumerali grisea. Abdomen cinereum, lineis triplici serie dispositis, lateralibus interruptis, incisurisque tenuiter, nigris. Venter pallidus. Nervi transversi: ordinarius subrectus, apicalis paullo incurvus. Area non late aperta. Halteres albi.

8. *M. corvina:* nigricans, epistomatis frontisque lateribus albidis; thoracis vittis abdominisque tessellis cinereis; alarum nervo transverso ordinario subflexo, squamis sordide albidis; abdominis lateribus in ♂ flavo-diaphanis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* niger, thorace antice obsolete albo- 4-vittato; oculis in fronte arcte cohærentibus; abdomine ferrugineo, basi & vitta dorsali nigro, submaculatim albo-micante; squamis fuscanis;

*Fem.:* cinerea, oculis late remotis, vitta frontali lata atra; thoracis lineis 4 abdominisque tessellis subtrifariam dispositis, nigris; squamis albidis; in copula.

Fabr. Antl. 291. 19. ♂. Fall. Muscid. 48. 25. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 69. 32. ♂♀. & 7. 300. 17. Macq. Buff. 2. 266. 4. ♂♀. T. 16. f. 17. ♂. Zett. Ins. Lapp. 659. 23. ♂♀. *Musca autumnalis* De Geer Ins. 6, 83. ♂. *Musca Tau* Schrank Austr. 458. 931. ♂. *M. ludifica* Fabr. Antl. 298. 73. ♂. Panz. Fn. 105. 13. ♀. *Musca nigripes* Panz. Fn. 60. 13. ♂.

Hab. supra lapides soli expositos, etiam in floribus, foliis fruticum, sepibus, parietibus, &c., raro in fenestris, plerumque extra domos, per totam Scandinaviam usque ad Lapponiam, a primo vere usque ad serum autumnum

frequentissima; in copula multoties capta; ♀ viatoribus & pecoribus valde molesta. Larva in stercore, caseo antiquo &c., degit, teste D. *Bouché.* (Ad Hamburgum non parce visa a D. *Dahlbom.* E Wienna missa a D. *Zeller.*).

♂♀. Similis priori, sed capite magis albido, subargenteo, nec flavescente, nervo transverso ordinario magis flexo, abdomine breviore magis rotundato, pelluciditate laterum in ♂ in segmenta 3 & 4 descendente, ut & oculis in ♂ arcte cohærentibus, mox dignota.

*Obs.* *M. tempestiva* Fall.: nervo longitud. 4:to subangulato-arcuatim flexo, in genere *Cyrtoneura* sub n:o 4 invenienda.

B. Thoracis dorsum tomentosum. Corpus ovale, subdepressum. *Pollenia* Macq.

*α.*) Alarum area media apice occlusa.

9. *M. atramentaria:* nigricans, capite griseo; antennis fuscis, basi rufo-piceis; palpis pedibusque nigris; thorace fulvo-tomentoso; abdomine cinereo-tessellato; alarum area media apice occlusa. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 65. 26. ♂♀. & 7. 301. 28. Zett. Ins. Lapp. 658. 21. ♂♀. *Pollenia* Macq. Buff. 2. 272. 23. ♂♀. (Sub *M. rudi* Fall. Muscid. 48. 21. hæc species etiam latet).

Hab. in truncis arborum viventium, floribus, muris, parietibus ligneis, domibus, fenestris, &c., per totam Scandinaviam etiam Lapponiam, ubique vulgatissima, mensibus Majo & Septembr. præsertim abundans; in domibus hibernans. (E Finlandia, Pommerania & Glogavia quoque missa. Ad Eldena prope Gryphiam etiam a D. *Dahlbom* capta mihique communicata).

♂♀. Nigricans, opaca, magnitudine valde varians. Caput subinflatum: maris cinereum, oculis cohærentibus, macula supra antennas triangulari nigra, anguste cinereo-marginata; feminæ griseum, oculis late remotis, vitta lata griseo-nigra. Frons subprominens. Series setarum usque ad antennarum basin continuata. Antennæ epistomate fere duplo breviores, angustæ, fuscæ, basi rufescentes, articulo ultimo 2:do duplo longiori, seta distincte plumata. Epistoma in cavitate media nigrum, sed ad latera supra genas sæpe rufum. Palpi nigri l. fusci. Barba tenuis, grisea. Thorax & scutellum parce & breviter aureo-tomentosa, tomento facile deterendo, relicto dorso nigro, ubi tamen setæ tenacius adhærent. Abdomen ovatum, griseo-cinereum, maculis irregularibus olivaceo-micantibus; pubescens, apice pilosulum. Alæ hyalinæ, in quiete incumbentes, basi subinfuscatæ. Angulus nervi 4:ti subrectus. Nervi transversi: ordinarius distincte inflexus; apicalis leviter incurvus. Area apice occlusa, sessilis. Squamæ albidæ. Halteres pallidi. Pedes nigri.

*Obs.* *Musca Lanio* Meig. Dipt. 5. 64. 25. parum a nostra *atramentaria* differt, & vix nisi antennis fuscis dignoscitur.

**10.** *M. depressa:* nigricans, capite griseo; antennis fuscis, basi rufo-piceis; palpis, abdomine nitido pedibusque nigris; thorace fulvo-tomentoso; alarum area media apice occlusa. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 67. 30. & 7. 301. 31. *Pollenia* Macq. Buff. 2. 273. 19.

Hab. in Suecia meridionali, Maj.—Sept., minus frequens; in Scania ad Lund & Esperöd aliquoties inventa. (E Glogavia sub hoc nomine a D. *Zeller* quoque communicata).

♀. Simillima priori, a qua tantum differt magnitudine multo minore & abdomine nigro, nitido, certo situ levissime albomicante, sed hæc albedo superficiem totam æqualiter tegit

& nullas tessellas l. maculas format. — Caput & thorax omnino ut in *M. atramentaria.* Abdomen rotundatum, depressum, nigrum, nitidum, polline albido in illæsis leviter vestitum. Alæ ut in præcedente, sed nervus transversus apicalis omnino rectus. Squamæ albidæ. Halteres pallidi. Pedes nigri.

♂: fronte albida triangulo nigro, & oculis sutura disjunctis, a Cel. *Meigen* l. c. describitur, mihi non obvius.

β.) Alarum area media apice aperta.

11. *M. rudis:* nigricans, capite griseo; antennis nigro-fuscis, medio rufo-piceis; palpis pedibusque nigris; thorace fulvo-tomentoso; abdomine cinereo-tessellato; alarum area media apice aperta. ♂♀. (Long. 2—3 lin.).

Fabr. Antl. 287. 16. Fall. Muscid. 48. 24. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 66. 28. & 7. 301. 38. Zett. Ins. Lapp. 659. 22. ♂♀. *Pollenia* Macq. Buff. 2. 269. 1. ♂♀. T. 16. f. 18.

Hab. in floribus, truncis arborum, domibus, &c., per totam Scandinaviam tota æstate longe frequentissima, in fenestris tempore vernali & autumnali sæpe copiosissima, multoties in copula visa; locis occultis intra domos hibernans. (E Rixdorf, Eldena & Moabite a D. *Dahlbom*, e Finlandia a D. *Sahlberg*, e Lubeca a D. *J. Behrens* & e Glogavia a D. *Zeller*, etiam communicata; e St. Sever Galliæ sub nomine *Pollenia rudis* tandem a *Leon Dufour* missa).

♂♀. Simillima iterum *M. atramentariæ* (9), a qua non nisi alarum area media plus minus aperta, nec occlusa, differt, & vix ab illa distinguenda. Nervus transversus apicalis plerumque distincte incurvus. Antennæ fusco-nigræ, saltem articulo 2:do apice rufo. Thorace abdomineque detritis

corpus nigrum, opacum evadit, & hinc *M. obscura* Fabr. — Variat etiam tomento thoracis cinereo l. griseo.

12. *M. nitens:* nigricans, capite griseo; antennis fuscis, basi rufo-piceis; palpis pedibusque nigris; thorace fulvo-tomentoso; abdomine olivaceo-nigro, nitido; alarum area media apice aperta. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ lin.).

*M. Vespillo* Meig. Dipt. 5. 65. 27. (excl. syn. Fabr.) & 7. 301. 40. *Pollenia* Macq. Buff. 270. 6. ♂♀?

Hab. in foliis fruticum, in floribus Salicis cinereæ, Chrysanthemi, &c., locis littoralibus mihi sæpe obvia, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 2 Jun.—15 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c., sat frequens; in Gottlandia ad Westerby & Thorsborg, D. *Dahlbom;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* e Dania sub nomine *M. Vespillo* a D. *Staeger* missa.

♂♀. A *Musca rudi,* cui in omnibus aliis exacte convenit, differt abdomine supra toto olivaceo-nigro, nitente, immaculato, nullo vestigio macularum, & ita in utroque sexu. A detritis individuis prioris abdomine nitido obscure olivaceo-micante, nec opaco, mox dignoscitur. Antennæ fuscæ, articulis 1 & 2 rufescentibus.

*Obs.* Cel. *Meigen* in Part. 6. add. p. 374 ipse fatetur suam *M. sepulcralem* in museo Fabriciano, teste D. *Wiedemann,* ut *M. Vespillonem* adesse. Secundum igitur legem sancitam nomen antiquius *vespillonem* pro specie Fabriciana servavi, & Meigeni *Vespilloni* hoc novum nomen *nitens* imposui, ut evitetur confusio. — Cfr. etiam *Sarcophaga vespillo* n:o 28.

# 130. MESEMBRINA Meig.

*Corpus* magnum, late ovatum, tomentosum, non setosum. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, lineares, articulo ultimo basalibus duplo l. fere triplo longiore, basi seta dorsali undique longissime plumata. Oculi nudi. Frons parum exserta, serie setarum utrinque ad antennarum basin continuata. Epistoma infra oculos paullo descendens, ore antice reflexo. Vibrissæ brevissimæ. Setæ mystacinæ plures. Palpi clavati, pilosi. Genæ & mentum pilosa. Abdomen convexum, segmento 1:mo brevi. Alæ divaricatæ, basi coloratæ, totæ omnino inermes. Nervi longitudinales: 4:tus leviter arcuatus l. in apice l. mox pone apicem alæ excurrens; 5:tus non ad marginem continuatus. Nervi transversi: medius subperpendicularis, apici nervi auxiliaris oppositus; ordinarius leviter flexus, fere in medio areæ insertus. Area apice late aperta. Squamæ distinctæ. Pedes simplices, pilosi, tibiis spinulosis. Tarsorum ungues curvati. Pulvilli rotundati, albi. *Color* niger, hirsutie sæpe flava. Signaturæ lineatæ l. tessellatæ nullæ. *Motu* velox, strenue & alacriter volans. In truncis arborum latere soli exposito sæpe tranquille sedens. *Habitatio* in sylvis. Opinante D. *Robineau Desvoidy* vivipara, veluti *Sarcophaga*, sed secundum *Macquart* ovipara, utpote plures *Muscæ* species. *Larvæ* in stercore bovino degunt. *Differentia sexus; mas:* oculis approximatis; unguibus pulvillisque majoribus; *femina:* oculis late distantibus; unguibus pulvillisque minoribus.

1. *M. mystacea:* atra, thoracis dorso fulvo-villoso; abdominis apice pallide hirsuto; palpis alarumque basi flavis; squamis fuscanis. ♂♀. (Long. 5 lin. & ultra).

*Mas:* oculis fere cohærentibus; tibiis intermediis intus versus apicem longe pilosis;

*Fem.:* oculis late remotis; tibiis intermediis reliquis non longius pilosis.

Var. a. ♂♀. hirsutie thoracis anique fulva.

Zett. Ins. Lapp. 651. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1793. var. *α*. — De Geer Ins. 6. 133. 1. T. 8. f. 2. ♀. Fall. Muscid. 50. 29. var. *α*. ♂♀.

Var. b. ♂♀. hirsutie thoracis fulva; ani grisea aut albida.

Meig. Dipt. 5. 12. 2. T. 42. f. 26. ♂. Zett. l. c. var. b. ♂♀. Macq. Buff. 2. 273. 1. ♂♀. *Syrphus apiformis* Panz. Fn. Germ. 91. 20. ♀. (nervis longitudinalibus 3 & 4 in apice alæ in figura immerito subcoëuntibus). — *Eristalis apiarius* Fabr. Antl. 231. 1.

Var. c. ♂♀. hirsutie thoracis grisea, ani aut grisea aut albida.

Fall. l. c. var. *β*. — Zett. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in silvis Scandinaviæ mediæ & borealis, 24 Jun.—12 Sept., passim haud raro, in ligno Pini & Abietis recenter secato, gummoso, mihi sæpe obvia; e pupa cylindrica nuda brunnea, in stercore bovino ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis capta, d. 30 Jun. egredientem vidi; varietates descriptæ mixtæ occurrunt, scilicet in Smolandia ad Skärsjö &c., passim; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum, &c., haud rara; in Nericia ex. gr. ad Laxbro, & in Sudermannia; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia ad Smedby; in Jemtlandia usque ad cataractam Ristansfors & radicem Mullfjellen, frequens; in Lapponia Umensi ad Stensele & Badstuträsk; in Lulensi ad Quickjock, D. D. *Wahlberg* & *Boheman*, qui eandem ad ripas fluvii Kama legerunt; in Lapponia Tornensi ad Kengis, Juckasjervi & Muonioniska; in Norvegia ad Alteidet Nordlandiæ septentrionalis, parce.

♂♀. Obovata, posterius valde lata, inter Muscides nostras majores numeranda, *Volucellam plumatam* mentiens. Caput obscurum, epistomatis lateribus griseis subnitidis. Setæ frontales ferrugineæ l. fuscæ. Genæ nigræ, nitidæ. Oculi in ♂ subcohærentes, in ♀ late disjuncti. Antennæ fuscæ, medio rufescentes. Palpi flavi. Thorax niger, dorso fulvo- l. griseotomentosus. Cicatrix in fovea subhumerali nigra. Scutellum nigrum & nigro-hirtum. Abdomen nigrum, segmentis 3 & 4 fulvo- l. albido-villosis. Alæ subfuscanæ, basi fulvescentes. Nervi longitudinales: 3:tius mox ante apicem, & 4:tus mox pone apicem alæ excurrunt, hinc area media late aperta, nec ut in figura Panzeri fere occlusa. Halteres nigri a squamis fuscanis tecti. Pedes nigri. Tibiæ posticæ subcurvæ; at intermediæ in ♂ intus ciliatæ, & versus apicem uno latere longissime brunneo-pilosæ.

2. *M. meridiana:* atra, nitida, immaculata, palpis concoloribus; epistomatis lateribus flavo-aureis; alarum basi squamisque fulvo-flavis, nervo longitudinali 4:to in apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. 1 lin.).

*Mas:* oculis approximatis s. anguste remotis, sed non subcohærentibus;

*Fem.:* oculis latissime distantibus, vitta media lata.

Meig. Dipt. 5. 11. 1. ♂♀. T. 42. f. 25. ♀. — Macq. Buff. 2. 274. 2. ♂♀. T. 16. f. 19. Zett. Ins. Lapp. 652. 2. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1827. Reaum. Ins. 4. t. 26. f. 10. De Geer Ins. 6. 55. 2. Schrank Austr. 451. 922. Fabr. Antl. 284. 3. Panz. Fn. 10. 17. ♀. Fall. Muscid. 51. 30. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, parietibus, truncis arborum, sepibus &c., Maj.—Oct., per Scandinaviam meridionalem & mediam, passim frequens; in provinciis borealibus raro; feminæ in truncis arborum viventium latere meridiei

verso sedentes autumno sæpe deprehenduntur; in Scania ubique vulgaris; in Blekingia, D. *v. Borck;* in Smolandia & Ostrogothia, frequens; in Gottlandia ad Ruthe, Wamblingbo, &c., passim; in Nericia; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, ad Upsaliam, D. Prof. *Thunberg;* in Jemtlandia boreali usque ad radicem alpium Mullfjellen mihi parce obvia; in Dania freq., D. *Staeger*; in Norvegia ad Thynæs rar. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Priore minor, ovalis, tota atra, nitida, tenuiter nigro-pubescens. Caput nigrum, opacum, epistomate lateribus (ab antennis ad genas atras nitidas) pulchre aureo-flavo, nitido. Antennarum seta basi flava. Palpi nigri. Thorax sutura transversa dorsali distincta. Alæ ut in priore, sed nervus long. 4:tus in apice (nec pone apicem) alæ excurrit, unde area minus late aperta quam in præcedente. Squamæ fulvescentes. Halteres nigri. Pedes nigri. Tibiæ subrectæ, intermediæ in ♂ minime longe pilosæ. Tarsorum articulus ultimus interdum etiam penultimus in ♂ testacei.

*Obs.* Larvæ conicæ, flavæ, nitidæ in stercore bovino degunt. Præterea quoad metamorphosin hujus speciei conferantur quæ attulerunt *Reaumur*, *De Geer & Meigen* l. c.

3. ***M. resplendens:*** cærulescenti atra, nitidissima, immaculata, palpis concoloribus; epistomatis lateribus argenteis; alarum basi late, squamisque fulvo-flavis, nervo longitudinali 4:to paullo pone apicem alæ excurrente. ♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ lin. & ultra).

Wahlberg in litt. Sept. 1843. *)

Hab. in convallibus Quickjockensibus ad ripas fluvii Kama Lapponiæ Lulensis, 23—27 Jul. foliis & truncis

---

*) In Conspectu Actorum Holm. 1844 n:o 4. p. 66 hanc speciem ab ipso Detectore deinde quoque descriptam vidi.

arborum insidens; loca umbrosa amans; a D. Prof. *Wahlberg* nuperrime detecta, mihique, adjectis observationibus, benigne communicata. Mas ignotus.

♀. Species insignis, priori valde affinis & similis; sed magnitudine paullo minore, colore corporis atro nonnihil in cærulescentem vergente, epistomatis lateribus argenteis, nec fulvis, antennarum seta tota nigra, nec basi flava, alarum nervis: transverso ordinario magis recto, & præcipue longitudinali 4:to versus apicem minus curvato paullo pone apicem, nec in ipso apice, excurrente, unde area media apice saltem duplo latius aperta, abunde & vere dignota. Caput proportione paullo minus quam in præcedente, totum nigrum, epistomatis lateribus argenteum. Orbita oculorum occipitalis albida. Thorax antice vestigio vittarum 3 albarum. Abdomen atrum, subcærulescenti splendens. Alæ hyalinæ, leviter fuscanæ, a radice ad medium flavæ. Nervi ut in diagnosi indicatum directi. Squamæ fulvæ. Halteres nigri, basi ferruginei. Pedes nigri, forte paullo graciliores & minus hirti, quam in priori.

## 131. CYRTONEURA Meig.

*Corpus* mediæ, raro minoris magnitudinis, ovatum, parce pubescens & setulosum. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, angustæ, articulo ultimo antecedentibus fere triplo longiore, basi seta dorsali undique longe plumata. Oculi nudi aut hirti. Frons parum exserta, serie setarum utrinque ad antennarum basin continuata. Epistoma infra oculos minus quam in *Mesembrina* descendens, ore antice subreflexo. Vibrissæ brevissimæ. Setæ mystacinæ plures, quarum unica utrinque interdum longior. Palpi subclavati. Genæ pubescentes. Mentum breviter pilosum. Abdomen convexum, lateribus & postice parce setosum. Seg-

mentum 1:mum breve. Alæ inermes, hyalinæ, basi non coloratæ. Nervus longitudinalis 4:tus arcuatus in apice alæ excurrens. Nervi transversi: medius perpendicularis, medio inter apicem nervorum auxiliaris & longitudinalis 1:mi oppositus; ordinarius paullo flexus, fere in medio areæ insertus. Area apice late aperta. Squamæ distinctæ. Pedes simplices (excip. in speciebus 2 & 3), pilosi, tibiis parce spinulosis. *Color* nigricans, pictura thoracis sæpe lineata, & abdominis subtessellata. *Motu* agilis. *Habitatio* in hortorum & pratorum floribus, & foliis fruticum, sæpe etiam in parietibus morans. *Larvæ* in vegetabilibus & Fungis putrescentibus degunt. *Differentia sexus; mas:* oculis subcohærentibus saltem approximatis, tarsorum unguibus curvis pulvillisque rotundatis nonnihil majoribus; *femina:* oculis plus minus late remotis.

A. *Oculi nudi.*

*). Palpi nigri.

*α.*) Alarum area media apice modice aperta.

1. *C. Hortorum:* atra, antennis, palpis, vitta frontali pedibusque nigris; epistomatis lateribus, thoracis vittis 3 abdominisque tessellis albidis; *mas:* pedum posticorum tibiis subrectis, metatarsis subtus nudis; *femina:* abdomine late ovato. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Macq. Buff. 2. 276. 5. ♂♀. *(Curtonevra).* — Meig. Dipt. 7. 309. 1. *Musca* Fall. Act. Holm. 1816. 252. 33. ♂♀. & Muscid. 52. 33. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 73. 39. ♂♀. T. 43. f. 33. ♀. — Zett. Ins. Lapp. 560. 30. ♂♀. (excl. syn. *Anthom. cinerascens* Wiedem.). — *Anthomyia hortorum* Wiedem. Zoolog. Mag. I. 1. p. 83. 35. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, floribus Umbellatarum, parietibus, sepibus, &c., per totam Scandinaviam & Lapponiam

usque ad radices alpium procedens in hortis, pratis, pascuis & sylvis, Maj.—Sept., ubique vulgatissima, in copula multoties deprehensa, & e pupa, in stercore bovino inventa, sæpe exclusa. (Ad Neuenkirchen & Hamburgum etiam a D. *Dahlbom* frequenter lecta. E St. Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* quoque missa).

♂♀. Magnitudo & statura *Musc. domesticæ*. Cæsia, subnitida. Caput nigrum, opacum. Epistoma ad latera argenteum. Punctum supra antennas album. Oculi in ♂ cohærentes (non vero arctissime); in ♀ modice remoti, vitta media latiuscula atra, regione circa ocellos cinerea. Thorax antice vittis 3 latis albidis. Pectus in illæsis leviter albo-micat, cicatrice in fovea subscutellari atra. Abdomen ovatum, cinereum, linea dorsali maculisque indeterminatis nigricantibus. Alæ hyalinæ. Nervi: transversus ordinarius fere rectus l. leviter tantum flexus; longitudinalis 5:tus non ad marginem descendens. Squamæ albæ. Halteres pallide flavi. Pedes nigri, parum pilosi & parce setosi. Tibiæ omnes rectæ. Tarsi inermes. Femora antica extus in ♂ villosa, in ♀ setulosa.

2. **C. *curvipes***: atra, antennis, palpis, vitta frontali pedibusque nigris; epistomatis lateribus, thoracis vittis 3, abdominisque tessellis albidis; *mas*: pedum posticorum tibiis arcuatis, metatarsis subtus barbatis; *femina:* abdomine subovali. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Macq. Buff. 2. 276. 7. ♂. Meig. Dipt. 7. 310. 11. ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; mas semel in Scania deprehensus, at uterque sexus e Dania, ubi in Umbellatis mense Augusto frequenter obveniat, a D. *Staeger* benigne missus. (Ad pagum Zirkow prope urbem Putbus Rugiæ d. 6 Jun. 1842 mas quoque a Cel. D. *Dahlbom* lectus mihique benevole communicatus).

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine sæpe duplo minore, & *mas:* pedum posticorum tibiis distincte incurvis, extus parce setosis, apice, præter spinulos ordinarios, intus setulis 2 curvatis, metatarso subtus rigide nigro-ciliato, ut & femoribus anticis extus parce pilosis, nec dense villosis; & *femina:* abdomine subovali; certe differt. ♂ a præcedente facillime notis allatis dignoscitur, sed ♀ a femina prioris vix nisi magnitudine, ut dictum, minore, abdomine nonnihil angustiore, ut & nervo longit. 4:to forte paullo minus arcuatim flexo, distinguitur.

3. *C. valga:* cærulescenti nigra, antennis, palpis, vitta frontali pedibusque nigris; epistomate thoracisque vix vittati lateribus albo-nitentibus; abdomine cinereo-submicante, linea dorsali incisurisque indeterminate obscurioribus: *mas:* pedum posticorum tibiis arcuatis & parce spinulosis, metatarsis intus barbatis. ♂. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Wahlb. in litteris d. 5 Nov. 1844.

Hab. ad Quickjock Lapponiæ Lulensis, ubi sub æstate 1843 a D. Prof. *Wahlberg* in unico exemplo inventa.

♂. Speciem hanc, quæ priori valde similis videtur, ipse non lustravi. Ut diversam tamen illam affero auctoritate Cel. Detectoris, qui sequentem completam ejus descriptionem per litteras nuperrime mihi communicavit: "*Cyrtoneura valga* ♂: *Cyrt. curvipedi* Macq. affinis, sed colore corporis, pictura thoracis, spinis apicalibus tibiarum posticarum non uncinatis & loco natali sine dubio distincta. — Cærulescenti nigra, nitida, setosa. Oculi nudi, nonnihil remoti, orbitis scilicet & linea media angusta nigra disjuncti. Frons vix prominula. Epistoma medio impressum, infra oculos parum descendens, certo situ argenteo-micans, ore producto, seta mystacina utrinque unica longiori. Genæ nigræ, nitidæ, cum

vertice, fronte & ore setosæ. Antennæ epistomate dimidio breviores, articulo tertio basalibus fere longiori, lineari-oblongo, seta longe plumata, basi incrassata, secundo seta propria tenui, ordinaria vix dimidio breviori, munito. Palpi nigri, parum exserti. Thorax lateribus albido-nitens, vix lineatus. Scutellum triangulare, longe setosum. Abdomen certo situ cinereo-micans, linea media & apicibus segmentorum indeterminate nigrioribus, ano subclavato, corniculis 2 brevibus obtusis. Alæ hyalinæ, margine interiori in regione nervi 5:ti leviter emarginato; nervis nigris, ut in *C. Hortorum* directis, transverso ordinario flexo, obliquo, paullo ante medium areæ, sat late apertæ, inserto, longitudinali quinto apice subevanescente. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Halteres pallide flavo testacei. Pedes setosi, anteriores simplices, postici tibiis valde incurvis, crassiusculis, extus in dimidio apicali & ad apicem spinulas aliquot longiores gerentibus, metatarsis intus dense & rigide barbatis. Pulvilli albi." Wahlb.

4. *C. tempestiva:* nigra, antennis, palpis, vitta frontali pedibusque concoloribus; epistomate argenteo; thorace sublineato; abdomine cinereo, linea dorsali incisurisque anguste nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas.:* niger, oculis arcte cohærentibus, abdomine subænescenti cinereo, segmento 1:mo toto, reliquisque linea dorsali incisurisque nigris;

*Fem.:* oculis late remotis, cinerascens, capite albido, antennis, vitta frontali, palpis, thoracis lineis 4 tenuibus, abdominis linea dorsali incisurisque nigris; in copula.

Meig. Dipt. 7. 309. 6. *Musca* Fall. Muscid. 53. 36. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 76. 44. ♂. Zett. Ins. Lapp. 661. 31. ♂♀. Forte etiam *Musca nana* Meig. Dipt. 6. 375. 51. ♀. & *Cyrtoneura nana* Meig. Dipt. 7. 309. 8?

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali & media, tota æstate vulgatissima; in copula capta; viatores, tem-

pestate serena, tenaciter persequitur & manus nudas hominum quiescentium reptando sæpe lædit; in Umbellatis interdum obvia. Occurrit: in Scania ubique longe frequentissima; in Smolandia, Ostrogothia, Ölandia & Nericia quoque vulgaris; in Gottlandia ad Wamblingbo, Gothem, Stenkyrka, Kjellunge, Ruthe, Furillen, &c.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* deinde rarescit, & intra Lapponiæ limites tantum ad Lycksele & Åsele Lapponiæ Umensis a me visa; in Dania, D. *Dahlbom.* (E Glogavia sub nomine: "*Musca curvinervis* Bouch." a D. *Zeller* missa).

♂♀. Inter minutissimas Muscariarum nostrarum. Epistoma argenteum. Antennæ nigræ, cinereo-micantes, seta longissime plumata. Abdomen breviter ovatum. Alæ albido-hyalinæ, nervis subpallescentibus. Nervus long. 4:tus subangulato-arcuatim flexus in summo apice alæ excurrens. Area anguste aperta. Nervus transv. ordinarius leviter flexus. Squamæ albæ. Halteres pallidi. Pedes nigri, parum pilosi. Reliqua ut in diagnosi.

*β*). Alarum area media apice latissime aperta; nervus scilicet longit. 4:tus parum arcuatus, juxta apicem tantum levissime curvatus.

5. *C. cæsia:* cæsia, antennis, palpis, vitta frontali pedibusque nigris; capite albicante; thoracis vittis abdominisque tessellis cinerascentibus; scutelli apice ferrugineo; oculis in ♂ subcohærentibus. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Macq. Buff. 2. 278. 13. ♀. Meig. Dipt. 7. 309. 5. *Musca* Meig. Dipt. 5. 76. 43. ♀. *Musca borealis* Zett. Ins. Lapp. 660. 28. ♂♀.

Hab. in Sueciæ mediæ, sed præsertim borealis & Lapponiæ floribus Salicum, in parietibus interdum sedens,

14 Maj.—15 Jul., 6 Sept., rarius; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena semel; in Botnia boreali ad Johannis Ro; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Wilhelmina, Lulensi ad Quickjock *(Wahlberg)*, & Tornensi ad Wittangi.

♂♀. Antennæ nigræ, cinereo-micantes, seta apice nuda. Oculi in ♂ subcohærentes, linea angusta nigra remoti; in ♀ late distantes, vitta lata nigra, regione circa ocellos cinerea. Thorax cæsius, lineis 4 nigris, & vittis 3 latioribus, antice albidis, postice glaucescentibus. Scutellum cæsium, cinereo- l. glauco-micans, summo apice ferrugineum. Abdomen subdepressum, in fundo quidem cæsium, sed certo situ glauco-micans, maculis irregularibus nigro-olivaceis micantibus. Alæ hyalinæ. Nervus transv. ordinarius flexus. Nervi longitudinales: 3:tius mox ante apicem & 4:tus mox pone apicem alæ excurrentes, unde area media late aperta. Nervus long. 5:tus sat longe infra transversum continuatus, non tamen ad marginem ductus. Squamæ albæ. Halteres pallescentes.

*Obs.* Macquarti *Cyrton. fungivora & nigripalpis* parum ab hac specie differre videntur. Cave ne confundas hanc cum *Aricia (Anthomyia) dentipede* n:o 36, quæ nervorum directione convenit, sed antennarum seta nuda l. tantum pubescente, &c. discrepat.

6. *C. assimilis:* nigra, antennis, palpis, vitta frontali pedibusque concoloribus; capite albido; thoracis vittis abdominisque tessellis cinerascentibus; scutelli apice ferrugineo; oculis in ♂ arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

*Musca assimilis* Fall. Muscid. (Anno 1823). 56. 41. ♀. ipsissima secundum specimen typicum. — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 105. 39. ♂♀. *Hylemyia* Ejusd. Dipt. 7. 316. 20. — *Curtoneura aperta* Macq. Dipt. (Anno 1833) 5. 11. 4, ♂♀. & Buff. 2. 278. 15. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 311. 14.

Hab. in foliis fruticum per hortos & prata Scandinaviæ meridionalis & mediæ, Jul.—Sept., mihi rarius obvia; scilicet in Scania ad Lund (in horto botanico 26 Jul. 1823), & ad Esperöd, atque in Ostrogothia ad Wadstena, aliquoties deprehensa; etiam ad Gusum & Holmiam a D. *Wahlberg* capta erit; sed specimina ex utroque sexu sub nomine "*Cyrton. aperta* Macq." e Dania communicavit D. *Staeger*, qui simul asseverat, "hujus speciei individua in truncis arborum Daniæ mens. Sept. & Oct. frequenter occurrere" (♂ e Glogavia a D. *Zeller* sub nomine *Anthom. assimilis* missus).

♂♀. Simillima priori, a qua non differt, nisi colore in fundo thoracis & abdominis magis nigricante, quam cæsio, ut & oculis in ♂ arctius cohærentibus, linea tantum angustissima disjunctis. — Variat magnitudine jam *Cyrt. stabulantis* majoris, jam *Anthomyzæ (Ariciæ) albolineatæ.*

**). Palpi ferruginei. Alarum area media late aperta.

7. *C. pabulorum:* nigra, pedibus concoloribus; capite albido; antennarum articulo ultimo basi, palpis scutellique apice, testaceis; thoracis vittis abdominisque tessellis cinerascentibus; oculis in ♂ arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 277. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 309. 2. *Musca* Fall. Muscid. 51. 31. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 75. 41. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 660. 27. ♂♀.

Hab. in parietibus stabulorum &c., per Scandinaviam, 12 Maj.—6 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., certis annis haud infrequenter; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Westrogothia ad Örlösa

prope Lidecopiam & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; sed deinde longius versus septentrionem rarissime occurrit; in Dania non raro, D. *Staeger*. (E Reinerzi Silesiæ a D. *Zeller* missa).

♂♀. Sat late ovata. Oculi in ♂ arcte cohærentes, tantum linea angustissima gemina alba disjuncti; in ♀ late remoti, vitta atra postice cinerea. Antennæ fuscæ, medio rufescentes. Orbita pone oculos albida. Oculi in viva brunnei. Thorax cinereus, antice lineis 4 nigris. Scutellum cinerascens, apice testaceum. Abdomen glauco-cinereum, maculis irregularibus nigro-olivaceis micantibus. Alæ hyalinæ. Nervus transversus ordinarius flexus. Nervi longitudinales: 4:tus versus apicem subito & distincte arcuatus in ipso apice alæ excurrens; 5:tus infra transversum aperte continuatus. Squamæ albæ. Halteres sordide albidi.

8. *C. pascuorum:* cæsia, capite albido, antennis, vitta frontali pedibusque nigris; antennarum articulo ultimo basi, palpis scutellique apice, testaceis; thoracis vittis cinerascentibus; oculis in ♂ arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 277. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 309. 4. *Musca* Meig. Dipt. 5. 74. 40. ♂♀.

Hab. in Scandinavia rarius; in succo destillante Betulæ albæ capta; in Scania ad Lund; in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; ex Hafnia a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Valde similis & affinis priori; sed colore corporis magis cæsio, & præsertim abdomine subimmaculato, nec cinereo-tessellato, sine dubio distincta. Caput, thorax, scutellum, alæ & pedes ut in præcedente. Abdomen late ovatum, sub-

depressum, cæsium, leviter glauco-micans, & certo situ linea dorsali nigra obsoleta.

9. *C. stabulans:* nigra, capite albido; antennarum articulo ultimo basi, palpis, scutelli apice, pedibusque, testaceis, femoribus basi tarsisque nigris; thoracis vittis abdominisque tessellis cinerascentibus; oculis in ♂ subcohærentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 277. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 309. 3. *Musca* Fall. Muscid. 52. 32. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 75. 42. ♂♀. t. 43. f. 35. ala. — Zett. Ins. Lapp. 660. 29. ♂♀. *Anthomyia cinerascens* Wied. Zool. Mag. 1. 1. p. 79. 28. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, truncis arborum, muris, jumentorum stabulis, fenestris, &c., per totam Scandinaviam, a primo vere usque ad serum autumnum (nec sub ipso mense Decemb. omnino deest), vulgatissima, in copula multoties deprehensa; scilicet in Suecia meridionali & media usque ad Upsaliam ubique frequentissima; in provinciis borealibus ex. gr. ad Gevaliam, Hernösand, Umeå &c., rarius, & intra Lapponiæ limites non nisi rarissime visa; in Norvegia meridionali passim; in Dania copiose. (In insula Helgolandia & in horto Senatoris *Krey* Gryphiæ a D. *Dahlbom* lecta; e St. Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, & e Finlandia a D. *Sahlberg* missa). Larvæ in vegetabilibus putridis fungorum & fructuum, etiamque in stercore, vivunt.

♂♀. Similis *C. pabulorum*, sed magnitudine paullo minore, antennis in medio minus distincte rufescentibus, alarum area media apice paullo latius aperta, pedibus ad maximam partem testaceis, ut & oculis in ♂ minus cohærentibus, vere & facile dignoscitur. Opaca. Caput albidum, vitta frontali in ♂ angustata, nigra, in ♀ lata, obscura. Orbita oculo-

rum tota alba. Antennæ obscuræ, in medio anguste rufescentes. Thorax cinerascens, antice lineis 4 nigris. Scutellum cinereum, apice testaceum. Abdomen cinereum; linea dorsali & maculis irregularibus olivaceo-nigris micantibus. Alarum nervus transv. ordinarius parum flexus. Nervi longitudinales: 3:tius mox ante apicem & 4:tus mox pone apicem excurrens, unde area in hac specie nonnihil latius aperta quam in *C. pabulorum*. Pedes testacei, femoribus anticis fere ad apicem, posterioribus (in ♂) plerumque paullo ultra medium, & coxis tarsisque omnibus totis, nigris. Cetera ut in *C. pabulorum*.

B. *Oculi hirti.* Alarum area media apice late aperta. Palpi nigri.

10. *C. maculata:* cinerea, antennis, palpis, vitta frontali, pedibus, thoracis lineis 4, abdominisque rotundati punctis numerosis, nigris, hoc in ♂ lateribus flavo-diaphano. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$, plerumque 3 lin.).

*Mas:* capite obscure livido-albido; oculis subcohærentibus, vitta nigra angusta antice dilatata; thorace hirto, cinereo, lineis 4 atris; abdomine cinereo, lateribus testaceo-pellucido, punctis in dorso circiter 12 nigris, lateralibus propter pelluciditatem obsoletioribus; alis leviter infuscanis;

*Fem.:* capite albido, vitta frontali latissima nigra geminata; thorace subnudo, cano, lineis 4 atris; abdomine cano, punctis majoribus minoribusque circiter 12 atris distinctis, & maculis certo situ olivaceo-micantibus; alis hyalinis; in copula.

Macq. Buff. 2. 275. 1. ♂♀. T. 16. f. 20. ♀. — Meig. Dipt. 7. 309. 15. *Musca* Linn. Syst. Nat. Ed. 12. 2. p. 990. 70. ♀. De Geer Ins. 6. 84. 13. T. 3. f. 22. ♂. figura non bona. — Panz. Fn. 44. 22. ♀. Fabr. Antl. 287. 14. ♀. Fall. Muscid. 49. 27. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 78. 18. ♂♀.

Zett. Ins. Lapp. 659. 25. ♂♀. *Musca vulpina* Fabr. Antl. 292. 43. ♂.

Hab. in floribus præsertim Umbellatarum, per Scandinaviæ hortos & prata, 2 Jun.—15 Sept., passim; scilicet in Scania, Blekingia (*v. Borck*), Smolandia & Ostrogothia, frequens; in Ölandia & Gottlandia, passim; in Uplandia ad Holmiam & Upsaliam; deinde rarius occurrit, & intra Lapponiam tantum ad Lycksele Lapponiæ Umensis rarissime visa; in Norvegia inter Kongsstue & Höjfjeldbro in jugo alpino, rarissime, D. *Dahlbom;* in Dania non raro, D. *Staeger.* (Ad Neuenkirchen jam d. 20 Maj. a D. D. Prof. *Hornschuch & Dahlbom* lecta; & e Lubeca a D. *Behrens* missa; e St. Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* quoque communicata). Larvam flavam, stigmatibus posterioribus circularibus; & pupam brunneo-nigram, describunt Auctores. Larvæ in stercoratis degere dicuntur.

♂♀. *Musca domestica* robustior. Antennæ angustæ, cinereo-micantes, seta longe plumata. Palpi nigri. Scutellum canum (♀), aut testaceum (♂), maculis 3 atris, media majori, trigona. Abdomen breve, late ovatum, maculis tribus nigris in singulo segmentorum 2, 3 & 4 in triangulum dispositis, & una laterali in segmentis 3 & 4. Segmentum 1:mum quoque obscure maculatum. Alæ hyalinæ. Nervi: transversus ordinarius distincte flexus; longitudinalis 4:tus regulariter arcuatus in summo apice alæ excurrit. Area sat late aperta. Squamæ albæ. Halteres pallidi. Pedes nigri. — Varietatem maris singularem colore feminæ præditam, h. e. abdomine toto cano (absque pelluciditate testacea), maculis ordinariis atris, ad Cedersdal prope Holmiam in pluribus exemplis invenit eximius ille observator Cel. Profess. *Wahlberg;* similem varietatem quoque in Lapponia Lulensi ad Quickjock Idem legit.

11. *C. meditabunda:* cinerea, antennis, palpis, vitta frontali, pedibus, thoracis lineis 4, abdominisque ovato-conici punctis totidem, nigris. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

*Mas:* oculis subcohærentibus, vitta frontali angustata nigra; oculis & thorace fortiter hirtis; abdomine subconico, griseo, punctis 4 fusco-nigris; alis fuscanis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta frontali lata, gemina, nigra; oculis & thorace tenuiter hirtis; abdomine ovato, cinereo, punctis 4 dilute brunneis, interdum obsoletis; in copula.

Macq. Buff. 2. 275. 2. Meig. Dipt. 7. 309. 16. *Musca* Panz. Fn. 44. 23. ♂. Fabr. Antl. 297. 68. ♂♀. Fall. Muscid. 50. 28. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 79. 49. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 660. 26. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Salicis, Populi, &c., per totam Scandinaviam usque ad Lapponiæ regionem sylvaticam, a vere ad autumnum, vulgaris, in copula deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Nericia & Uplandia, frequens; in Ölandia, & Gottlandia ad Slitö &c., passim; in Jemtlandia boreali usque ad Frösön & Åreskutan; in Lapponia ad Lycksele & Muonioniska, parce; in Dania frequens, D. *Staeger.* (Ad Neuenkirchen a D. *Dahlbom* capta mihique communicata. E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. A priore, cui in multis convenit, magnitudine minore præsertim statura multo angustiore, & in primis abdomine proportione longiore, cinereo, maculis in singulo segmentorum 2 & 3 tantum duabus, unde exstant in abdomine maculæ quatuor subtrigonæ nigræ aut brunneæ, differt. In medio segmenti 1:mi etiam 2 maculæ fuscæ adsunt. Hæc autem pictura in ♀ plerumque magis obsoleta. Palpi & antennæ nigra. Scutellum cinereum, linea media obscura. Alæ ut in priori etiam quoad directionem nervorum, sed nervus

long. 4:tus paullo tamen minus arcuatus. Squamæ non magnæ, albæ, in ♂ leviter subbrunnescentes. Halteres flavi. Pedes nigri.

## *Species dubia.*

12. *C. cyanea:* "obscure cyanea, abdomine paullo albo-micante; antennis majusculis, palpis pedibusque nigris; thorace obsoletissime lineato". ♂♀.

Wahlberg in litt. 1842.

Hab. in Gottlandia rarissime; ad pagum Ethelhem utrumque sexum detexit D. Prof. *Wahlberg;* a me numquam inventa, neque visa.

♂♀. "*Musca corvina* paullo minor. Exemplo minori *Sarc. Vespillonis* simillima, sed magis obscure cyanea, antennis longioribus palpisque nigris distincta. Nervus alarum 4:tus subarcuatim flexus." Wahlb.

*Obs.* Meigeni *Cyrtoneuræ cyanellæ*, ut & nostris *Pyrelliæ lasiophthalmæ* (quam tamen sub nomine *M. cyanella* ab ipso D. *Wahlberg* obtinui & ergo alia est), & *eriophthalmæ* valde affinis videtur hæc species. Nec a *Sarcophaga cærulea* nob. (n:o 30) multum abludere videtur.

---

In Muscariarum Familia post *Cyrtoneuram* aptissimus locus mihi videtur pro insertione nuper a Cel. *Wahlberg* detecti affinis generis, quod descripsi sub nomine:

## CINOCHIRA Wahlb.

*Corpus* parvum. Caput rotundatum, supra planiusculum, thorace fere latius. Oculi rotundi, longe remoti, nudi. Vertex setosus, setis 2 ceteris longioribus, occipitalibus, versus thoracem recurvatis. Frons non prominula, parce setosa.

Epistoma vix infra oculos descendens, impressum, superne a fronte velut area disjunctum, inferne subreflexum: apertura oris magna, rotundata. Vibrissæ nullæ, setæ vero mystacinæ adsunt. Palpi (saltem in mortua) exserti, simplices. Antennæ epistomate dimidio breviores, sub arcu frontali insertæ, subdeflexæ, articulo ultimo longitudine reliquorum, rotundato, seta longiuscula, capillari. Scutellum longius setosum. Abdomen oblongum, thorace angustius, subcurvatum, setosum, 4-annulatum, segmento 1:mo ceteris majori (an e 2 annulis constante?), ano (♂?) hamulis 2 brevibus, firmis, distantibus. Pedes longiusculi & crassiusculi, spinuloso-pubescentes, coxis anticis magnis. Alæ abdomine longiores, inermes & absque spinula; nervis fere ut in *Cyrtoneura* aut *Aricia* directis, nervo tamen 3:tio longitudinali nonnihil versus 4:tum subrectum flexo, ut apice longe a 2:do distet. Hinc area media lanceolata, aperta. Nervus 2:dus longitudinalis paullo ante apicem alæ in costa, 3:tius in apice, & 4:tus pone apicem excurrunt. Nervus transversus medius apici nervi auxiliaris oppositus, transversus ordinarius non longe a margine interno, pone medium alæ & paullo ante medium areæ mediæ situs. Nervus secundarius & auxiliaris sejuncti. Squamæ majusculæ. — *Color* ater. *Motu* agilis; pedes anticos singulari modo agitat, unde nomen generis a *κινεω*, moveo, & *χειρ*, manus, desumtum.

1. *C. atra:* atra, nitida, macula frontali, antennarum basi palpisque testaceis; alis leviter fuscanis, basi subflavidis. ♂? (Long. 1½ lin.).

Wahlb. in litt. 1842.

Hab. in Ostrogothia rarissime; ad Gusum d. 5 Jul. 1838 in unico specimine a D. Prof. *Wahlberg* inventa.

♂? Cum speciem ipse non vidi, observationes circa illam a Cel. Detectore communicatas tradam. *Ocypteræ* l. *Tachi-*

*næ* parvæ subsimilis & affinis, sed nervorum directione dignota. Statura fere *Gymnopezæ*. Atra, nitida, setosa. Vertex niger, subopacus. Frons supra antennas anguste testacea. Epistoma testaceo-infuscatum, orbitis & genis pallescentibus. Palpi testacei. Antennæ flavo-testaceæ, articulo ultimo atro. Scutellum & anus nitidissima. Pedes nigri, coxis, præsertim posterioribus, testaceo-infuscatis. Pulvilli non magni, albidi. Alæ dilute infuscatæ, versus basin subflavidæ. Squamæ albidæ. Halteres albicantes.

---

# Fam. 26. ANTHOMYZIDES *).

## 132. DRYMEIA Meig.

*Corpus* mediæ magnitudinis, ovato-oblongum, undique setosum. Antennæ incumbentes, epistomate fere duplo brevio-

---

*) Secundum methodum Meigenianam in Parte 7:ma Dipteror. Europ. genera & species *Anthomyzidum* Scandinaviæ ita disponi possunt:

A. Frons maris angustissima.

a.) Seta antennarum plumata.

1. Aricia. Oculi hirti. (Abdomen ovatum, setosum. Squamæ sub alis sat magnæ).

* pedibus nigris (*Aricia* Zett.).

*lardaria* 1. *albolineata* 2. *incana* 3. *lucorum* 4. *plumbea* 5. *annosa* Zett. 6. *nivalis* Z. 7. *obscurata* 8. *dispar* 9. *serva* 10. *veterana* Z. 11. *Morio* Z. 12. *lugubris* 13. *consobrina* Z. 14. *alpicola* Z. 15. *variabilis* 16. *longipes* Z. 17. *atra* 18. *umbratica* 19.

** pedibus plus minus flavis (*Anthomyza* Zett.).

*errans* 1. *signata* 2. *vagans* 3. *perdita* 4. *scutellata* Z. 5. *spinicosta* Z. 6. *læta* 7. *magnicornis* Z. 31.

res, angustæ, articulo ultimo secundo duplo longiore, basi seta dorsali elongata, biarticulata, basi distincte licet breviter, versus apicem microscopice, pubescente. Oculi nudi.

---

*erratica* 65. *4-notata* 66. *basalis* Z. 67. *pallida* 123. *Populi* 124. *scutellaris* (Fall. non Meig.) 125. *abdominalis* Staeg. 126. *cincta* Z. 127.

2. Hylemyia. Oculi nudi. (Abdomen aut ovatum, aut oblongum aut conicum).

* pedibus nigris (*Aricia* Zett.).

*vespertina* 20. *nigrinervis* Z. 21. *nigritella* Z. 22. *duplicata* 23. *duplaris* Z. 24. *notata* 25. *carbonella* Z. 26. *ambigua* Fall. (*divisa* Meig.) 27. *sordidiventris* Z. 28. *variata* 29. *lasciva* Z. 30. *flavipennis* Fall. (*crassirostris* Meig.) 31. *grisea* 32. *hilaris* 33. *festiva* Z. 34.

** pedibus ex parte flavis (*Anthomyza* Zett.).

*coarctata* 10. *nigricolor* 11. *fuscipes* Z. 12. *ignobilis* Z. 13. *subtessellata* Z. 14. *immatura* Z. 15. *vittipes* Wahlb. 16. *conica* 18. *dubitata* 19. *strigosa* 20. *operosa* 22. *coronata* Z. 23. *vetula* Z. 25. *brunneifrons* Z. 26. *Quadrum* 27. *anceps* Z. 28. *depuncta* 29. *fuscata* 30. *flavotibiella* Z. 32. *troglodytes* Z. 33. *vilis* Z. 34. *æqualis* 175.

*** pedibus totis (tarsis nigris exceptis) flavis. (*Anthomyza* Zett.).

*Angelicæ* 8. *tincta* Z. 9. *urbana* 17. *nigrimana* 21. *linogrisea* 24. *pagana* 68. *impuncta* 69. *demigrans* Z. 70 *modesta* 71. *vittifera* Z. 72. *detrita* Z. 73. *olivacea* Z. 74. *præpotens* 75. *ferrugineo-vittata* Z. 76. *uliginosa* 128. *graminicola* Z. 129. *maculiventris* Z. (an *Anthomyiæ* generis Meig.?) 131.

Frons parum exserta, serie setarum utrinque ad antennarum basin continuata. Epistoma infra oculos majusculos parum descendens, ore antice reflexo. Vibrissæ nullæ. Se-

---

b.) Seta antennarum pubescens aut nuda.

3. **Lasiops.** Oculi hirti. (*Ariciæ* species Zett.).

*spinipes* Fall. (*Hydrotæa ciliata* Macq.) 93. *cyrtoneurina* Z. 94. *occulta* 95. *aculeipes* Z. 96. *subfuscinervis* Z. 97. *turpis* Z. 98. *fulvisquama* Z. 99. *luteisquama* Z. 100. *hirtula* Z. 101. *innocua* Z. 102. *hirsutula* Z. 103. *separ* Z. 104. *subrostrata* Z. 105. *leucogaster* Z. 106. *depressiuscula* Z. 107. *tristiola* Z. 108. *pubipes* Z. 109. *cinereiventris* Z. 110. *semicinerea* (*Hylomyia* Meig.) 111. *glacialis* Wahlb. 131. *innocens* Z. 132. *semipellucida* Z. 133. *depressiventris* Z. 134. *hirticeps* 135. *decolor* 136.

4. **Hydrotæa.** Oculi nudi. Femora antica subtus ad apicem dente aut spina in ♂ armata. (*Ariciæ* species Zett.).

*dentipes* 36. *palæstrica* 37. *bispinosa* Z. 38. *meteorica* 39. *irritans* 40. *velutina* 41. *curvipes* 42. *scambus* Z 43. *armipes* 44. *glabricula* 45.

5. **Anthomyia.** Oculi nudi. Pedes inermes.

* pedibus nigris (*Aricia* Zett.).

*leucostoma* 46. *piligera* Z. 47. *fuscinervis* Z. 48. *obscuripennis* Z. 49. *inuncta* Z. 50. *æneiventris* Z. 51. *nigriventris* Bohem. 52. *argyrata* Z. 53. *maculifrons* Z. 54. *lividiventris* Z. 55. *squalens* Z. 56. *cinerea* 57. *brunneilinea* Z. 58. *ignobilis* Z. 59. *pullula* Z. (*Hylemyia longula* Meig. non Fall.) 60. *cinerosa* Z. (*Hylemyia cinerella* Meig. non Fall.) 61. *sulciventris* Z. 62. *verticina* Z. 63. *frontata* Z. 64. *decrepita* Z. 65. *brunnescens* Z. 66. *villipes* Z. 67. *compuncta* Wied. 68. *trigonifera* Z. 69.

tæ mystacinæ plures. Mentum & genæ pilosa. Proboscis exserta, apice geniculata, capitulo longo, simplici, subconico. Palpi cylindrici, pilosuli. Thorax sutura transversa.

---

*sororcula* Z. 70. *depressula* Z. 71. *didyma* Z (non Meig.) 72. *brunneisquama* Z. 73. *contractifrons* Z. 74. *fumipennis* Z. 75. *vana* Z. 76. *triangulige-ra* Z. 77. *triangulifera* Z. 78. *trigonata* Z. 79. 7-*notata* Z 80. *vitticollis* Z. 81. *dorsata* Z. 82. 5-*lineata* Z. 84. *maculipennis* Z. 85. *surda* Z. (*tri-angula* Meig.? non Fall.) 86. 4-*maculata* (*Hyle-myia* Meig.) 87. *borealis* Z. 88. *solitaria* Z. 89. *maculigera* Z. 90. *abbreviata* Z. 91. *buccata* 116. *laminata* Z. 117. *latipennis* Z. (*A. versicolor* Meig.?) 118. *canescens* Z. 119. *scatophagina* Z. 120. *are-nosa* Z. 121. *unistriata* Z. 122 *hilarella* Z. 123. *trapezina* Z. 124. *lepturoides* Z. 125. *marginalis* 126. *Histrio* Z. 127. *unilineata* Z 128. *odonto-gaster* Z. 129. *albescens* Z. (*M buccata* Fall. ♀. *Hylem. albula* Meig. exclus. syn. Fall.) 130. *sil-vestris* 137. *Billbergi* Z. 138. *atricauda* Z. 139. *articulata* Z. 140. *anilis* Z. 141. *moerens* Z. 142. *cuneicornis* Z. 143. *murina* Z. 144. *senilis* Z. 145. *brevicornis* Z. 146. *floralis* 147. *sepia* 148. *trans-versalis* Z. 149. *pictiventris* Z. 150. *flaviceps* Z. 151. *leneariventris* Z 152. *sepiella* Z. 153. *angu-stiventris* Z. 154. *ciliatocosta* Z. 155. *spathulata* Z. 156. *striolata* 157. *candens* Z. 158. *dissecta* 159. *platura* 160. *intersecta* 161. *muscaria* 162. *vetula* Z. 163. *Naso* Z. 164. *fusciceps* Z. 165. *obscura* Macq. 166. *trapezoides* 167. *lucidiventris* Z. 168. *florilega* Z. 169. *strigilata* Z. 170. *rotundiventris* Z. 171. *albinervis* Z. 172. *pluvialis* 173. *praticola* 174. *stygia* 175. *subpellucens* Z. 176. *armata* 177. *sociella* Staeg. 178. *longula* Fall. (non Meig.) 179. *antiqua* 180. *arrogans* Z. 181. *melanogaster* Z.

Abdomen 4-annulatum, supra undique setosum, setis tamen in disco segmentorum 1, 2 & 3 minus validis. Segmenta omnia subæque longa. Alæ subdivaricatæ, inermes, nervis

---

182. *seminitida* Z. 183. *conifrons* Z. 184. *8-guttata* Z. 185. *obtusa* Z. 186. *longicornis* Z. 187. *canicularis* 188. *scalaris* 189. *manicata* 190. *incisurata* Z. 191. *lugens* Z. 192. *cristata* Z. 193. *mutica* Z. 194. *albipuncta* Z. 195. *Radicum* 196. *riparia* 197. *infirma* 198. *glaucescens* 199. *lacteipennis* Z. 200. *foveolata* Z. 201. *perpendicularis* Z. 202. *veterrima* Z. 203. *barbiventris* Bohem. 204. *triquetra* 205. *Macquarti* Staeg. 206. *Stægeri* Z. (*Atomogaster tibialis* Staeg.) 207. *serena* 208. *lepida* Fall. (vix Meig.) 209. *lugubrina* Z. 210. *inermella* Z. 211. *latifrons* Wahlb. 212. *stigmatella* Z. 213. *Macula* Z. 214. *parvicornis* Z. 215. *albicincta* 216. *aërea* Fall. (non Meig.) 217. *globuliventris* Z. 218. *parvula* 219. *ærea* 220. *aterrima* 221. *melanaria* Z. 222. *albula* Fall. (non Meig.) 226. *cinerella* Fall. (vix Meig.) 227. *humerella* Z. 228. *morionella* Z. 229. *frontella* Z. 230. *cordifrons* Z. 231. *mucronatella* Z. 232. *parva* 233. *curvicauda* Wahlb. 234. *remotella* Z. (*Coenosiæ* generis) 235. *albidella* Z. 236. *confidella* Z. 237. *dissitinervis* Z. 238. *longisquama* Z. 239. *pilifera* Z. 240. *alpicola* Z. 241. *atomaria* Z. 242.

**) pedibus ex parte flavis (*Anthomyza* Zett.; *Anth. mutata* pedibus nigris sub n:o 147 quærenda).

*consimilis* 35. *pertusa* (Hylemyia eadem Meig.?) 36. *fratercula* Z. 37. *binotata* Z. 38. *sororia* Z. 39. *consors* Z. 40. *protuberans* Z. 41. *lineatipes* Z. 42. *apicalis* Z. 43. *cineraria* Z. 44. *obscuripes* Z. 45. *pallipalpis* Z. 46. *Sundewalli* Z. 47. *socia* 48.

omnino nudis & spinula costæ nulla. Nervi longitudinales recti: 3:tius fere in apice & 4:tus pone apicem alæ inserti, unde area media apice late aperta. Nervi transversi: medius

---

*grandæva* Z. 49. *deserta* Z. 50. *denudata* Z. 51. *socculata* Z. 52. *verticella* Z. 53. *frigida* Z. 54. *rugulosa* Z. 55. *fuscula* 56. *atricolor* 57. *depressiventris* Z. 58. *atritarsis* 59. *tergina* Z. 60. *dorsalis* Z. 61. *hæmorrhoum* Z. 62. *palliceps* Z. 63. *niveipennis* Z. 64. *mutata* (*Ariciæ* generis) 147. *transgressa* Z. 154. *rotundicornis* Z. 156. *stupida* Z. 163. *lurida* Z. 164.

*** pedibus totis (exceptis tarsis atris) flavis. (*Anthomyza* Zett.).

*conformis* 77. *calceolata* Z. 78. *laticornis* 79. *deprimata* Z. 80. *flavipalpis* Z. 81. *mimula* Z. 82. *maculipes* Z. 83. *lunatifrons* Z. 84. *Salicis* Z. 85. *viduata* Z. (*Musca rufipes* Fall. ♀.) 86. *punctiventris* Z. 87. *pubiseta*. Z. 88. *postica* Z. (an *posticata* Meig. variet.?) 130. *maculiventris* Z. (an *Hylemyiæ* generis Meig.?) 131. *rufipes* 133. *transversa* Z. 134. *capucina* Z. 135. *latitarsis* Staeg. 136. *consobrina* Z. 137. *invisa* Z. 138. *pallicornis* Z. 139. *littoralis* Z. (an *Coenosiæ* generis Meig.?) 141. *rufina* 143. *hamata* Macq. 144. *impar* Z. 145. *hians* Z. 146. *flavipes* 148. *flavo-scutellata* Z. 149. *tenera* Z. 150. *zonata* Z. 151. *ruficeps* Z. 153. *guttifrons* Z. 155. *bicolor* (var. a. *bicolor* Meig. var. b. *mitis* Meig.?) 157. *strigipes* Z. 158. *calyptrata* Z. 159. *scapularis* Z. 160. *pubipes* Z. 161. *nigritarsis* Z. (vix *A. fulgens* Meig.??) 162. *notabilis* Z. 165. *limbatella* Z. 166. *inanis* 167. *varians* Z. 168. *flaveola* 169. *diaphana* 170. *tunicata* Z. 171. *vittigera* Z. 172. *gilva* Z. 173. *ephippium* Z. 174. *Hyoscyami* 176. *Winthemi* 177.

perpendicularis, apici nervi longitudinalis 1:mi oppositus; ordinarius modice a medio remotus, paullo pone medium disci, sed nonnihil ante medium areæ insertus, parum obli-

---

6. D r y m e i a. Oculi nudi; in ♂ cohærentes. Proboscis subexserta: capitulo oblongo.
*hamata* Z. (*Musca* Fall. *Drymeia obscura* Meig.) 1.

7. E r i p h i a. Oculi nudi; in ♂ cohærentes. Os hirsutissimum. Antennæ longitudine dimidii epistomatis. Corpus maris rigide setosum.
*cinerea;* vix Scandinaviæ incola.

B. Frons in utroque sexu lata.

8. C o e n o s i a. Oculi nudi, remoti. Antennæ epistomate breviores. Palpi cylindrici. (*Ariciæ* & *Anthomyzæ* species Zett.).

* Antennarum seta plumata.

*obtusipennis* (*Aricia* Z.) 35. *tigrina* (*Anthomyza* Z.) 89. *ciliatocosta* (*Anthom.* Z.) 90. *flavicornis* (*Anthom.* Z.) 91. *Fungorum* (*Anthom.* Z.) 121. *Graminum* (*Anthom.* Z.) 122.

** Antennarum seta pubescens aut nuda.

a. pedibus totis nigris (*Ariciæ* species Zett.).

*litorea* 83. *triangula* (*Anthom.* Meig.?) 92. *scrupulosa* Z. (*Anth. pacifica* Meig.??) not. sub n:o 92. *denticauda* Z. 112. *myopina* (*Coenosiæ* & *Cordiluræ* species Meig.) 113. *scoparia* Wahlb. 114. *moriens* Z. 115. *agromyzina* 223. *Trollii* Z. 224. *albitarsis* Z. 225. *remotella* Z. 235.

b. pedibus aut ex parte aut totis flavis (*Anthomyzæ* spec. Zett.; in *Anth. pingvicula* n:o 142 pedibus totis brunneis).

*meditata* 92. *exsul* Z. 93. *nana* Z. 94. 6-*maculata* 95. 6-*notata* 96. *bilineella* Z. 97. *genicula-*

quus, levissime flexus. Præterea segmenta costæ (Cfr. *Nephrocerus* gen. 100): 1:mum circiter 4:tam totius costæ partem attingens; 2:dum 1:mo fere duplo brevius; 3:tium antecedentibus nonnihil longius; 4:tum 3:tio fere triplo brevius, & 5:tum apicale 4:to iterum nonnihil brevius. Squamæ sat parvæ, subæquales. Halteres nudi. Pedes simplices, spinulosi, tarsis subinermibus. *Color* obscurus, subnitidus.

---

*ta* 98. *pygmæa* Z. (*pusilla* Staeg.) 99. *verna* 100. *lacteipennis* Z. 101. *intermedia* 102. *biocellata* Z. 103. *trilineella* Z. 104. *means* 105. *albimana* Wahlb. 106. *genarum* Z. 107. *fulvicornis* Z. 108. *flavimana* Z. 109. 8-*punctata* Z. 110. *pumila* Fall. Meig. (*Coenos. albicornis* Meig. forsan quoque huc pertinet.) 111. *nigrifemur* Z. (*Coenos. nigrimana* Meig.) 112. *humilis* 113. *pulicaria* Z. 114. *pedella* 115. *decipiens* 116. *tarsella* 117. *dealbata* Z. 118. *metallipennis* Z. 119. *ambulans* Z. 120. *mollicula* Fall. (*Coen. nemoralis* Meig.) 132. *alma* (*spuria* Z. Ins. Lapp.) 140. *littoralis* Z. (forte *Coenosiæ* generis) 141. *pingvicula* Z. 142. *tricolor* Z. (*Coenos. bicolor* Staeg.) 152.

9. Lispe (*Lispa*). Oculi nudi, remoti. Seta antennarum plumata. Palpi paullo exserti, cochleariformes.

*tentaculata* 1. *uliginosa* 2. *litorea* 3. *hydromyzina* 4. *pygmæa* 5.

10. Dialyta. Oculi nudi, paralleliter remoti. Antennæ longitudine epistomatis, seta nuda.

*erinacea* 1.

11. Leptopa Zett. Oculi nudi, remoti. Antennæ brevissimæ, seta subnuda. Mystaces in lamina. Corpus angustissimum. Pedes graciles.

*filiformis* Z. 1.

*Motu* tarda. *Habitatio* in floribus, per hortos, prata & campos. *Differentia sexus; mas:* corpore nigricante, crebre setoso, fronte subexserta, oculis cohærentibus, linea tantum anguste remotis, serie setarum frontalium utrinque simplici, crebra, ano subtus bi-appendiculato, abdomine oblongo, apice obtuso, alis subfuscanis, tarsorum unguibus nigris, anticis rectis, pulvillis omnibus rotundatis albis, parvis; *femina:* corpore cinerascente, parcius setoso, fronte minus exserta, oculis distantibus, vitta lata atra remotis, serie setarum frontalium utrinque postice subduplici, parca, abdomine ovato, apice acuto, ano mutico, alis subhyalinis, tarsorum unguibus curvis nigris pulvillisque rotundatis albis, minutis.

1. *D. hamata:* nigra (♂), aut cinerascens (♀), capite glaucescente l. albicante; abdominis vitta dorsali atra. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas & femina* ut in descriptione generis indicatum differunt.

*Musca hamata* Fall. Muscid. 1823. p. 61. 57. ♂♀. *Drymeia obscura* Meig. Dipt. 1826. 5. 204. 1. ♂♀. T. 44. f. 14. ♂. 15. ♀. — Macq. Buff. 2. 322. 1. ♂♀. T. 17. f. 9. caput.

Hab. in floribus præsertim Compositarum, ut Chrysanthemi, Achilleæ, Hieracii &c., sed etiam Ranunculorum &c., per hortos, prata, campos etiam silvas, Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 12 Jul.—28 Sept. passim frequens, in copula multoties capta; versus autumnum inprimis vigens; scilicet in Scania ubique vulgatissima; in Blekingia, Smolandia, Calmaria, Westrogothia (ad Gothoburgum), Ostrogothia (ad Wadstena &c.) & Nericia etiam vulgaris; in Gottlandia ad Martebo, Nähr &c. haud rara; in Dalecarlia ad diversorium Uppbo (2 Sept. 1840) passim; in Helsingia ad Kårböle rarius; sed longius ver-

sus septentrionem mihi non obvia, nec in Lapponia visa; at in Norvegia ex. gr. ad Næs Værdaliæ haud parce inveni; in Dania ad Hafniam a D. *Dahlbom* frequenter lecta. (Ad Elisenheyne prope Gryphiam a D. *Dahlbom* quoque capta).

♂♀. Proboscide exserta hamata ab omnibus Anthomyzidibus facile dignota. Variat paullo magnitudine. Mas semper nigrior. Caput glaucum, palpis & proboscide nigris. Oculi obscure ferruginei. Antennæ nigræ. Linea frontalis angusta in ♂, & vitta lata in ♀, atræ. Abdominis vitta dorsalis in ♂ perspicua, in ♀ plerumque obsoleta. Squamæ sub alis albidæ. Halteres nigri. Pedes nigri. Reliqua ut in diagnosi.

*Obs.* Nomen Fallenianum jam 1823 impositum, ut antiquius & characteristicum reduxi.

---

## 133. DIALYTA Meig.

*Corpus* mediæ magnitudinis, subcylindricum, undique setosum. Antennæ incumbentes, longitudine epistomatis, modice latæ, l. potius angustatæ, compressæ, articulo ultimo 2:do quadruplo longiore, apice intus rotundato, basi seta dorsali elongata, biarticulata, subnuda l. tantum microscopice puberula, basi incrassata. Oculi oblongi, mediocres, nudi, in utroque sexu distantes. Frons exserta, lata, vitta lata, utrinque serie setarum validarum ad antennarum basin continuata. Epistoma longum, declivum, infra oculos parum descendens, ore non reflexo; nudum. Vibrissæ nullæ. Seta mystacina utrinque unica valida. Sub ore setæ plures tenues. Palpi cylindrici. Thorax sutura transversa. Abdominis 4-annulati segmenta æque longa, basalia subinermia, apicalia setosa. Alæ subdivaricatæ inermes h. e. nervis omnino nu-

dis, sed costa basi ciliata & spinula costæ distincta. Nervi ut in *Drymeia* directi, sed transversus ordinarius exacte rectus. Squamæ minores, valvulis inæqualibus. Halteres nudi. Pedes ut in genere priori. *Color* nigricans, nitidus. *Motu* agilis. *Habitatio* in pratis uliginosis. *Differentia sexus: mas:* oculis sat late distantibus, abdomine subcylindrico, ano obtuso, alis costa a basi ad spinulam breviter serrata; *femina:* oculis adhuc latius distantibus, abdomine ovato-oblongo, apice subacuto, alis costa a basi ad spinulam longe serrata.

1. *D. erinacea:* nigricans, subnitida, capite argenteo-micante; antennis, palpis pedibusque nigris; alis albido-cinereis, nervo transverso ordinario infuscato, squamis albis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas & femina* ut in descriptione generis differunt.

Meig. Dipt. 5. 208. 1. ♂♀. T. 44. f. 23. ♂. 24 & 25 ♀. — *Musca* Fall. Muscid. 65. 64. ♀. (erit ♂). *Anthomyza angulicornis* Zett. Ins. Lapp. 681. 89. ♂.

Hab. in paludosis Scandinaviæ meridionalis & mediæ, tempore verno, rarius; scilicet in Scania ad villam Abusa prope Lund die 30 Maj. 1816 in palude plura specimina detegit D. Prof. *B. F. Fries*; deinde ibi frustra pervestigata; in Smolandia, ♀ a D. *Boheman*, & ad Skärsjö a D. *Ljungh* capta; in alpib. Dalecarlicis etiam D. *Boheman*; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger*; in Lapponia Umensi ad Åsele die 27 Jul. 1832, ipse. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Statura *Tachinæ.* Caput argenteum, vitta frontali nigra. Thorax niger, leviter cinereo-pollinosus, lineis 2 nigris obsoletis. Scutellum concolor. Abdomen in ♂ nigricans, in ♀ nigrum. Alæ albido-cinereæ, in ♀ præsertim latæ; basi

flavidæ. Squamæ albæ. Halteres nigri. Pedes nigri, spinulosi. Tibiæ apice 5-calcaratæ. Tarsi inermes. Ungues pulvillique ut in *Drymeia*, at ungues omnes curvati.

---

## 134. ARICIA Macq.

*Corpus* majoris, plerumque mediæ, raro minoris magnitudinis; ovatum, setosum. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, modice latæ l. subangustatæ, compressæ, articulo ultimo 2:do duplo aut triplo longiore, basi seta dorsali biarticulata, longe plumata, aut pubescente, aut nuda. Oculi hirti, aut nudi; unicolores; in ♂ plerumque approximati. Frons plus minus prominula; series setarum ad antennarum basin continuata. Epistoma subperpendiculare, infra oculos nonnihil descendens, ore leviter reflexo; nudum. Vibrissæ nullæ aut spuriæ. Setæ mystacinæ plures, validæ. Genæ, & os subtus, pilosa. Palpi cylindrici, pilosi. Thorax sutura transversa. Abdomen 4-annulatum, ovatum, segmentis: 1:mo breviusculo, inermi, 2:do & 3:tio margine apicali subsetulosis, 4:to toto parce setoso. Alæ subdivaricatæ, abdomine paullo longiores, inermes, nervis ut in *Drymeia* directis. Nervus transversus ordinarius aut flexus, aut rectus. Spinula costæ aut abest, aut adest. Squamæ mediocres, valvula inferiore superiore plerumque duplo majore, utraque breviter ciliata. Halteres nudi. Pedes pilosi & spinulosi, raro dentati; tarsis semper inermibus. *Color* obscurus, nigricans. Antennæ, palpi & pedes (in *A. manicata* (190) & *Staegeri* (207) tibiæ anticæ testaceæ) semper tota nigra. *Motu* subagilis: volatus minus rapidus quam in *Tachinariis* & *Muscariis*. *Habitatio* in floribus, foliis fruticum &c.; stercorata certæ species non respuentes. *Differentia sexus: mas:* oculis plus minus cohærentibus; unguibus pulvillisque majusculis; *femina:* oculis late remotis; unguibus pulvillisque minoribus. Typus generis *A. lardaria* n:o 1.

Index specierum cum subdivisionibus:

*Divis. Prima.* Seta antennarum plumata (in *A. dispare* n:o 9, *consobrina* 14, *nigrinervi* 21, *nigritella* 22, *notata* 25, *carbonella* 26 & *festiva* 34, seta tantum breviter plumata).

*Phalanx* 1:*ma.* Oculi hirti (in ♀♀ interdum subnudi, ut ex. gr. in *A. Lucorum* 4, *dispare* 9, *variabili* 16, *longipede* 17, *atra* 18 & *umbratica* 19).

A. Squamæ sub alis albæ. Nervus transversus ordinarius inflexus.

1 *lardaria* Fabr. ♂♀. 2 *albolineata* Fall. ♂♀.

B. Squamæ sub alis aut totæ, aut saltem margine, flavescentes (in *A. dispare* 9, *lugubri* 13, *consobrina* 14, & *alpiola* 15, squamæ fere totæ albidæ).

a.) Nervus transversus ordinarius inflexus.

3 *incana* Wied. (*nemorum* Fall.) ♂♀. 4 *Lucorum* Fall. ♂♀ 5 *plumbea* Meig.? ♂♀. 6 *annosa* Zett. ♀. 7 *nivalis* Zett. ♂ (♀). 8 *obscurata* Meig. (*A. Sahlbergi* Zett.) ♂♀. 9 *dispar* Fall. (*Spilogaster eadem* Macq.) ♂♀.

b.) Nervus transversus ordinarius rectus, l. subrectus.

10 *serva* Meig. ♂♀. 11 *veterana* Zett. (*basalis* ejusdem var. ♂.) ♂♀. 12 *Morio* Zett. ♂♀. 13 *lugubris* Meig.? ♂. 14 *consobrina* Zett. ♂. 15 *alpicola* Zett. ♂♀. 16 *variabilis* Fall. (*Hydrophoria eadem* Macq.) ♂♀. 17 *longipes* Zett. ♂♀. 18 *atra* Fall. ♂♀. 19 *umbratica* Meig. ♂♀.

*Phalanx* 2:*da.* Oculi nudi (in ♂ *A. nigritella* 22, oculi omnium tenuissime puberuli. Feminæ *A. disparis*

9, *variabilis* 16, *longipedis* 17, *atræ* 18, & *umbraticæ* 19, oculis nudis aut subnudis, in Phalange 1:ma quærendæ).

*Sect. Prima.* Oculi in ♂ cohærentes aut saltem appropinquantes.

A. Squamæ sub alis mediocres: valvula superiore inferiorem non tegente.

*). Alarum nervus transvers. ordinarius rectus (in *A. duplari* 24 leviter flexus).

20 *vespertina* Fall. ♂♀. 21 *nigrinervis* Zett. ♂♀. 22 *nigritella* Zett. ♂♀. 23 *duplicata* Meig. (*Spilogaster ead.* Macq.) ♂♀. 24 *duplaris* Zett. ♂♀. 25 *notata* Fall. (*Spilogaster ead.* Macq.) ♂♀. 26 *carbonella* Zett. ♂.

**). Alarum nervus transv. ordinarius inflexus (*A. duplaris* nervo eodem tantum leviter flexo supra sub n:o 24 invenienda).

27 *ambigua* Fall. (*Anth. divisa* Meig. *Anth. lineatocollis* Zett. Ins. Lapp.) ♂. 28 *sordidiventris* Zett. ♂♀.

B. Squamæ sub alis parvæ: valvula superiore inferiorem tegente. Antennarum seta longe plumata (in *A. festiva* 34 breviter plumata). *Hylemyia* Macq. Meig.

†. Nervus transvers. ordinarius rectus (in *A. variata* 29, leviter flexus). Tibiæ posticæ spinosæ.

29 *variata* Fall. ♂♀. 30 *lasciva* Zett. ♂♀. 31 *flavipennis* Fall. (*Anth. crassirostris* Meig.) ♂♀. 32 *grisea* Fall. ♂♀.

††. Nervus transv. ordinarius inflexus. Tibiæ præsertim posticæ fortiter spinosæ.

33 *hilaris* Fall. ♂♀. 34 *festiva* Zett. ♀.

*Sect. Secunda.* Oculi in utroque sexu distantes. *Coenosia* Meig.

35 *obtusipennis* Fall. ♂♀.

*Divis. Secunda.* Seta antennarum pubescens (in *A. armipede* 44, *glabricula* 45, *leucostomate* 46, *compuncta* 68, *didyma* 72, *contractifronte* 74, *trianguligera* 77, *triangulifera* 78, *trigonata* 79, *boreali* 88, & *triangula* 92, seta nuda. — In *A. verticina* 63, *frontata* 64, 4-*maculata* 87, & *semicinerea* 111, seta subplumata. — *Aricia parvula* seta pubescente in Divis. Tertia sub n:o 219 inter suas affines quærenda).

*Tribus* 1:*ma*. Oculi in utroque sexu nudi (in ♂ *Ar. irritantis* 40 var. b., & ♀ *æneiventris* 51 var. b., oculi tenuissime hirtuli).

A. Femora antica subtus in ♂ uni- l. bi-dentata. *Hydrotæa* Macq. Meig.

a.) Nervus longitudinalis 4:tus versus apicem levissime curvatus. Frons supra antennas puncto niveo.

36 *dentipes* Fabr. ♂♀. 37 *palæstrica* Meig. ♂. 38 *bispinosa* Zett. ♂ (♀).

b.) Nervus longitudinalis 4:tus rectus. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

*). *Mas:* femoribus anticis subtus bidentatis.

39 *meteorica* Linn. ♂♀. 40 *irritans* Fall. ♂♀.

**). *Mas:* femoribus anticis subtus unidentatis; oculis arcte cohærentibus.

41 *velutina* Rob. Desv. ♂. 42 *curvipes* Fall. ♂. 43 *scam-*

*bus* Zett. ♂ (♀). 44 *armipes* Fall. ♂♀. 45 *glabricula* Fall. ♂♀.

B. Femora antica in utroque sexu mutica. *Anthomyia* Meig.

*Subdiv.* 1:*ma:* abdomine aut nigro aut cinereo; subimmaculato aut linea tantum dorsali plus minus dilatata l. sinuata, instructo, sed nullis maculis discretis ornato.

†. Nervus transversus ordinarius rectus aut subrectus.

46 *leucostoma* Wied. (*Ophyra ead.* Macq.) ♂♀. 47 *piligera* Zett. ♂. 48 *fuscinervis* Zett. (etiam *A. lanceolata* Zett. Ins. Lapp.) ♀. 49 *obscuripennis* Zett. ♂. 50 *inuncta* Zett. ♀. 51 *æneiventris* Zett. ♀ (♂). 52 *nigriventris* Bohem. ♀. 53 *argyrata* Zett. (*argyrocephala* Zett. Ins. Lapp. non Meig.) ♂. 54 *maculifrons* Zett. ♂. 55 *lividiventris* Zett. ♂. 56 *squalens* Zett. ♀. 57 *cinerea* Fall. (*Musca flavicans* Panz. ♀. *M. floralis* Fall. ♀. var.) ♂♀. 58 *brunneilinea* Zett. ♂. 59 *ignobilis* Zett. ♂ (♀). 60 *pullula* Zett. (*Anth. longula* Meig. Dipt. 5., non Fall. — *Hylemyia eadem* Meig. Dipt. 7. & Macq.) ♂♀. 61 *cinerosa* Zett. (*Anth. cinerella* Meig.? non Fall. — *Hylemyia cinerella* Meig.?) ♂♀. 62 *sulciventris* Zett. ♂.

††. Nervus transvers. ordinarius inflexus.

63 *verticina* Zett. ♀. 64 *frontata* Zett. ♂♀. 65 *decrepita* Zett. ♂. 66 *brunnescens* Zett. (*Musc. floralis* β. Fall.) ♂. 67 *villipes* Zett. ♂.

*Subdiv.* 2:*da:* abdomine cinereo, maculis determinatis, discretis, plerumque trigonis, nigris.*) *Limnophora* Macq.

*) Propter picturam abdominis nigro-maculatam l. nigro-punctatam per totam Subdivisionem subsimilem, quæ nota

*Turma 1:ma.* Alarum nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem alæ leviter divergentes; hinc area media apice paullulum latior quam medio.

*α.* Nervus transversus ordinarius sat procul ante medium areæ insertus.

* Alarum costa subnuda seu inermi & spinula minuta l. nulla.

†. Antennæ breviusculæ h. e. epistomate multo breviores, articulo ultimo 2:do circiter duplo tantum longiore.

68 *compuncta* Wied.? (non Fall.) ♂♀. 69 *trigonifera* Zett. ♂. 70 *Sororcula* Zett. (*sororia* olim) ♂♀. 71 *depressula* Zett. ♂. 72 *didyma* Zett. (non Meig.) ♂♀. 73 *brunneisquama* Zett. ♂♀. 74 *contractifrons* Zett. (*Anth. arctica* Ins. Lapp. var.). ♂♀. 75 *fumipennis* Zett. ♂. 76 *vana* Zett. ♂♀. 77 *trianguligera* Zett. ♂♀. 78 *trianguli-fera* Zett. ♂♀. 79 *trigonata* Zett. ♂. 80 7-*notata* Zett. ♂♀. 81 *vitticollis* Zett. ♀. 82 *dorsata* Zett. ♀.

††. Antennæ longiusculæ h. e. epistomate paullo tantum breviores, articulo ultimo 2:do fere triplo longiore.

83 *litorea* Fall. (*Coenosia ead.* Meig.?) ♂♀. 84 5-*linea-*

---

affinitatem quandam majorem prodere videtur & viam faciliorem species sub hac subdivisione militantes etiam examinandi sine dubio præbet, illas quoque, quæ antennarum seta nudiuscula l. nuda & abdomine 4- l. 6-maculato gaudent, ut ex. gr. *Ar. compunctam* 68, *didymam* 72, *contractifrontem* 74, *trianguligeram* 77, *trianguliferam* 78, *trigonatan* 79, *borealem* 88, & *triangulam* 92, ad hanc Subdivisionem retuli. Maculæ vero obscuræ in abdominis fundo nigro, nitido *Ar.* 5-*lineatææ* 84, haud sunt conspiciendæ.

*ta* Zett. ♀. 85 *maculipennis* Zett. ♂♀. 86 *surda* Zett. (vix *Anth. triangula* Meig.) ♂.

** Alarum costa subciliata & spinula distincta (*Ar. maculipennis:* costa subciliata & spinula parva, sub n:o 85 quærenda). Antennæ longiusculæ.

87 4-*maculata* Fall. (*Hylemyia* Meig. *Musc. cornuta* Fabr.) ♂♀. 88 *borealis* Zett. ♂. 89 *solitaria* Zett. ♂.

*β.* Nervus transversus ordinarius fere in medio l. mox ante medium areæ insertus. Costa subnuda; spinula minuta.

90 *maculigera* Zett. ♀. 91 *abbreviata* Zett. ♂♀.

*Turma 2:da.* Alarum nervi longitudinales 3 & 4 paralleli; hinc area media apice & medio æque lata. Oculi in utroque sexu remoti.

92 *triangula* Fall. ♂♀. 92 b. in *Not.: scrupulosa* Zett. (vix *Anthom. pacifica* Meig.??) ♀.

*Tribus 2:da.* Oculi saltem in ♂ hirti (in ♀ plerumque nudi). *Lasiops* Meig. (*Ar. irritantis* var. b. ♂, & *Ar. æneiventris* var. b. ♀, oculis tenuissime hirtis, sub n:ris 40 & 51 inveniendæ).

A. abdomine in utroque sexu nigro aut cinereo.

a.) pedibus in ♂ dentatis aut aculeatis. Oculi (♂) cohærentes. *Hydrotæa* Mcq.

93 *spinipes* Fall. (*Musca ciliata* Fabr.) ♂♀. 94 *cyrtoneurina* Zett. ♂. 95 *occulta* Meig. ♂♀. 96 *aculeipes* Zett. ♂♀.

b.) pedibus in utroque sexu inermibus.

*). Alarum nervus transversus ordinarius inflexus. Frons prominens.

97 *subfuscinervis* Zett. (*Anth. vicina* Z. Ins. Lapp. ♀) ♂♀. 98 *turpis* Zett. (*Anth. inconspicua* Ins. Lapp. ♂) ♂♀. 99 *fulvisquama* Zett. ♂♀. 100 *luteisquama* Zett. ♂.

**). Alarum nervus transversus ordinarius rectus l. subrectus. Frons haud prominens. Oculi maris cohærentes.

†. Abdomen in mare subconicum.

101 *hirtula* Zett. ♂. 102 *innocua* Zett. ♂♀. 103 *hirsutula* Zett. ♂♀. 104 *separ* Zett. ♂♀. 105 *subrostrata* Zett. ♂♀.

††. Abdomen in mare ovatum, subdepressum.

106 *leucogaster* Zett. ♂. 107 *depressiuscula* Zett. ♂♀. 108 *tristiola* Zett. ♂♀. 109 *pubipes* Zett. ♂. 110 *cinereiventris* Zett. ♂.

B. abdomine in utroque sexu flavo.

111 *semicinerea* Wied. (*Hydrophoria* Macq. *Hylemyia* Meig. *Musca hyalinata* Fall.) ♂♀.

*Divis. Tertia.* Seta antennarum nudiuscula aut nuda (in *Ar. buccata* 116, *latipenni* 118, *canescente* 119, *unistriata* 122, *trapezina* 124, *Histrione* 127, *unilineata* 128, *odontogastere* 129, *albescente* 130, *silvestri* 137, *articulata* 140, *florali* 147, *angustiventri* 154, *ciliato-costa* 155, *striolata* 157, *candente* 158, *fuscicipite* 165, *obscura* 166, *longula* 179, *antiqua* 180, *parvula* 219, *humerella* 228, *remotella* 235 & *albidella* 236, seta breviter puberula).

*Phalanx 1:ma.* Corpus saltem maris subcylindricum (*Ar. silvestris* 137, *sepia* 148, *parvula* 219, &c., abdo-

mine maris subcylindrico, in Phalange 2:da quærendæ). Caput interdum subinflatum. Frons porrecta. Oculi nudi. Species mediocriter magnæ. Plures parasitæ (cfr. ex. gr. *A. albescens* n:o 130).

A. Alarum nervus transversus ordinarius rectus.

*) Oculi in utroque sexu distantes. *Coenosia* Meig.

112 *denticauda* Zett. ♂♀. 113 *myopina* Fall. (*Myopina reflexa* Macq.) ♂♀. 114 *scoparia* Wahlb. ♂ (♀). 115 *moriens* Zett. ♂♀.

**). Oculi in mare approximati aut cohærentes. Squamæ sub alis parvæ, valvulis subæqualibus h. e. superiore inferiorem tegente (in *Ar. transversali* 149 valvula superiore inferiorem vix tegente).

a. Alæ immaculatæ.

†. nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis.

116 *buccata* Fall. (*Anthomyia* Meig. *Limnophora* Macq.) ♂♀. 117 *laminata* Zett. ♂. 118 *latipennis* Zett. ♂♀. 119 *canescens* Zett. (*pallipennis* Ins. Lapp. ♀ var.) ♀. 120 *scatophagina* Zett. ♂♀. 121 *arenosa* Zett. ♂♀. 122 *unistriata* Zett. ♂. 123 *hilarella* Zett. ♀.

††. nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem levissime divergentibus.

124 *trapezina* Zett. ♂♀. 125 *lepturoides* Zett. ♂.

b. Alæ nervis transversis fuscedine cinctis.

126 *marginalis* Fall. ♂♀.

B. Alarum nervus transversus ordinarius inflexus. Costa inermis.

*α*). Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes.

127 *Histrio* Zett. ♂♀. 128 *unilineata* Zett. ♂♀. 129 *odontogaster* Zett. ♂♀.

*β*.) Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

130 *albescens* Zett. (*Musca buccata* Fall. ♀. *Anthom. albula* Meig., non Fall. *Hylemyia albula* Meig.) ♂♀.

*Phalanx* 2:*da*. Corpus ovatum aut oblongum (in *Ar. silvestri* 137, *sepia* 148, *sepiella* 153, *longula* 179, *conifronte* 184, *barbiventri* 201, *parvula* 219, *agromyzina* 223, *Trollii* 224, *albitarsi* 225, *cinerella* 227, *curvicauda* 231 & *remotella* 235, abdomen maris angustatum subcylindricum; in *Ar. brevicorni* 146, *florali* 147, *transversali* 149, *pictiventri* 150, *flavicipite* 151, *leariventri* 152, *angustiventri* 154, *striolata* 157, *candente* 158, *dissecta* 159, *platura* 160, *intersecta* 161, *muscaria* 162, *obscura* 166, *trapezoides* 167, *florilega* 169, *antiqua* 180, 8-*guttata* 185, *infirma* 198, *lepida* 209, *stigmatella* 213, *humerella* 228, *morionella* 229, *frontella* 230, *parva* 233, *atomaria* 212, abdomen maris lineare, subdepressum *).

A. Oculi saltem maris hirti (in ♀ *decoloris* 136, nudi; *Ar. cristata* illæsa individua mascula oculis tenuissime puberulis instructa sub n:o 193 quærenda). Seta antennarum elongata, nuda, basi incrassata. Alarum nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli aut versus apicem levissime divergentes. Costa nuda & spinula nulla. Squamæ mediocres, valvula superio-

*) propter affinitatem cum ceteris has species in hanc Phalangem amandavi.

re inferiorem (saltem in ♀) non tegente. Pedes simplices. *Lasiops* Meig.

131 *glacialis* Zett. (*hirticeps* Ins. Lapp.) ♂♀. 132 *innocens* Zett. ♂. 133 *semipellucida* Zett. ♂. 134 *depressiventris* Zett. ♂. 135 *hirticeps* Fall. ♀. 136 *decolor* Fall. ♀.

B. Oculi in utroque sexu nudi (*Ar. decolor* ♀, oculis nudis, in subdivisione A. sub n:o 136 invenienda. In mare Ar. cristatæ 193, oculi tenuissime puberuli).

*Tribus* 1. Majores, aut mediæ, aut minores.

*Manipulus 1:mus.* Squamæ sub alis parvæ: valvula superiore inferiorem tegente (*Ar. Radicum* 196, *riparia* 197, *infirma* 198, *glaucescens* 199, *lacteipennis* 200, *foveolata* 201, *perpendicularis* 202, *veterrima* 203, & aliquot antecedentium, valvula superiore inferiorem vix aut non tegente in Manipulo 2:do quærendæ).

*) Nervus transvers. ordinarius rectus aut subrectus (in *A. silvestri* 137, & *florali* 147, interdum leviter subflexus).

*α.* Nervi longitudinal. 3 & 4 versus apicem leviter aut levissime divergentes (in *A. atricauda* 139, *articulata* 140, *cuneicorni* 143, *brevicorni* 146, *florali* 147, *sepia* 148, *pictiventri* 150, & *lineariventri* 152, subparalleli).

137 *silvestris* Fall. ♂♀. 138 *Billbergi* Zett. (*æthiops* ♂ Ins. Lapp.) ♂♀. 139 *atricauda* Zett. ♂. 140 *articulata* Zett. ♀. 141 *anilis* Zett. ♀. 142 *moerens* Zett. ♂♀. 143 *cuneicornis* Zett. ♀. 144 *murina* Zett. ♂. 145 *senilis* Zett. ♀. 146 *brevicornis* Zett. ♂♀. 147 *floralis* Fall. ♂♀. 148 *sepia* Meig. (*Chortophila ead.* Macq.) ♂♀. 149

*transversalis* Zett. ♂. 150 *pictiventris* Zett. ♂. 151 *flaviceps* Zett. ♂. 152 *lineariventris* Zett. ♂ (♀). 153 *sepiella* Zett. ♂. 154 *angustiventris* Zett. ♂. 155 *ciliatocosta* Zett ♀.

*β*. Nervi longitudinal. 3 & 4 paralleli (huc quoque referuntur *Ar. atricauda* & reliquæ ut exceptiones in subdivisione *α*. allatæ species).

†.) Squamæ sub alis in mare nigricantes.

156 *spathulata* Zett. ♂♀.

††.) Squamæ sub alis in utroque sexu albæ, raro flavidæ.

*Decas 1:ma.* Alarum costa nuda aut nudiuscula (interdum ima basi ciliata).

157 *striolata* Fall. ♂♀. 158 *candens* Zett. ♂♀. 159 *dissecta* Meig. (*Chortophila* Macq.) ♂♀. 160 *platura* Meig. ♂♀. 161 *intersecta* Meig. ♂. 162 *muscaria* Fabr. ♂♀. 163 *vetula* Zett. ♀. 164 *Naso* Zett. ♂. 165 *fusciceps* Zett. ♂. 166 *obscura* Macq. ♂. 167 *trapezoides* Zett. ♂. 168 *lucidiventris* Zett. ♀. 169 *florilega* Zett. ♂. 170 *strigilata* Zett. ♀. 171 *rotundiventris* Zett. ♂. 172 *albinervis* Zett. ♀. 173 *pluvialis* Linn. ♂♀. 174 *praticola* Panz. ♂♀. 175 *stygia* Meig. (*Ophyra* ead. Macq.) ♀. 176 *subpellucens* Zett. ♂♀. 177 *armata* Meig. ♂♀. 178 *sociella* Staeg. ♂♀.

*Decas 2:da.* Alarum costa plus minus ciliata; spinula sæpius distincta.

†. Nervi transversi fuscedine cincti.

179 *longula* Fall. (non Meig.) ♂♀.

††. Nervi transversi fuscedine non cincti.

180 *antiqua* Meig. ♂♀. 181 *arrogans* Zett. ♀. 182 *melanogaster* Zett. ♀. 183 *seminitida* Zett. ♀.

**). Nervus transvers. ordinarius plus minus distincte inflexus.

184 *conifrons* Zett. ♂♀. 185 8-*guttata* Zett. ♂. 186 *obtusa* Zett. ♂.

*Manipulus* 2:*dus*. Squamæ sub alis mediocres l. parvæ: valvula superiore inferiorem haud tegente (in *A. barbiventri* 204 valvula superiore inferiorem fere totam tegente).

* Nervi: transversi fuscedine cincti; longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; costa subciliata. Magna.

187 *longicornis* Zett. ♂♀.

** Nervi transversi fuscedine non cincti. Minores aut parvæ.

a.) Abdomen basi flavo-subpellucidum. (*Musca mutata* Fall. abdomine rufo, pedibus nigris, in *Anthomyzæ* genere sub n:o 147 exstat).

188 *canicularis* Linn. ♂♀.

b.) Abdomen totum cinereum aut nigrum.

†. Venter in utroque sexu nudus aut nudiusculus.

*α*. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

*Pugillus* 1. Nervus transvers. ordinarius leviter inflexus. Frons & os non prominentia. Antennæ longiusculæ. Alarum costa nuda aut subnuda. (*Ar. armata* 177 speciebus huic Pugillo subjectis valde affinis). Oblongæ.

189 *scalaris* Fabr. ♂♀. 190 *manicata* Meig. (*Anth. armillata* Zett. Ins. Lapp. ♀) ♂♀. 191 *incisurata* Zett. (*A. impura* Ins. Lapp. ♀) ♂♀. 192 *lugens* Zett. ♂. 193 *cristata* Zett. ♂. 194 *mutica* Zett. ♂♀. 195 *albipuncta* Zett. ♂♀.

*Pugillus* 2. Nervus transversus ordinarius rectus. Pedes in utroque sexu simplices. Squamæ sub alis mediocres, valvulis inæqualibus.

196 *Radicum* Linn. (*Anth. Brassicæ* Wied.) ♂♀. 197 *riparia* Fall. ♂♀. 198 *infirma* Meig.? ♂. 199 *glaucescens* Zett. ♀. (♂?). 200 *lacteipennis* Zett. ♀.

β. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes.

201 *foveolata* Zett. ♂. 202 *perpendicularis* Zett. ♂♀. 203 *veterrima* Zett. ♀.

††. Venter in mare fasciculatim longe pilosus

204 *barbiventris* Bohem. ♂. (*A. lucidiventris* 168 an hujus femina?).

*Tribus* 2. Minutæ, aut minutissimæ.

*Subdiv.* 1:*ma.* Frons non prominens. Antennæ mediocres (in *A. agromyzina* 223, longissimæ, in *Macquarti* 206, & *Staegeri* 207, longiusculæ).

a. Oculi in mare cohærentes, in femina distantes.

*). Squamæ sub alis halteresque in utroque sexu albida (in *triquetra* 205, *Macquarti* 206, & *Staegeri* 207, squamæ brunnescentes).

*Manipulus* 1:*mus.* Alarum costa nuda.

*Pugillus* 1. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

α. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem tegente, l. subtegente.

205 *triquetra* Wied. ♂♀. 206 *Macquarti* Staeg. (*Atomogaster triquetra* Macq.) ♂♀. 207 *Staegeri* Zett. (*Atomogaster tibialis* Staeg. sed non Macqv. & Meig. eadem. — Sub *Musca triquetra* Fall. & Meig. latet) ♂. 208 *serena* Fall. ♂♀. 209 *lepida* Fall. (vix Meig.) ♂♀. 210 *lugubrina* Zett. ♂♀. 211 *inermella* Zett. ♀. 212 *latifrons* Wahlb. ♀. 213 *stigmatella* Zett. ♂. 214 *Macula* Zett. ♀. 215 *parvicornis* Zett. ♀.

β. Squamæ mediocres l. parvæ: valvula superiore inferiorem non tegente.

216 *albicincta* Fall. ♂♀.

*Pugillus* 2. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes.

217 *aërea* Fall. (non Meig.) ♂♀. 218 *globuliventris* Zett. (an *Coenos. nigra* Meig.?) ♀.

*Manipulus* 2:*dus.* Alarum costa breviter ciliata.

219 *parvula* Fall. ♂♀.

**). Squamæ sub alis halteresque in mare saltem nigricantia, illæ sæpissime, hi interdum in femina, albida.

220 *ærea* Meig. (*Musca aërea* variet. Fall.) ♂♀. 221 *aterrima* Meig. (*Chortophila* Macq.) ♂♀. 222 *melanaria* Zett. ♀.

b. Oculi in utroque sexu remoti. *Coenosia* Auctorum. (*A. remotella*, oculis in ♂ remotis, sub n:o 235 invenienda. — An *A. globuli-*

*ventris* 218, cujus ♂ mihi latet, huc quoque referenda ?).

223 *agromyzina* Fall. ♂♀. 224 *Trollii* Zett. (*Musca serena β.* ♀. Fall.) ♂♀. 225 *albitarsis* Zett. ♂♀.

*Subdiv. 2:da.* Frons plus minus prominens. Squamæ sub alis valvulis subæqualibus (in *A. mucronatella* 232 & *longisquama* 239, valvula superiore minore inferiorem non tegente).

a. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

* Costa alarum nuda.

226 *albula* Fall. (non Meig.) ♂♀. 227 *cinerella* Fall. (vix Meig.) ♂♀. 228 *humerella* Zett. (*Musc. cinerella β.* Fall.) ♂♀. 229 *morionella* Zett. ♂. 230 *frontella* Zett. ♂♀. 231 *cordifrons* Zett. ♀. 232 *mucronatella* Zett. ♀. 233 *parva* Macq. ♂♀.

** Costa alarum ciliata.

234 *curvicauda* Wahlb. ♂♀. 235 *remotella* Zett. ♂♀. 236 *albidella* Zett. ♂♀. 237 *confidella* Zett. ♀. 238 *disit inervis* Zett. ♀. 239 *longisquama* Zett. ♀.

b. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem subdivergentes. Costa subnuda. Squamæ albæ.

240 *pilifera* Zett. ♂. 241 *alpica* Zett. ♂♀. 242 *atomaria* Zett. ♂♀.

## *Aricia.*

*Divis. Prima.* Seta antennarum plumata.

*Phalanx 1:ma.* Oculi hirti.

A. Squamæ sub alis albæ. Nervus transversus ordinarius flexus.

1. *A. lardaria:* ovata, nigro-cæsia; capite flavido-albicante nitido; thoracis vittis abdominisque tessellis glauco-albis; alis aqueis, nervo transverso ordinario distincte flexo, paullo pone medium areæ inserto; spinula costæ nulla. ♂♀. (Long. 3 fere 4½ lin.).

*Mas:* oculis arcte cohærentibus, linea media gemina albida tantum angustissima remotis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta lata brunneo-nigra opaca, utrinque albescenti-marginata.

Macq. Buff. 2. 286. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 313. 1. *Musca* Fabr. Antl. 285. 6. Fall. Muscid. 54. 37. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 83. 1. ♂♀. *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 661. 1. ♂♀.

Hab. in floribus, fruticibus & præcipue stercoratis fungisque putridis, per totam Scandinaviam ubique vulgatissima, versus autumnum præsertim abundans, in sylvis sæpe copiosissima; in provinciis tamen septentrionalibus magis rarescit, & intra Lapponiæ fines vix nisi rarissime obvia. Supra radicem alpium Mullfjellen Jemtlandiæ borealis Sueciæ, & Næs Værdaliæ Norvegicæ, a me non visa. (Ad Zirkow Rugiæ, Elisenheyne prope Gryphiam, & ad Hamburgum, a D. *Dahlbom* frequenter lecta; e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* quoque missa).

♂♀. In hoc genere inter nostrates maxima. Ovata, lata. Caput orichalceo-albidum, nitidum. Frons parum prominens. Oculi distincte hirti. Antennæ angustatæ, nigræ *), articu-

*) Quoniam antennæ, palpi & pedes tota in hoc genere semper nigra sunt, talem horum partium colorem ubique intellectum afferre omisi etiam in speciebus ubi caput & corpus alium quam nigrum habent colorem. Tantum in

lo ultimo 2:do fere triplo longiore, seta distincte & longe plumata. Punctum supra antennas griseum. Vibrissæ brevissimæ ad medium epistomatis adscendentes. Genæ nigræ, leviter albo-pollinosæ. Thorax setosus, glauco-albus, lineis 4 nigris. Cicatrix in fovea subhumerali grisea. Scutellum setosum, glaucum, vittis 3 nigricantibus. Abdomen glauco-album, linea dorsali & maculis irregularibus cæsio-nigris. Alæ pure hyalinæ, immaculatæ inermes. Nervus longitudinalis 3:tius mox ante summum apicem excurrens. Area apice saltem quadruplo latior basi. Nervus transv. medius medio inter apicem nervorum longitudinalis 1:mi & auxiliaris oppositus. Squamæ albæ. Halteres nigri, petiolo flavido. Pedes nigri.

*Obs.* Varietatem nonnihil minorem, squamis sub alis fuscanis, ad radicem Mullfjellen Jemtlandiæ semel inveni, de cetero varietati a. ut ovum ovo simillimam, & vix specie distinctam.

2. *A. albo-lineata:* ovata, atra, nitida; capite argenteo-micante; thoracis vittis abdominisque tessellis albis; alis aqueis, nervo transverso ordinario modice flexo, paullo ante medium areæ inserto; spinula costæ nulla. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* oculis arcte cohærentibus, linea media gemina nigra tantum angustissima remotis;

*Fem.:* oculis late remotis, vitta media lata nigra*; in copula.

Macq. Buff. 2. 286. 2. ♂♀. Meig. Dipt 7. 313. 2. *Musca* Fall. Muscid. 54. 38. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 83. 2. ♂♀. *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 662. 2. ♂♀.

---

junioribus exemplis *A. laminatæ* 117, & canescentis 119, pedes subrufescentes, & in *A. myopina* n:o 113, palpi flavi & antennæ basi ferrugineæ, sunt.

Hab. in foliis fruticum, floribus, stercoratis &c., a primo vere usque ad autumnum, per totam Scandinaviam ubique (alpibus Lapponicis tantum exceptis), longe frequentissima, in copula sæpe deprehensa. — In regione sylvatica Lapponiæ, usque ad radices alpium adscendens, minime deest. (E S:t Sever Galliæ a Cel. *Leon Dufour* absque nomine missa).

♂♀. Priore multo minor. Caput ut in præcedente, sed argenteo-micans, nec flavidum, fronte adhuc minus prominente & epistomate minus descendente. Thorax antice præsertim albidus, lineis 4 nigris. Scutellum nigricans. Abdomen breviter ovatum seu rotundatum, ut in priore pictum & setosum. Alæ ut in præcedente, sed nervus transvers. ordinarius paullo minus flexus & nonnihil ante, nec post, medium areæ mediæ insertus. Squamæ albæ. Halteres testacei. — A *Musca Hortorum*, cui habitu & pictura valde similis, magnitudine paullo minore, oculis hirtis, nec nudis, ut & nervo longitudinali 4:to recto longe pone apicem alæ cum nervo costali conjuncto, mox dignoscitur.

B. Squamæ sub alis aut totæ aut saltem margine flavescentes.

a.) Nervus transversus ordinarius flexus.

3. *A. incana:* oblongo-ovata, cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque unica, nigris; alarum basi squamisque flavescentibus; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Macq. Buff. 2. 286. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 313. 3. T. 74. f. 6. ♂. — *Anthomyia* Wiedem. Zool. Mag. 1. 1. 81. 32. Meig. Dipt. 5. 84. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 662. 3. ♂♀. *Musca nemorum* Fall. Muscid. 55. 39. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum per hortos, prata & nemora, 1 Jul.—30 Aug., haud infrequenter, a folio, ubi sedem habuit, cito, strenue & breviter avolans, mox ad idem punctum revertens; occurrit in Scania ubique vulgaris ex. gr. ad Lund, Röstånga, Abusa, Lemmeströ skog (D. *Sjörén*), Tranås, Esperöd &c., copiose visa; in Smolandia & Ostrogothia passim; in Ölandia; in Gottlandia ad Westö, Nähr, Furillen, Östergarn, Garde &c., frequens; in Jemtlandia atque in Botnia boreali ad Torneå, raro; in Norvegia ad Thynæs; in Dania ad Hafniam frequenter, D. *Staeger*. (Circa Hamburgum & Travemundiam in multis speciminibus utriusque sexus a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Majuscula. Caput albido-micans. Antennæ & palpi nigra, seta distincte plumata. Oculi in primis in ♂ distincte hirti; in ♂ subcohærentes l. anguste distantes, per orbitam oculorum utrinque tenuem albam, & lineam mediam angustam (antice paullo latiorem) nigram tantum separati; in ♀ sat laté remoti, per orbitam oculorum latiorem albidam & vittam frontalem latam nigram posterius ante ocellos macula elongato-trigono grisea insignitam, separati. Punctum supra antennas in ♂ præsertim perspicuum. Thorax cinereus, lineis 4 nigris. Scutellum cinereum. Abdomen cinereum (♂), aut griseum (♀), linea dorsali nigra in segmentis 1 & 2 plerumque perspicua, in 3:tio sæpe abrupta & obsoleta. Segmenta: 1:mum subinerme l. ad latera tantum setulosum; 2:dum margine apicali setosum; 3:tium margine apicali & disco setosum; 4:tum fere totum parce setosum. In ♀ vero hæ setæ multo tenuiores & in segmentis 1 & 2 parum conspiciendæ. Alæ cinereæ, basi in primis nervis flavescentes. Nervi transversi: medius apici nervi long. 1:mi insertus; ordinarius paullo ante medium areæ insertus, subobliquus & modice flexus. Nervus long. 3:tius mox ante summum apicem alæ excurrens. Spinula costæ adest, sed in ♂ parva & costæ adpressa. Squamæ pallide flavæ, mediocres,

superior inferiore fere duplo brevior. Halteres flavi. Pedes nigri.

4. *A. Lucorum:* oblongo-ovata, cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque maculis totidem aut perspicuis (♂), aut obsoletis (♀), nigris; alarum nervis transversis infuscatis, squamis flavidis; oculis ♂ arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Macq. Buff. 2. 286. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 313. 4. *Musca* Fall. Muscid. 55. 40. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 85. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 662. 4. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, Salicum, &c., atque in foliis fruticum variarum, per totam Scandinaviam in nemoribus, hortis & pratis, 15 Jun.—8 Sept., vulgaris, in copula capta; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia, Ostrogothia, Ölandia & Gottlandia (ad Thorsborg, Nähr, Gothem, Fårön, Garde &c.), haud raro; in Jemtlandia usque ad Mullfjellen & Skalstugan copiose; in Dalecarlia; in Lapponiis omnibus per regionem sylvaticam & subalpinam passim; in Norvegia a Thynæs & Suul Værdaliæ in jugo alpino, usque ad Bossekop Finmarkiæ, frequens; in Dania, D. *Dahlbom.*

♂♀. Similis priori, a qua differt: abdominis maculis 4 nigricantibus plus minus perspicuis, alis basi minus flavidis, nervis transversis præsertim in ♂ fuscedine cinctis, ut & oculis in ♂ magis cohærentibus. Abdomen: in ♂ cinereum l. glaucescens, maculis 4 trigonis nigris, nempe 2 in singulo segmentorum 2 & 3, cum rudimento macularum 2 etiam in segmento 1:mo; in ♀ griseum, maculis numero & situ ut in ♂, sed forma irregularibus, micantibus, & præterea plerumque valde obsoletis, linea media dorsali fusca distinctiore. Alæ basi parum flavidæ. Nervi transversi fusci. Oculi in ♂ arcte cohærentes, linea tantum gemina seu oculorum or-

bita alba angustissima disjuncti. Reliqua ut in præcedente. — Antennæ in ♀ paullo longiores quam in ♂, & oculi interdum nudiusculi. — Nervus transv. ordinarius intus in medio interdum breviter appendiceo.

*Not.* Secundum observationem Cl. *Dahlbomi*, femina *Crabronis patellati* feminam hujus speciei occidit & ad nidum secum trahit.

5. *A. plumbea:* oblongo-ovata, cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque unica basali, nigris; alis subimmaculatis, squamis flavescentibus; oculis ♂ arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Meig. Dipt. 7. 314. 5? *Anthomyia* Ejusdem 5. 85. 5.? ♂. — Zett. Ins. Lapp. 662. 5. ♂♀.

Hab. in Sueciæ & Norvegiæ floribus Salicis & foliis fruticum, 13 Jun.—17 Aug., minus frequens; scilicet in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia usque ad radicem Mullfjellen, frequens; in Botnia boreali ad Öfver-Torneå, D. *Portin;* in Lapponia Tornensi ad Wittangi & Juckasjervi ad ripam fluminis Tornensis, passim; in Finmarkia ad Bossekop raro. Forte etiam in Suecia meridionali occurrit, licet mihi ibi non obvia.

♂♀. Simillima duabus proxime antecedentibus, sed ab *A. incana* alis basi minus flavescentibus, oculis in ♂ arctius cohærentibus; ab *A. Lucorum* abdomine vitta dorsali unica, nec punctis 4 fuscis, alarum nervis transversis vix fuscedine cinctis; & ab utraque abdomine præsertim in ♂ magis forte plumbeo l. glaucescente, differt. — Os sat distincte reflexum. Abdominis vitta dorsalis lateribus sinuata segmentum 1 & 2 transit, in ♂ perspicua. Alæ subfuscano-cinereæ, basi leviter flavidæ. Spinula costæ parva, costæ adpressa. Reliqua ut in 2 prioribus.

6. *A. annosa:* oblongo-ovata, schistaceo-cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque unica dorsali & maculis 4 irregularibus, nigricantibus; alis subimmacul tis, nervo transverso ordinario distincte inflexo; squamis flavicantibus; fronte in ♀ latissima. ♀. (Long. fere $3\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 663. 7. ♀.

Hab. in Suecia, 12 Maj.—4 Jul., valde rara, tantum tria individua vidi, unum in prato ad Wadstena Ostrogothiæ, alterum ad Johannis Ro prope Torneå Botniæ borealis, a me inventa, & 3:tium ad Kengis Lapponiæ Tornensis a D. Prof. *B. F. Fries* lectum.

♂♀. Similis *A. Lucorum* (4), sed colore lætiore, cano, capite albidiore, fronte (♀) multo latiore, alarum nervis transversis non infuscatis, ordinario distinctius flexo & fere in medio, nec ante medium, areæ inserto, abunde diversa. Caput argenteo-micans, vitta frontali latissima, nigra, leviter cinereo-pollinosa. Antennæ elongatæ, nigræ, seta longe plumata. Oculi rufi, distincte albo-hirti. Os parum reflexum. Palpi exserti & proboscis, nigra. Thorax & scutellum læte cinerea, ille antice lineis 4 nigris. Abdomen cinereum, linea media & maculis 4 (2 & 2 in singulo segmentorum 2 & 3) irregularibus pro situ variantibus, olivaceo-fusco-micantibus. Alæ cinereæ, nervis pallidioribus, transverso medio subinfuscato. Squamæ pallide flavæ. Halteres testacei. Pedes nigri.

7. *A. nivalis:* oblongo-ovata, cinerea, fronte prominente argentea; thoracis lineis 4 obscuris; abdomine griseo, maculis subquadratis brunneo-fuscis; alis basi & nervis transversis infuscatis; squamis margine flavis; oculis ♂ appropinquantibus. ♂. (♀). (Long. circiter $2\frac{3}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 663. 8. ♂. ♀.

Hab. in summo alpium Tornensium jugo rarissime; die 12 Jul. 1821 exemplum unicum masculum, unicumque femineum, in ipsa nive ambulantia inveni.

*Mas:* $2\frac{3}{4}$ lin. long. Affinis & similis *A. Lucorum* (4), sed paullo minor, & differt: fronte paullo magis porrecta, oculis minus arcte cohærentibus, per lineam mediam angustam (supra antennas dilatatam) nigram albo-marginatam separatis, thorace antice obsolete lineato (an in detrito?), abdominis maculis in segmentis 2 & 3 majoribus subquadratis brunneis, vestigio etiam macularum ejusdem coloris & numeri in segmentis 1 & 4, ut & alis basi distincte infuscatis, minime flavescentibus. Antennarum seta non longe plumata. Incisuræ abdominis certo situ albescunt.

*Fem.* an hujus? $2\frac{1}{2}$ lin. long. Tota obscure grisea l. cinerea, thoracis lineis 2 fusco-brunneis, fronte prominente, griseo-nitente, vitta media fusca. Alæ ima basi, squamis halteribusque pallide flavis, nervis transversis infuscatis. Abdomen vix maculatum. — Similis mari descripto, sed corporis colore magis grisescente, thoracis tantum lineis 2 fuscis, abdomine subimmaculato, fronte grisea nitida, oculis modice remotis, vitta frontali fusca, utrinque griseo-marginata, alis ima basi pallide flavis, ut & nervis transversis tantum leviter infuscatis, differt.

8. *A. obscurata:* oblonga, obscure cinerea (♂), aut cinerea (♀) fronte parum prominente argentea; thoracis lineis 4 nigris; abdomine cinerascente, maculis 6 subtrigonis nigro-brunneis; alis hyalinis subimmaculatis; squamis albidis flavo-marginatis; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂ abdomine cinereo, maculis obscuris distinctioribus.

Meig. Dipt. 7. 314. 12. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 89. 12. ♂. Zett. Ins. Lapp. 664. 12. ♂.

Var. b. ♂♀ in copula: abdomine griseo, maculis obscuris obsoletis; thorace ♀ cinereo, lineis 4 nigris; fronte ♀ grisea, vitta didyma nigra.

*Anthomyza Sahlbergi* Zett. Ins. Lapp. 664. 13. ♂.

Hab. in foliis fruticum Sueciæ, 15 Jun.—1 Sept., minus frequens; scilicet var. a. ♂: in Scania ad Lund rarius; in Ostrogothia ad Gusum; in Gottlandia & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; in Jemtlandia ad radicem Mullfjellen; in Botnia boreali ad Haparanda; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Lulensi ad Quickjock ♂♀ (*Wahlberg*), & Tornensi ad Wittangi & Muonioniska, raro; var. b. ♂ tantum in Lapponia Tornensi a D. *Deutsch* semel inventus, & uterque sexus in alp. Dalecarlicis in copula a D. *Boheman*. (Ad Hamburgum & Rixdorf var. a. etiam a D. *Dahlbom* lecta).

♂. Affinis & similis *Cyrtoneuræ meditabundæ* (n:o 11), directione nervorum in alis alia mox dignota. Caput argenteo-micans. Frons haud prominens, vitta media modice angusta nigricante, per orbitam oculorum albam utrinque marginata (in speciminibus Lapponicis frons angustissima & oculi fere cohærentes). Antennæ angustæ, nigræ, seta distincte plumata. Os non reflexum. Palpi nigri. Oculi tenuiter hirti. Thorax obscure cinereus, lineis 4 tenuibus nigris. Scutellum cinereum. Abdomen oblongum, l. subcylindrico-oblongum, cinereum, maculis 6 oblongo-trigonis, nempe 2 in segmento 1:mo minoribus interdum vix ullis, & 2 in singulo segmentorum 2 & 3 majusculis, aut perspicuis in varietate a., aut minoribus punctiformibus obsoletis in varietate b. Alæ cinereo-hyalinæ, vix maculatæ, nervis transversis parum in-

fuscatis, horum ordinario plus minus flexo. Spinula costæ adest. Squamæ albidæ, margine tenuiter pallide flavæ. Halteres flavi. Pedes nigri.

*Obs.* Specimen femineum: cinereum, vitta frontali latiuscula, thoracis lineis 4, harum lateralibus subinterruptis, abdominis maculis 4 irregularibus certo situ tantum conspicuis, lineaque dorsali, nigris; squamis sub alis albidis; antennarum seta non longe plumata; in ceteris mari descripto simile; an ejus femina? Ad Gusum Ostrogothiæ a D. Prof. *Wahlberg* inventa.

9. *A. dispar:* oblongo-ovata; fronte parum prominente; antennarum seta breviter plumata; nervo transverso ordinario subrecto; *mas:* corpore nigro, epistomate argenteo, abdomine cinereo, segmento 1:mo maculisque 4 subquadratis nigris, alis fuscanis; *femina:* corpore cinereo, epistomate concolore, abdomine punctis 4 brunneis obsoletis, alis subhyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 314. 11. *Musca* Fall. Muscid. 58. 48. ♂♀. *Spilogaster* Macq. Buff. 2. 296. 12. ♂♀. *Antomyia* Meig. Dipt. 5. 88. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 665. 17. ♂♀.

Hab. in floribus, foliis fruticum, truncis arborum, &c., per totam Scandinaviam, 30 Maj.—10 Sept., ubique vulgatissima, præsertim in Scania copiose, etiam in Lapponiis Suecicis & Norvegicis frequens; in copula multoties deprehensa. (E Glogavia a D. *Zeller*).

♂♀. Ad minores accedit. Maculæ abdominis, seta antennarum breviter plumata, oculi tenuiter puberuli, & in ♂ alæ nigricantes, speciem a prioribus distinguunt. Oculi plerumque fere nudi brunnei, in ♂ tamen (in illæsis) hirtuli, non arcte cohærentes; in ♀ mediocriter & paralleliter remoti. Caput ♂ argenteum, macula supra antennas ordinaria triangulari, atra; ♀ cinereum, vitta frontali in vertice divisa,

atra. Palpi filiformes, nigri. Abdomen conicum, in ♂ cinereum, segmento 1:mo toto & maculis 4 quadrato-trigonis nigris, nempe 2 in singulo segmentorum 2 & 3; in ♀ griseum, maculis numero & situ ut in ♂, sed multo minoribus punctiformibus, dilute brunneis, sæpe valde obsoletis. Segmentum 4:tum etiam sæpe puncto fusco in utroque sexu. Alæ ♂ nigræ, margine interiori magis hyalino; ♀ hyalinæ, basi subflavicantes. Nervus transv. ordinarius in utroque sexu subrectus seu leviter flexus. Spinula costæ parva. Squamæ albidæ, margine summo pallide flavo. Halteres flavi. Pedes nigri.

Variat *mas* abdominis maculis 4 nigris subconfluentibus. Variat etiam ♂ alis minus fuscanis, cum var. a. passim; similis quoque a D. *Zeller* sub nomine *Anthom. atrata* Zell. e Glogavia missa.

b.) Nervus transversus ordinarius rectus l. subrectus.

10. *A. serva:* oblongo-ovata, cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque linea dorsali & maculis 4 indeterminatis obsoletis, fusco-nigris; alis subhyalinis, immaculatis, squamis flavo-albidis; oculis ♂ cohærentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Macq. Buff. 2. 287. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 314. 6. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 86. 6. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 663. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinavia, 20 Jun.—15 Aug., passim; in copula capta; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena &c., passim; in Gottlandia ad Näbr & Fårön; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg* copiose; in Dalecarlia; in Lapponia Tornensi

plerumque ad ripas fluminum in Salicetis ex. gr. ad Wittangi & Juckasjervi usque ad lacum Torneåträsk procedens, passim; in Dania haud raro, D. *Staeger.*

♂♀. Præcedentibus similis & affinis; sed ab *A. incana*, 3, alis basi non flavis & abdomine fusco-submaculato; a *Lucorum*, 4, alarum nervis transversis non infuscatis; a *plumbea*, 5, magnitudine paullo minore, abdominis maculis 4 obsoletis (nec nullis) & oculis ♂ vix tam arcte cohærentibus; ab *annosa*, 6, fronte in ♀ non latissima; a *nivali*, 7, abdominis maculis multo obsoletioribus, minoribus, alarum nervis transversis non infuscatis, & oculis ♂ nonnihil magis cohærentibus; ab *obscurata*, 8, fere iisdem notis ac a *nivali*; a *dispare*, 9, alis non infuscatis &c.; & ab his omnibus nervo transverso ordinario aut omnino recto aut leviter tantum subflexo, præcipue differt. Frons subprominula. Punctum supra antennas album. Oculi hirti. Antennarum seta modice plumata. Os subexsertum. Thoracis lineæ 4 nigræ latiusculæ. Abdomen ovatum, cinereum, maculis in segmentis 2 & 3 quatuor nigro-fuscis, parvis, pro situ variantibus & certo situ tantum conspicuis, & linea media in iisdem segmentis interrupta obsoleta nigra. Segmenta 3 & 4 undique setulosa. Alæ subhyalinæ, levissime tantum subfuscanæ, nervis ut in prioribus directis, sed transverso ordinario ut dictum magis recto. Squamæ albidæ, pallide flavo-marginatæ. Halteres testacei.

11. *A. veterana:* oblongo-ovata, cinerea, thoracis lineis 2 angustis nigris; alis basi & squamis flavescentibus, nervis transversis fuscedine cinctis; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀. (Long. 3 fere 4 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 662. 6. ♂♀. *Anthomyza basalis* Zett. Ins. Lapp. 663. 11. variet. ♂.

Hab. in Lapponiæ Suecicæ silvis rarissime; ♂ ad Wittangi Lapponiæ Tornensis 14 Jun. 1821 & altera vice

ad lacum Stor-Uman Lapponiæ Umensis 6 Jul. 1832; & ♀ ad Wilhelmina etiam Lapponiæ Umensis 15 Jul. eodem anno (1832) inveni.

*Fem.* Long. fere 4 lin. Affinis & similis *A. incanæ* (3), sed præter magnitudinem paullo longiorem differt etiam: capite dilutius cano, fere argenteo-nitente, fronte multo latiore, thoracis lineis anticis nigris tantum 2, angustioribus, abdomine subimmaculato, ut & nervis transversis magis infuscatis & rectis. Ab *A. annosa*, 6, cui frontis latitudine similis, abdominis pictura deficiente & nervis transversis haud inflexis, mox dignoscitur.

*Mas.* Long. 3 lin. Similis feminæ, sed capite argenteo-micante, oculis paullo approximatis, vitta modice angustata atra utrinque albo-marginata disjunctis, ut & thorace paullo obscuriore, differt. Abdomen cinereum, certo situ linea obsoleta fusca.

12. *A. Morio:* ore producto oblongo-ovata, obscure cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque antico vitta dorsali lata sinuata, nigris; alis subhyalinis, basi fusco-maculatis, squamis flavescentibus; antennarum seta distincte plumata; oculis ♂ cohærentibus. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Hab. in foliis fruticum & graminosis, per partem interiorem Scandinaviæ borealis, 20 Jun.—20 Aug., passim, in copula deprehensa; scilicet in Jemtlandia a monte Hofverberget, radicibus alpium Åreskutan & Mullfjellen usque ad Skalstugan, copiose; adscendit quoque in jugum alpinum Norvegiæ, & ad Kälahög, Höjfjeldbro, Kongsstue & Suul frequenter lecta, in ipsa nive perenni deprehensa; descendit iterum ad radicem jugi, & ad diversorium Garnæs Værdaliæ parce visa; in Lapponia Lu-

lensi in Wallifjellet ad Quickjock a D. *Andersson* quoque lecta.

♂♀. Color obscurus (unde pictura haud perspicua), alæ basi fuscæ, squamæ flavæ, os paullo exsertum, & oculi ♂ cohærentes, speciem ab affinibus distinguunt. Caput obscure cinerascens. Punctum supra antennas album. Frons subprominens. Antennarum seta distincte plumata. Oculi distincte hirti, in ♂ sat arcte cohærentes, linea nigra tantum angustissima disjuncti; in ♀ per vittam sat latam atram albo-marginatam separati. Palpi filiformes, nigri. Thorax (præsertim in ♂) obscure cinereus, nitens, antice dilutior, vittis 4 latiusculis nigris. Scutellum cinereum. Abdomen ovatum, cinereum, subnitens, segmento 1:mo fere toto, 2 & 3 vitta dorsali (in ♂ certo situ dilata & in singulo segmento trigona) nigro-micantibus; præterea ut in priori setosum. Alæ hyalinæ, leviter fuscanæ, radice distincte fusco-maculatæ; nervi fere ut in *A. serva* (10) directi. Squamæ flavidæ. Halteres testacei. Femora postica non elongata, validiuscula l. modice crassa. Alarum nervi: transversus medius paullulum ante apicem nervi longitudinalis 1:mi ductus; longitudinalis 3:tius mox ante summum apicem alæ excurrens. — Variat ♀ abdomine detrito nigro nitido.

13. *A. lugubris:* ore producto oblongo-ovata, obscure cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque antico vitta dorsali, nigris; alis hyalinis subimmaculatis, squamis albidis; antennarum seta distincte plumata; oculis ♂ cohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 7. 314. 8? *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 87. 8? ♂. (ubi nervo transv. ordinario inflexo describitur). — Zett. Ins. Lapp. 664. 15. ♂.

Hab. in Suecia boreali rarissime; ad Lycksele Lapponiæ Umensis pauca exempla inveni. In planitie alpium ad Quickjock Lapponiæ Lulensis in floribus Angelicæ Arch-

angelicæ uterque sexus mense Julio 1813 copiose visus erit, testante Cel. *Wahlberg*.

♂. Similima priori, a qua vix nisi alis immaculatis, basi scilicet haud fuscanis, & squamis magis albidis, pallidissime tantum flavido-maginatis, differt; forte tamen specie diversæ. — Femina mihi ignota.

14. *A. consobrina:* ore subproducto oblongo-ovata, obscure cinerea, thoracis lineis 4, abdominisque antico vitta dorsali, nigris; alis subhyalinis, basi & nervis transversis infuscatis, squamis albidis; antennarum seta breviter plumata; oculis ♂ cohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 665. 16. ♂.

Hab. in Suecia boreali 21 Jun.—15 Jul., rarius; scilicet in Lapponiis Umensi ad Lycksele, & Tornensi ad Juckasjervi, capta.

♂. Duabus proxime antecedentibus iterum ut ovum ovo similis; sed ab *A. Morione* alarum nervis transversis fuscedine leviter cinctis & squamis magis albidis, a *lugubri* alis basi infuscatis, & ab utraque ore nonnihil minus producto & antennarum seta brevius plumata, differt.

15. *A. alpicola:* ore producto ovato-oblonga, cinerea, thoracis vittis 4, abdominisque linea dorsali & maculis 4 indeterminatis obsoletis, fusco-nigris; alis hyalinis, basi leviter fuscanis, squamis albidis; oculis ♂ appropinquantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in alpestribus per partem interiorem Scandinaviæ borealis, 24 Jun.—2 Aug., passim; scilicet in paroecia Undersåker Jemtlandiæ borealis ex. gr. ad Mull-

fjellen, Areskutan & Skalstugan, sat frequens; in Værdalia Norvegiæ ad diversorium Suulstuen in jugo alpino situm haud raro; in Lapponia Lulensi ad Quickjock cum *Ar. lugubri* a D. D. *Wahlberg*, *Boheman* & *Andersson* capta.

♂♀. Valde similis & affinis *A. servæ* (10), magnitudine vero nonnihil minore præsertim angustiore, ore magis exserto, squamis sub alis albidioribus ut & oculis maris minime cohærentibus sed tantum in fronte approximatis, certe distincta. Halteres obscure testacei. Reliqua ut in *A. serva.*

*Obs.* Nervus transversus medius apici nervi longitudinalis 1:mi præcise oppositus. Spinula costæ adest. Tibiæ omnes spinosæ. Palpi filiformes.

16. *A. variabilis:* ore fronteque non productis oblonga, nigricans, capite subargenteo; thorace antice griseo, vittis 2 obscuris; abdomine cinereo immaculato; alis basi squamisque albo-flavis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, femoribus posticis longitudine fere abdominis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* niger, capite argenteo; thorace nitido, antice vittis 3 flavo-albidis, lateralibus evidentioribus; oculis hirtis arcte cohærentibus; abdomine subcylindrico, cinereo l. flavido; ano obtuso; alis leviter fuscanis; femoribus posticis longitudine fere abdominis, gracilibus, rectis;

*Fem.:* tota flavo-cinerea, capite cano; oculis modice remotis subnudis; thorace antice lineolis 2 abbreviatis tenuibus fuscis obsoletis; abdomine ovato, ano acuto; alis cinereis; femoribus posticis abdomine distincte brevioribus, crassitie reliquorum; in copula.

Meig. Dipt. 7. 314. 10. *Musca* Fall. Muscid. 58. 47. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 87. 9. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 663. 9. ♂♀. (specimina tantum Lapponica ad Wil-

helmina & Stöttingsfjellet, nam individua Norvegica ad Tromsö & Dovre capta ad sequentem pertinent). — *Hydrophoria* Macq. Buff. 2. 300. 12. ♂♀.

Hab. in floribus pratensibus & silvestribus, libenter locis umbrosis, sed vix normaliter in plantis aquaticis, per totam Scandinaviam, 1 Jul.—10 Sept., vulgaris, in copula sæpe capta; scilicet in Scania copiose; in Smolandia, Ostrogothia & Ölandia, frequens; in Gottlandia ad Ahlskog, Garde &c. haud rara; in Lapponiis rarius; in Lapponia tamen Lulensi ad Quickjock in floribus Angelicæ frequenter a D. *Wahlberg* lecta; in Norvegia ad Thynæs &c. passim; e Dania a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Prioribus angustior, magis oblonga. Frons minime exserta. Antennarum seta longe plumata. Os haud reflexum. Palpi filiformes, nigri. Abdomen postice setosum, basi interdum vestigio obsoleto lineolæ fuscæ. Alarum nervi transversi subapproximati; horum medius apici nervi long. 1:mi suboppositus; ordinarius aperte ante medium areæ mediæ insertus, oblique ductus, exacte rectus. Nervus longit. 3:tius in summo apice (nec mox ante apicem ut in plerisque antecedentibus) excurrens. Spinula costæ vix ulla. Squamæ sat parvæ. Halteres flavi. Tibiæ omnes parce spinosæ. — Cave ne hanc cum *Ar. separe* n:o 104 confundas.

**17.** *A. longipes:* ore fronteque haud productis oblonga, nigricans, capite subargenteo-micante, thorace antice grisescente, vittis 2 obscuris; abdomine cinereo, linea dorsali fusca; alis basi squamisque albo-flavis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, femoribus posticis abdomine fere longioribus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

*Mas & femina* ut in præcedente differunt, sed maris femora postica abdomine fere longiora, gracilia, levissime subcurva, nec exacte recta; in copula.

*Anthomyza variabilis* Zett. Ins. Lapp. 663. 9. var. tantum individua ut Norvegica allata.

Hab. in floribus Umbellatarum, foliis fruticum, graminosis, per partem interiorem alpestrem Scandinaviæ borealis, 27 Jun.—20 Aug., haud raro, in copula pluries deprehensa; scilicet in Jemtlandia boreali ad Hofverberget (prope Storsjön), Ristansfors, Åreskutan, Mullfjellen, Stalltjernstugan, & usque ad Skalstugan, sat copiose; transscendit quoque jugum alpinum, & in Norvegia a Suul (Værdaliæ), Garnæs, Näs & Thynäs usque ad Tromsö Nordlandiæ, lecta; in alpe Dovre etiam a D *Boheman* capta; ad Quickjock Lapponiæ Lulensis a D. *Andersson* deprehensa. In Ostrogthia ad Lärketorp semel a me inventa.

♂♀. Valde similis & affinis priori, a qua tamen longitudine sæpe nonnihil majore, fronte leviter (nec minime) subprominula, nervulis transversis paullulum minus approximatis, ut & præprimis abdominis linea dorsali (in ♂ præsertim perspicua) in segmentis 1, 2 & 3, atque femoribus posticis paullo longioribus leviter curvis, certe distincta. Reliqua ut in *variabili.*

18. *A. atra:* ore frontcque non productis oblonga, atra, nitida; alis cinereo-hyalinis, basi squamisque albo-flavis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, femoribus posticis longitudine abdominis. ♂♀. (Long. ♂ 2½, ♀ fere 3 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 59. 50. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; 2 tantum individua vidi in Scania capta, nempe unum, masculum, ad Lund a me inventum, & alterum, femineum, ad Esperöd a D. *Fallén* lectum.

♂♀. Magnitudo, statura angusta, formatio pedum & oculorum etiam quoad differentiam sexus, atque omnia exacte ut in præcedente, a qua tamen colore totius corporis atro nitido certe diversa. — Antennæ distincte plumatæ. Oculi in ♂ tenuiter hirti. Thorax, scutellum & abdomen atra. Caput & alæ ut in *variabili* n:o 16. Pedes & reliqua ut in *longipede*, 17.

19. *A. umbratica:* ore fronteque non productis oblongo-ovata, nigricans, capite argenteo-micante; abdomine ovato: aut canescente, linea fusca (♂), aut obscure cinereo immaculato (♀); alis squamisque leviter fuscanis (♂), aut alis cinereis squamis albidis (♀); femoribus posticis mediocribus; *mas:* oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

*Mas:* niger, oculis sat arcte cohærentibus, hirtis; abdomine cinereo, linea dorsali media subintegra fusca; alis squamisque leviter fuscanis;

*Fem.:* obscure glaucescens, immaculata; fronte modice lata nigra, postice macula trigona cinerea; oculis subnudis; alis cinereo-hyalinis, squamis albidis; in copula.

Meig. Dipt. 7. 314. 9. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 88. 10. ♂. Zett. Ins. Lapp. 665. 18. ad partem, scilicet individua in monte subalpino Raschstind Norvegiæ capta, nam Lapponica ad Stor-Uman inventa ad *Ar. hirsutulam* (103) pertinent.

Hab. in Scandinavia, 24 Jun.—29 Aug., passim, in copula; e pupa cylindrica, nuda, brunnea exclusa; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, rarius; in Westrogothia, D. *Boheman;* in Gottlandia ad Ruthe & Gothem raro; in Nordlandia Norvegica ad Raschstind; in Dania, D. *Stae-*

*ger.* (Sub eodem nomine a D. *Zeller* e Glogavia missa. — Ad Neuenkirchen Germaniæ jam 20 Maj. a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Similis *A. longipedi* n:o 17, sed fere duplo brevior, proportione vero magis ovata, abdominis linea obscura fere ad apicem continuata, femoribus posticis brevioribus &c., vere diversa; ab *A. variabili*, 16, cui quoque similis, magnitudine minore & abdomine linea media fusca notato; affinis tandem *A. vespertinæ* (20), cum qua in collectione *Falleni* mixta occurrit, sed abdomine paullo latiore & oculis in ♂ hirtis, nec nudis, ab illa dignoscitur. — Thorax subnitidus, niger (♂), aut schistaceus (♀); immaculatus. Alæ etiam quoad directionem nervorum ut in *A. variabili*, sed basi concolores, nec flavescentes. Tibiæ parce spinulosæ. Femora postica reliquis paullulum longiora, sed non graciliora. Halteres flavi. Alarum area media apice paullo latior quam medio.

*Obs. Aric. nigritella* oculis in majoribus & illæsis individuis masculis omnium tenuissime & tantum microscopice puberulis in subdivisione sequente sub n:o 22 quærenda.

*Phalanx 2:da.* Oculi nudi.

*Sect. Prima.* Oculi in ♂ cohærentes aut saltem appropinquantes.

A. Squamæ sub alis mediocres: valvula superior inferiorem non tegens.

*). Alarum nervus transversus ordinarius rectus.

20. *A. vespertina:* oblongo-ovata, nigra, subnitida, parum griseo-micans; capite cinereo, fronte non prominente; antennis longe plumatis; squamis albidis; *mas:* alis fuscanis, oculis arcte cohærentibus; *femina:* alis hyalinis, oculis remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

*Mas:* oculis arcte cohærentibus; thorace nigro; abdomine oblongo, nigricante, nitido, linea dorsali nigra obsoleta; alis nigricantibus, squamis sordide albidis;

*Fem.:* oculis modice distantibus, fronte grisea, vitta lata nigricante; thorace obscure cinereo, subnitido, lineis 4 nigris obsoletissimis; abdomine ovato, nigro, nitido, linea dorsali atra obsoleta; alis hyalinis, nervis subalbidis, squamis albis; in copula.

*Musca* Fall. Muscid. 58. 49. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 107. 41. ♂♀. *Hylemyia* Ejusdem Dipt. 7. 315. 13.

Hab. in floribus Umbellatarum & foliis fruticum nec non in graminosis, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 2 Jun.—30 Aug. (& feminæ usque ad Septembr.), sat vulgaris, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia *(v. Borck)*, Smolandia (D. *Ljungh*) & Ostrogothia, frequens; in Gottlandia ad Fårön &c. passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania, D. D. *Staeger* & *Westermann.* (Ad pagum Zirkow in Rugia, & ad Neuenkirchen jam 15—20 Maj. in utroque sexu a D. *Dahlbom* lecta; e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Ad minores accedit. Similis *A. umbraticæ* (19), sed oculis maris nudis & corpore feminæ magis nigro nitido, mox dignota. Antennarum seta distincte plumata. Abdomen pubescens, postice setulosum. Alarum nervi transversi: medius apici nervi longit. 1:mi oppositus, ordinarius rectus, a margine interiori modice remotus & paullo ante medium areæ mediæ insertus. Nervus longitudinal. 3:tius in summo apice alæ excurrens. Spinula costæ parva costæ adpressa. Halteres testacei. Tibiæ spinulosæ.

21. *A. nigrinervis:* oblongo-ovata, nigra, capite obscuro (♂), aut albicante (♀); fronte haud prominente;

antennis breviter plumatis; squamis albis; ***mas:*** alarum nervis late infuscatis, halteribus obscuris, oculis cohærentibus, abdomine cinereo, maculis 4 atris; ***femina:*** alis hyalinis, halteribus pallidis, oculis remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

*Mas:* niger, subopacus; caput obscure griseum; oculi sat arcte cohærentes; abdomen oblongo-ovatum, obscure cinereum, segmentis: 1:mo fere toto, 2:doque & 3:tio singulo maculis 2 magnis quadratis per lineam dorsalem cineream divisis, atris; alæ nigricantes, interstitio nervorum versus apicem plus minus hyalino; halteres nigricantes;

*Fem.:* schistaceo-nigra, subnitida; caput cinereum; oculi modice distantes, vitta frontali atra per maculam cordatam cineream postice divisa; thoracis dorsum vestigio linearum obscurarum; abdomen ovatum, dorso obsoletissime brunneo-maculatum; alæ cinereo-hyalinæ; halteres pallidi.

Hab. in foliis fruticum Alni &c., per Scandinaviam, 15 Jul.—2 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd haud rara; in Smolandia, D. *Ljung;* in Jemtlandia boreali ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen; mas e Dania sub nomine: "*Spilogaster dispar* Meig. Fall. var.? l. nov. sp.?" a D. *Staeger* communicatus.

♂♀. Similis ***A. dispari*** (9), ***umbraticæ*** (19) & ***vespertinæ*** (20), sed differt: a ***dispare*** oculis in utroque sexu nudis, alarum nervo transv. ordinario exacte recto, & halteribus in ♂ nigricantibus; ab *umbratica* oculis in utroque sexu nudis, maris alis nervis nigredine saturatius cinctis, halteribus obscuris, abdominisque maculis 4 atris, nec linea unica dorsali fusca; & a ***vespertina*** antennis seta breviter tantum plumatis, ut & maris halteribus obscuris abdominisque pictura alia. — Setulosa. Frons parum prominens. Alarum nervi ut in priore directi; spinula costæ vix ulla. Tibiæ spinulosæ.

*Obs.* Individua alpina paullo minora sunt, alis ♂ minus intense nigris.

22. *A. nigritella:* sublinearis, atra (♂), aut obscure cinerea (♀); capite cinereo, fronte non prominente; antennis breviter plumatis; squamis albis, alis subhyalinis; *mas:* oculis cohærentibus, halteribus nigris, tibiis posticis unicalcaratis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}-1\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* ater pilosulus; caput obscure griseum; oculi sat arcte cohærentes; abdomen oblongum, subcylindricum, nigricans, segmentis 2, 3, 4 leviter cinereo-micantibus, linea dorsali atra; anus obtusus; alæ leviter fuscanæ; halteres nigri; femora postica abdomine fere longiora, subgracilia; tibiæ omnes pubescentes, posticæ subcurvæ, non spinulosæ, tantum apice intus calcare unico distincto valido;

*Fem.:* obscure cinerea, minus pilosa; caput albido-micans; oculi modice remoti; vitta frontalis lata nigra; abdomen oblongo-ovatum, ano acuto; alæ cinereo-hyalinæ, basi subpallescentes; halteres flavidi; femora postica mediocriter elongata & crassa; tibiæ omnes parce spinulosæ; in copula.

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 666. 24. ♂♀.

Hab. in floribus Calthæ palustris, foliis fruticum, fenestris &c. præsertim Scandinaviæ borealis & Lapponiæ, 24 Jun.—10 Aug., passim frequens, in copula multoties capta; scilicet in Smolandia unum & in Ostrogothia ad Lärketorp tantum duo paria inveni; at in Jemtlandia boreali ad Ristansfors, Mullfjellen, Åreskutan & Skalstugan, sat copiose; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Badstuträsk & Wilhelmina, haud raro; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, Studios. *Andersson;* in alpium Tornensium jugum adscendens in ipsa nive deprehensa; in Norvegia

ad Dovre, Thynæs, Näs & Suul (in jugo alpino), abunde; in inferalpinis Nordlandiæ ex. gr. ad Evenäs, rarius. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Similis & affinis *A. umbraticæ* (19) & *vespertinæ* (20), sed a priore oculis in utroque sexu subnudis, abdomine paullo angustiore; a posteriore antennis seta brevius plumata, alis in ♂ tantum basi infuscatis; & ab utraque magnitudine paullo minore, ut & maris squamis sub alis albis, nec fuscanis, halteribus nigris, & præsertim femoribus posticis nonnihil longioribus & tenuioribus, nec non tibiis ejusdem paris in mare non spinulosis, sed dense pubescentibus, & apice intus seta solitaria distincta armatis. Angustata, subnitida. Nervi ut in *vespertina*. Spinula costæ vix ulla. Squamæ parvæ; valvula superiori inferiorem non tegente. — Caveas ne hanc confundas cum *A. hirsutula* infra n:o 103, quæ major & antennis seta pubescentibus, oculis hirtis &c. dignoscitur.

23. *A. duplicata:* oblonga, cinerea; capite albido; fronte parum prominente; antennis longe plumatis; thoracis lineis 4, abdominisque punctis totidem rotundatis, nigris; alis subimmaculatis; nervo transverso ordinario recto; squamis albis; halteribus flavis; *mas:* oculis arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Mas:* corpore cinereo; capite argenteo-micante; oculis sat arcte cohærentibus, per orbitas tenuissimas albas tantum angustissime distantibus;

*Fem:* corpore griseo; capite cano; oculis late remotis; vitta frontali didyma nigricante; thoracis lineis fuscis, obsoletis; punctis abdominis brunneis, interdum obsoletis l. nullis; in copula.

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 92. 17. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 667. 26. ♂♀. *Spilogaster* Macq. Buff. 2. 296. 9? ♂♀. — *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 26.

Hab. in Scandinavia, 22 Jun.—4 Oct., passim, in copula; scilicet in Scania ad Abusa, Lund, Stäfvie, Esperöd &c., haud rara; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Gottlandia ad Furillen, Östergarn, Wamblingbo &c.; in Dalecarlia; in Jemtlandia usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellen; in Lapponia Umensi ad Lycksele raro; in Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*; in Norvegia ad Thynæs & Garnæs Værdaliæ parce. (Specimina mascula jam 12 Jun. ad Gryphiam a D. *Dahlbom* lecta, & alia e St. Sever sub nomine: "*Spilogaster duplicata* Macq." a D. *Leon Dufour* 1844 communicata).

♂♀. Variat magnitudine & colore dominante: cinereo, l. cano, l. griseo. Antennarum seta distincte plumata; an igitur vere *Spilogaster* Macq.? — Punctum supra antennas album. Puncta 2 & 2 in abdominis segmentis 2 & 3, majora l. minora, plerumque rotundata, in ♂ nigra, in ♀ brunnea. Abdomen subcylindricum (♂), aut oblongo-ovatum acutum (♀); posterius præsertim setulosum. Alæ hyalinæ. Nervi ut in *vespertina* (20) directi; transversus ordinarius sæpissime rectus; interdum leviter infuscatus. Spinula costæ distincta. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, simplices. Femora postica mediocria. Tibiæ extus parce spinulosæ, in junioribus nigro-testaceæ. Tibiæ posticæ in ♂ intus non villosæ, qua nota etiam ab *A. 4-maculata* (87) dignoscitur.

*Obs.* Exempla lapponica plerumque paullo minora & magis glauco-cinerea sunt. — Varietatem Meig. "abdominis punctis tantum 2" non observavi.

24. *A. duplaris:* oblonga, cinerea; capite albido; fronte parum prominente; antennis longe plumatis; thoracis lineis 4, abdominisque punctis totidem rotundatis, nigris; alis subimmaculatis, nervo transverso ordinario le-

viter flexo; squamis albidis; halteribus flavis; *mas;* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Hab. in Scandinaviæ fruticibus, 10 Jun.—Jul.—8 Sept., in copula, passim; scilicet in Scania ad Lund, Räften (D. *Dahlbom*), Esperöd &c.; in Gottlandia ad Gothem, Stenkyrka, Furillen, Wamlingbo &c., haud rara; in Dalecarliæ alpibus a D. *Boheman* in copula capta; in Botnia boreali ad urbem Luleå & ad Råbäcken; in Lapponia Lulensi ad Tjomotis, Mattisudden, Porsi & Quickjock, frequens, D. *Wahlberg;* e Dania sub nomine *Anthomyia duplicata* Meig. quoque missa; in Norvegia ad diversorium Suul in jugo alpino situm semel etiam inventa.

♂. Simillima priori, a qua tamen alarum nervis transversis haud rectis, & præcipue maris oculis tantum approximatis l. appropinquantibus, nec perspicue cohærentibus, differre videtur. Oculi nempe per lineam angustam nigram & orbitas albas nonnihil magis remoti, quam in præcedente. Alarum nervi transversi plerumque leviter infuscati & sæpissime minus recti, quam in illa. Squamæ albidæ. Abdominis puncta 4 nigra variant majora minoraque, rarissime vix ulla. Pedes nigri, genubus l. saltem fractura sæpissime plus minus luteis. Reliqua ut in priori. —Ab *Aricia 4-maculata* Fall. n:o 87 (nobis), antennarum seta distinctius plumata & tibiis posticis in ♂ intus non villosis, imprimis dignoscitur.

Var. b. ♂. abdominis maculis nigris obsoletissimis, earum tantum vestigio. In Smolandia rariss., D. *Boheman.*

25. *A. notata:* cana, capite argenteo-micante; fronte non prominente; antennis breviter plumatis; thoracis maculis 3, scutelli unica basali, abdominisque 4, nigris;

alis hyalinis, nervis: transverso ordinario recto, longitudinali 4:to versus apicem levissime inflexo; squamis albis; halteribus flavis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. 1¾—2 lin.).

*Mas:* canus. Oculi per vittam frontalem angustatam (ut in *duplari*) atram & orbitas angustas albas disjuncti. Thorax antice maculis 2 majoribus quadratis approximatis nigris, & in medio fascia transversa lata ejusdem coloris, e cujus medio postico lineola nigra versus scutellum excurrit. Scutellum atrum, cano-marginatum. Abdominis subconici segmenta: 1:mum basi inæqualiter nigrum; 2 & 3 singulo maculis duabus majusculis, subtrigonis, atris; 4:tum plerumque lineola longitudinali nigricante;

*Fem.:* cinerea. Oculi modice remoti; vitta frontalis lata didyma nigra. Thorax aut plerumque vittis 2 latis abbreviatit brunneis aut maculis 4 brunneis quarum posticis interdum subconfluentibus. Scutellum cinereum, basi macula trigona fusca, cui alia minor ejusdem coloris in thorace opponitur. Abdomen ovatum, cinereum, segmentis: 1:mo maculis 2 transversis, 2:do 3:tioque singulo maculis 2 subtrigonis, dilute brunneis; in copula.

*Musca* Fall. Muscid. 62. 59. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 90. 14. ♂♀. *Spilogaster* Macq. Buff. 2. 296. 10. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 22.

Hab. in foliis fruticum plerumque in vicinitate aquæ, per Scandinaviam meridionalem & mediam, Maj. & Jun. & iterum Aug. Sept., passim, in copula multoties capta; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Blekingia, D. *v. Borck*; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., haud rara; in Gottlandia ad Kjellunge & in palude Hellvig; in Bahusia ad Marstrand; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; sed longius versus

septentrionem procedens hactenus non observata; e Dania ♀ sub nomine "*Anthom. maculosa* Meig." missa. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia, & e St. Sever a D. *Leon Dufour* sub nomine: "*Spilog. notata* Macq.", mihi communicata).

♂♀. Similis priori, sed differt: magnitudine paullo minore, antennis brevius plumatis, thoracis pictura alia, abdominis maculis majoribus trigonis, nec rotundatis, alarum nervo transverso ordinario exacte recto, spinula costæ nulla, ut & signaturis corporis in ♀ dilute brunneis, nec nigris. Ab hac vero & aliis affinibus statim dignoscitur per alarum nervum longitudinalem 4:tum, qui antequam in margine excurrit, omnium levissime inflectitur fere ut in *Cyrtoneura cæsia* (5) aut in *meditabunda* (11), cui etiam in variis aliis accedit. Area igitur media apice non omnino tam late aperta ac in *A. duplari*, 24. Alæ hyalinæ, immaculatæ, nervis minime infuscatis; costa tota nuda. Tibiæ parce spinulosæ.

26. *A. carbonella:* oblonga, nigra; capite argenteo-micante; fronte haud prominente; antennis breviter plumatis; alis fuscanis; squamis albis; halteribus fusco-testaceis; abdomine cinereo, maculis 4 magnis trigonis atris; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Jemtlandiæ alpe Åreskutan, ubi 1—4 Aug. 1840 quinque individua inveni.

♂. Similis *A. vespertinæ* (20) & *nigritellæ* (22), sed a priori magnitudine minore, antennis brevius plumatis, a posteriori halteribus (♂) testaceis, nec nigris, tibiis spinulosis (nec puberulis), unicalcaratis, & ab utraque abdominis pictura, certe differt. Ab *A. nigrinervi* (21), cui pictura abdominis valde similis, magnitudine minore & halteribus haud obscuris, dignoscitur. Oculi non arcte cohærentes, nudi. Thorax & scutellum nigricantia. Abdomen oblongum, subdepressum,

obscure cinereum, segmento 1:mo fere toto, 2:do & 3:tio singulo maculis duabus sat magnis, approximatis, subtrigonis, atris. Alæ fuscanæ, margine interiori indeterminate subhyalino. Nervi ut in *vespertina* directi. Spinula costæ nulla. Squamæ albæ. Pedes simplices.

**) Alarum nervus transversus ordinarius flexus.

27. *A. ambigua:* oblonga, obscure grisea, capite albo-micante; fronte subprominente; antennis distincte plumatis; thoracis lineis 3, abdominisque unica, nigris; alis subhyalinis, squamis halteribusque sordide albidis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{3}{4}$ fere 3 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 1823. p. 56. 43. ♂. (♀ ibi etiam allata huc non pertinet, sed ad *A. Lucorum* n:o 4 est referenda); genuina. — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. Add. 192. 191. *Anthomyia divisa* Meig. Dipt. 1826. 5. 99. 27. ♂. certe. — *Hylemyia* Ejusd. Dipt. 7. 315. 11. *Anthomyza lineatocollis* Zett. Ins. Lapp. 679. 78. ♂.

Hab. in Suecia & Lapponia, Jul. Aug. minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c.; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele rarissime, & Lulensi ad Quickjock in ripa arenosa ad Randijaur, D. *Andersson;* e pupa cylindrica nuda brunnea in superficie aquæ stagnantis ad Lund Scaniæ 28 Aug. inventa, die 14 sequentis mensis individuum exclusum vidi; ex Hafnia a D. *Staeger* sub nomine: "*Anth. divisa* Meig." missa. (Ad Hamburg a D. *Dahlbom* Jul. 1838 capta).

♂. Similis & affinis *A. variabili* (16), a qua tamen oculis nudis, minus cohærentibus, fronte magis prominula, abdominis linea dorsali obscura, ut & nervo transverso ordinario valde inflexo, abunde distincta. Oculi per lineam frontalem angustam nigram & orbitas albas, paullo l. an-

guste disjuncti. Frons leviter producta. Antennarum seta præcipue latere superiori distincte plumata, apice nuda. Os vix l. parum reflexum. Palpi filiformes, nigri. Thorax obscure griseus, vittis 3 latiusculis nigris. Scutellum plerumque nigricans, subnitidum. Abdomen oblongum, subcylindricum, pubescens, ante incisuras tenuiter setosum; totum griseum aut cinereum, linea dorsali integra perspicua, & incisuris obsolete, nigris. Tuberculum anale non magnum, nigrum; & præterea anus subtus laminis 2 pilosis nigris. Alæ hyalinæ (in majoribus leviter flavido-fuscanæ), nervis non infuscatis. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli l. forte levissime divergentes; ille in apice alæ excurrens. Nervi transversi: medius perpendicularis, apici nervi longit. 1:mi oppositus; ordinarius mox ante medium areæ mediæ insertus, obliquus & distincte inflexus. Costa tota nuda; spinula costæ vix ulla. Squamæ non magnæ, albidæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavidi. Pedes nigri, simplices. Tibiæ extus spinosæ. Pulvilli sat magni, albi. — Individua 2 solitis minora, oculis magis cohærentibus & nervo transv. ordinario minus flexo ad Åreskutan Jemtlandiæ & ad Garnæs Værdaliæ Norvegicæ Jul. 1840 inveni, forte hujus, cui in ceteris similia.

*Obs.* Specimen, quod in collectione Falleniana sub nomine "*Musca ambigua* ♀" exstat, minime ad hanc speciem pertinet, sed ad *Aric. Lucorum* 4. Caveas ne *Ar. ambiguam* cum *Ar. frontata* infra n:o 64 confundas. Femina genuina *A. ambiguæ* mihi ignota, nisi specimen femineum: corpore cinereo, capite albido, oculis modice remotis, vitta latiuscula nigra, thoracis lineis subquatuor abdominisque unica, maculisque irregularibus, nigro-fuscis, antennarum seta non longe plumata, de cetero mari descripto simili, a D. Prof. *Wahlberg* ad Gusum Ostrogothiæ captum mihique sub indicio: "*Anthomyza ambigua?*" communicatum, provocare vellem.

28. *A. sordidiventris:* oblongo-ovata, obscure cinerea, subnitida; capite albicante; fronte subprominente;

antennis mediocriter plumatis; thoracis lineis 4 nigris; abdomine griseo, immaculato; alis subhyalinis, squamis halteribusque sordide albidis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. 2½ — fere 3 lin.).

Hab. in foliis fruticum & graminosis Sueciæ mediæ, 2—20 Jul., rarius; scilicet in Gottlandia ad Gothem, Nähr (in horto) & Kräcklingbo pauca individua utriusque sexus inveni.

♂♀. *Anthom. (Hylemyiæ) allotallæ* Meig. Dipt. 6. 376. 215. affinis & similis videtur, sed alarum costa non ferruginea & vitta frontali maris angustata, nec "latiuscula", distincta. A priori, cui etiam similis, differt: corpore paullo latiore, antennarum seta non tam longe plumata, thoracis lineolis 4 (nec vittis 3) angustioribus, abdomine immaculato, ut & alarum spinula costali distinctiori, nervis: transverso ordinario minus flexo, & longitudinalibus 3 & 4 apice divergentibus. — Subnitida. Oculi in ♂ per lineam angustatam nigram, & in ♀ per vittam frontalem didymam atram, disjuncti. Os non reflexum. Thorax obscure cinereus, lineis 4 tenuioribus nigris minus perspicuis. Scutellum obscure cinereum. Abdomen oblongo-ovatum, flavido-griseo-micans (præsertim in ♀); immaculatum. Anus in ♀ acutus. Alæ hyalinæ, nervis basi ferrugineis. Nervi longitudinales versus apicem sensim divergentes, nempe horum 3:tius mox ante, & 4:tus longe pone apicem alæ excurrentes, unde area media apice latius aperta, quam in priori. Nervus transv. ordinarius, paullo ante medium areæ insertus, minus flexus minusque obliquus, quam in præcedente; interdum leviter infuscatus. Spinula costæ gemina distincta. Squamæ albidæ, subflavido-marginatæ; valvula inferior superiori major. Halteres flavi. Femora subtus & tibiæ præsertim in apice, valide spinosa. — Ab *A. incana* (3), cum qua facile confundi potest, magnitudine paullo minore, antennis minus longe

plumatis, ore minus reflexo, abdomine immaculato, ut & alarum nervo transv. ordinario nonnihil minus inflexo, abunde differt.

*Obs. Aricia verticina* (n:o 63) &c. antennarum seta breviter plumata l. pubescente in Subdivisione Secunda quærendæ (cfr. Conspectus).

B. Squamæ sub alis parvæ: valvula superior inferiorem tegens. Antennarum seta longe plumata. *Hylemyia* Macq. Meig.

†. Nervus transversus ordinarius rectus. Tibiæ posticæ spinosæ.

29. *A. variata:* oblonga, grisea, opaca; capite cinereo; fronte subprominula; thoracis lineis subtribus abdominisque convexi unica dorsali, fuscis obsoletis; alis hyalinis, costa ciliata, spinulaque distincta; nervo transverso ordinario leviter flexo; squamis halteribusque albidis; *mas:* oculis arctissime cohærentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Mas:* oculis versus verticem intime connexis; thoracis lineis subquinis, lateralibus obsoletis; abdomine subcylindrico, linea dorsali media distincta, & incisuris sæpe, fuscis;

*Fem.:* oculis modice remotis, fronte cinerea vitta latiuscula nigra antice plerumque macula supra antennas rufa, postice macula cinerea; thorace obsolete brunneo-lineato; abdomine subdepresso, subimmaculato; ano acuto; in copula.

*Musca* Fall. Musc. 59. 51. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 97. 24. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 667. 25. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 315. 8.

Hab. in foliis fruticum, libenter etiam in graminosis, per hortos & prata Scandinaviæ, 4 Maj.—Jun. Jul. Aug.—

15 Sept., vulgatissima, in copula multoties observata; scilicet in Scania ubique copisose; in Blekingia (*v. Borck*), Smolandia (*Ljungh* & *Boheman*), Ostro-Westrogothia & Ölandia, haud raro; in Gottlandia ad Stenkyrka, Thorsborg, Nähr, Gothem, Fårön, Furillen, Eke, Öja, Hoburg &c., frequentissime; in Nericia & provinciis magis borealibus usque ad Skalstugan Jemtlandiæ, rarius; in Lapponia mihi non nisi ad Lycksele obvia; in Norvegia ad diversorium Suul in jugo alpino situm, parce; in Dania, D. *Dahlbom*. (Ad Neuenkirchen Germaniæ tempore verno frequenter legerunt D. D. *Hornschuch* & *Dahlbom*. E Glogavia sub nomine: *Anth. variata*, a D. *Zeller* quoque communicata).

♂♀. Parva, angusta, opaca, grisea. Pictura corporis, alarum costa (saltem ad medium) distincte ciliata, spinula costalis perspicua, ut & oculi in ♂ arcte cohærentes, maculaque supra antennas longe plumatas in ♀ sæpissime flava, speciem ab affinibus facile designant. Frons non longe producta. Antennæ longitudine fere epistomatis. Os haud reflexum. Scutellum cinereum, immaculatum. Abdomen haud depressum, ante incisuras setulosum. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli, nec versus apicem divergentes; ille in summo apice excurrens. Nervus transv. ordinarius paullo ante medium areæ insertus, parum obliquus, leviter flexus. Squamæ parvæ, albæ, valvula inferior minuta a superiore tecta. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri. Tibiæ spinosæ. — Caveas ne hanc cum *Aricia florali* infra n:o 147 confundas.

30. *A. lasciva:* oblonga, nigra, parum cinereo-micans; capite albicante; fronte haud prominula; thoracis lineis 3 nigris; abdomine subdepresso obscure cinereo, linea dorsali atra; alis hyalinis, costa subciliata, spinula

parva; nervo transverso ordinario recto; squamis albis, halteribus pallidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* nigricans; oculi arcte cohærentes; abdomen oblongum, sublineare, subdepressum, pilosum, obscure cinereum, linea dorsali atra; anus obtusus, inflexus, cinereus;

*Fem.:* cinerascens; oculi modice remoti; frons cana, vitta lata certo situ atro-micante, postice macula grisea; abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, pilosulum, cinereum, linea dorsali nigra; anus acutus; in copula.

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 666. 22. ♂♀.

Hab. in Sueciæ graminosis, Jun. Jul. rarius; in Scania ad Fogelsång & Esperöd quinque paria in copula juncta inveni; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, ♂, D. *Wahlberg;* in Lapponia Tornensi ad Wittangi rarissime quoque visa. Veneri cupida.

♂♀. Priori valde similis & affinis; sed magnitudine nonnihil minore, colore corporis paullo obscuriore, fronte non prominente, alarum costa subnuda seu parum ciliata, spinula minore, nervo transverso ordinario exacte recto, ut & abdomine præsertim in ♂ angustiore magis depresso, linea dorsali nigra integra, certe differt.

31. *A. flavipennis:* oblonga, nigra, nitida; capite albido-micante; fronte haud prominula; alis, squamis halteribusque flavis; nervo transverso ordinario recto; proboscide crassa; *mas:* oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

*Mas:* niger, oculis postice cohærentibus; abdomine angusto, lineari, depresso, piloso; ano obtuso crassiusculo; tarsorum pulvillis longis, albidis;

*Fem.:* nigra, thorace scutelloque cinereo-micantibus; abdomine oblongo-ovato, subdepresso, parce piloso; ano acuto;

oculis modice remotis, vitta frontali lata atra; tarsorum pulvillis minutis; in copula.

*Musca flavipennis* Fall. Muscid. 1823. 59. 52. ♂♀. genuina. — *Anthomyia crassirostris* Meig. Dipt. 1826. 5. 107. 42. ♀. *Hylemyia* Macq. Buff. 2. 319. 16. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 315. 11.

Hab. in Urtica dioica, Pteride aquilina &c., per prata & silvas Sueciæ meridionalis & mediæ, 2 Jul.—4 Aug., passim, in copula; scilicet in Scania in silva umbrosa Faginea ad Lindholmen semel copiose, alibi rarius; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Gottlandia ad Stenkyrka, Martebo &c. passim. (Par in copula ad St. Sever Galliæ captum Nobilissimus D. *Leon Dufour* sub nomine "*Hylemyia crassirostris* Macq." 1844 benigne communicavit).

♂♀. Per colorem nigrum, nitidum, alas flavas & proboscidem crassam ab affinibus facile dignota. Antennarum seta longe plumata. Proboscis in mortuis plerumque deorsum. Palpi filiformes. Oculi in viva obscure ferruginei. Thorax leviter cinereo-micans, lineis 3 obscuris, obsoletis. Abdomen leviter cinereo-micans (imprimis in ♀), linea dorsali obscura, obsoleta. Alæ præsertim basi & costa flavæ, costa ciliata. Spinula adest. Nervi ut in priori directi, sed nervus transv. ordinarius fere in medio areæ insertus. Pedes validi, distincte spinosi, nigri.

*Obs.* Nomen triviale Fallenianum ancienaitatem habet. Præterea Cel. *Meigen*, postquam speciei, jam ad *utrumque* sexum cognitæ & publicatæ, nomen novum "*crassirostris*" imposuit, *alterum* tamen tantum sexum l. c. descripsit.

32. *A. grisea:* oblonga, subcylindrica, opaca, cana; capite buccato, albido, macula utrinque obscura; thoracis lineis subtribus obsoletis, abdominisque unica, brun-

neis; alis cinerascentibus, squamis albis, halteribus flavis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas:* corpore angusto, cylindrico; ano obtuso; oculis appropinquantibus, vitta frontali angustata atra & orbita angusta alba disjunctis;

*Fem.:* corpore oblongo, abdomine oblongo-conico, ano acuto; oculis late remotis, nempe per vittam frontalem subangustatam atram & orbitam latam albam separatis.

*Musca* Fall. Muscid. 57. 4. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 91. 20. ♀. *Hylemyia* Macq. Buff. 2. 319. 14. ♀. Meig. Dipt. 7. 315. 18.

Hab. in primis ad littora maris plerumque locis sabulosis, per Scandinaviam, 18 Jul.—20 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Limhamn, Sandhammar, Esperöd &c., passim; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Westrogothia, D. D. *Gyllenhal & Dalman;* in Norvegia ad diversorium Oestre Næs Værdaliæ rarissime, D. *Dahlbom.* Larvæ in larvis Hymenopterorum aculeatorum parasitæ vivunt.

♂♀. Corpore subcylindrico cano & capite buccato ab affinibus præcipue dignoscitur. Caput album, nitens, nudum, macula utrinque juxta oculos subquadrata nigro-micante. Frons distincte porrecta. Antennæ epistomate fere duplo breviores. Palpi cylindrici, nigri, basi flavi. Thoracis dorsum lineis subtribus ferrugineis obsoletis, lateralibus parum perspicuis. Scutellum immaculatum. Abdomen ante incisuras setosum, linea dorsali segmenta 2, 3 & 4 transeunte ferruginea; in ♀ obsoleta. Alæ cinereo-pallescentes, costa parum ciliata, spinula parva. Nervi ut in *A. lasciva* (30) directi. Pedes spinosi, nigri, cinereo-micantes, trochanteribus & fracturis genuum plerumque ferruginantibus.

*Obs. Anthomyza leptogaster* Zett. Ins. Lapp. 666. 22., ut

var. b. tibiis obscure testaceis, ad *Anthomyzam coarctatam* infra (n:o 10) potius referenda.

††. Nervus transversus ordinarius inflexus. Tibiæ præsertim posticæ fortiter spinosæ.

33. *A. hilaris:* oblonga, angusta, cana; capite albido, macula utrinque obscura; fronte prominente; thoracis linea media postice dilatata, maculisque utrinque 2, scutelli margine laterali abdominisque fasciis 3 sinuatis, atris; alis hyalinis; antennarum seta longe plumata; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 57. 44. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 94. 19. ♂♀. T. 44. f. 9. ♀. Zett. Ins. Lapp. 666. 21. ♂♀. *Hylemyia* Macq. Buff. 2. 319. 13. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 315. 17.

Hab. in truncis arborum viventium, ligno cæso Populi &c., etiam in truncis exsiccatis, per silvas & hortos Sueciæ & Lapponiæ, 4 Jul.—25 Aug. passim; scilicet in Scania ad Lund &c. rarius; in Smolandia, D. D. *Boheman* & *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Stenkyrka, Lummelund &c. raro; in Helsingia ad Kårböle, D. *Dahlbom;* in Jemtlandia ad Ås, Östersund, Faxelfven &c., frequens; in Lapponia Umensi ad Åsele & Badstuträsk rarius; mas semper parcius occurrit.

♂♀. Similis priori, a qua vero antennis paullo longioribus, capite minus buccato, thoracis signaturis magis perspicuis, atris (nec brunneis), lateralibus maculiformibus, scutello lateribus nigro, abdominis incisuris atris, ut & alis hyalinis, nervo transverso ordinario distincte inflexo, abunde dignoscitur. Caput argenteum. Frons prominens. Oculi mediocres,

in ♂ per lineam frontalem angustam nigram & orbitas latiusculas modice late separati; in viva ferruginei. Palpi cylindrici nigri. Thoracis maculæ laterales 4, quarum 2 humerales rotundatæ, & 2 ante alas oblongæ; linea media postice dilatata, rotunda. Abdomen in ♂ angustum, lineare, pilosum, ano obtuso inflexo; in ♀ conicum, ano acuto; in utroque sexu ante incisuras setosum; singulo segmentorum 2, 3 & 4 basi fascia sinuata atra, & lineola media longitudinali obscura certo situ perspicua. Segmentum basale geminatum, unde quinque segmenta exstant. Alarum nervi ut in priori directi, sed transversus ordinarius fere in medio areæ mediæ insertus, obliquus & plerumque valde inflexus. Costa parum ciliata & spinula parva. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes validi, nigri, leviter cinereo-micantes. — Cave ne hanc cum *Anthomyza læta* infra, n:o 7, confundas.

*Obs.* In Meigeni descriptione maris hujus speciei dicuntur: "scutellum immaculatum" & "pedes basi ferruginei." In omnibus vero meis speciminibus, iisque multis, scutellum nigro-marginatum & tibiæ totæ nigræ semper deprehenduntur. Nullus tamen de identitate dubito. Forte juvenilia exempla ante oculos habuit Cel. *Meigen?*

31. *A. festiva:* oblonga, angusta, cana; capite albido; fronte prominente; thoracis linea media æqualiter lata, maculisque utrinque 2, scutelli margine laterali abdominisque vitta dorsali & incisuris, nigris; alis hyalinis; antennarum seta breviter plumata. ♀. (Long. 3—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in truncis arborum viventium, per Sueciam mediam, valde rara; tria tantum specimina lustravi: unum in Smolandia ad Skärsjö captum; alterum in Ostrogothia ad Lärketorp 17 Jul. 1833 inventum, & tertium etiam in Ostrogothia ad prædium Sätra 3 Aug. 1824 deprehensum.

♀. Valde similis & affinis priori; sed magnitudine paullo majore, maculis lateralibus obscuris juxta oculos valde obso-

letis vix nisi certo situ in rudimento conspiciendis, antennarum seta densius sed brevius plumata, thoracis linea dorsali media multo latiore, postice haud dilatata, abdominis incisuris latius nigris, vitta dorsali nigra latiore, distinctiore, ut & alarum nervis transversis leviter subfuscanis, certe diversa. — Palpi atri, clavati. Thoracis dorsum certo situ fusco-subquinque-lineatum apparet, lineolisque aliis 4 ad maculas humerales & vittam mediam sitis, ferrugineo-brunneis, instructum. Reliqua ut in *A. hilari.* (Cfr. etiam *Ar. Histrio* n:o 127).

*Sect. Secunda.* Oculi in utroque sexu distantes. *Coenosia* Auctorum.

35. *A. obtusipennis:* oblonga, griseo-cinerea, opaca; fronte parum prominente; thoracis lineolis 4, abdominisque punctis totidem minutis obsoletis, nigricantibus; alis obtusis, hyalinis, nervo transverso ordinario recto; squamis albidis; geniculis summis ferrugineis; antennis longe plumatis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 57. 46. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 193. 192. (ut *Coenosia*). — Zett. Ins. Lapp. 666. 20. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per hortos & silvas Scandinaviæ, 8 Jul.—24 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Tranås, Esperöd in paroecia Mellby, &c., passim; in Smolandia, D. *Boheman;* in Lapponia Umensi ad Lycksele, semel; in Norvegia ad Næs Værdaliæ & Björkvik Nordlandiæ, rarius; e Dania a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Flavescenti cinerea, setosa. Caput canescens. Oculi late (♂), aut latissime (♀) remoti; vitta frontali lata atra, macu-

la verticis grisea. Antennæ epistomate paullo breviores, angustatæ, nigræ, seta longe plumata. Os non reflexum. Palpi subcylindrici nigri. Thorax antice lineis 4 angustis, obscuris. Scutellum immaculatum. Abdomen oblongo-ovatum, griseum, ante incisuras setosum, punctis in segmentis 2 & 3 quatuor parvis, fuscis, obsoletis, interdum parum perspicuis. Anus in ♂ obtusus, inflexus, nigricans; in ♀ acutus, cinereus. Alæ longitudine fere abdominis, latiusculæ, rotundatæ, cinereo-hyalinæ. Nervi ut in *Ar. variata* (29) directi. Nervus transv. ordinarius subrectus. Costa ad medium perspicue ciliata. Spinula costæ distincta. Squamæ mediocres, albidæ, valvula superiori inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes sat validi, nigri, geniculis summis in utroque sexu, & tarsorum articulo penultimo in ♂, ferrugineis. — Variat nervis transversis leviter infuscatis; variat etiam junior tibiis anticis obscure piceis.

*Divis. Secunda.* Seta antennarum pubescens (cfr. Conspectus pag. 1374).

*Tribus* 1:*ma.* Oculi in utroque sexu nudi.

*α.* Femora antica subtus in ♂ uni- l. bidentata. ***Hydrotæa*** Macq. Meig.

a.) Nervus longitudinalis 4:tus versus apicem levissime flexus. Frons supra antennas puncto niveo.

36. *A. dentipes:* oblongo-ovata, nigra; capite albicante; thoracis vittis anticis albidis; abdomine cinereo-micante, linea dorsali nigra; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario leviter flexo; squamis albidis; *mas:* oculis appropinquantibus, femoribus anticis subtus unidentatis. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

*Musca* Fabr. Antl. 303. 95. ♂. Fall. Muscid. 60. 54. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 141. 105. ♂♀. Zett. Ins.

Lapp. 667. 27. ♂♀. *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 303. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 324. 12. — *Anthomyza anxia* Zett. Ins. Lapp. 668. 29 est varietas feminea hujus.

Hab. in graminosis, foliis fruticum, lapidibus &c., per hortos, prata & silvas Scandinaviæ, 20 Maj.—30 Sept., vulgatissima, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia & Uplandia, frequentissima; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Nähr, Fårön &c., haud rara; in Dalecarlia; in Jemtlandia usque ad Mullfjellet parce: in provinciis borealibus rarius occurrit, & in Lapponia Lulensi ad Quickjock a D. *Boheman*, atque in Tornensi tantum ad Junosuando & Wittangi a me lecta; in Norvegia ad Christianiam &c. rarius; in Dania frequens. (Ad Neuenkirchen jam 15 Maj., in hortis Gryphicis, & in Helgolandia, a D. *Dahlbom* copiose visa; e St. Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* etiam missa). Mas sedens pedes posticos fere rectos gerit. Larvæ in stercoratis & vegetabilibus putridis mensib. Julio & Aug. inveniuntur.

♂♀. Magnitudo *Muscæ domesticæ*. Frons parum prominens. Oculi magni, vitta in ♂ angustata atra, in ♀ lata nigra, disjuncti. Antennæ epistomate duplo breviores, latiusculæ, seta longa, basi incrassata ibique breviter pubescente. Os non reflexum. Palpi nigri, extrorsum subincrassati. Thorax niger, parum nitidus, antice vittis 5 obsoletis albidis. Abdomen ovatum, pubescens, apice setulosum, totum glauco-cinereum, maculis fusco-micantibus, linea media nigra, in ♂ evidentiori. Anus obtusus (♂), aut acutiusculus (♀). Alæ levissime fuscanæ (♂), aut hyalinæ (♀). Nervi longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli, sed hic versus apicem nonnihil inflexus; ille in summo apice alæ excurrens; hinc area versus apicem levissime coarctata. Nervi transversi: me-

dius apici nervi long. 1:mi præcise oppositus; ordinarius paullo ante medium areæ insertus, leviter flexus. Costa mutica. Spinula nulla. Squamæ mediocres, ciliatæ, albæ, valvula superiori inferiorem non tegente. Halteres albidi, clava obscura. Pedes nigri. *Mas:* femoribus anticis versus apicem subtus spina unica, brevi, subinflexa, armatis; tibiis ejusdem paris intus leviter incisis; femoribus intermediis basi subtus dense villosis.

37. *A. palæstrica:* oblonga, nigra; capite albicante; thorace antice obscure cinerascente, vittis 3 nigris; abdomine cinereo, linea dorsali nigra; alis squamisque fuscanis, nervo transverso ordinario flexo; *mas:* oculis appropinquantibus, femoribus anticis subtus unidentatis. ♂. (Long. fere 3 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 135. 93. ♂. *Hydrotæa* Meig. Dipt. 7. 324. 6.

Hab. in foliis fruticum Sueciæ meridionalis, 10 Jun. —15 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c. haud rara. In Sueciæ provinciis superioribus mihi non obvia. (E Glogavia a D. *Zeller* sub eodem nomine communicata).

♂. Simillima priori, a qua tamen alis magis fuscanis, nervo transverso ordinario distincte flexo, squamis dilute brunneis, nec albis, ut & abdomine cinereo, linea media nigra perspicua, sed præterea maculis fusco-micantibus nullis ornato, certe distincta. Caput omnino ut in præcedente. Thorax niger, subnitidus, antice certo situ obscure cinerascens, vittis 3 latis nigris. Abdomen oblongum, cinereo-cænum, linea dorsali integra, nigra. Alæ fuscanæ, basi fusco-flavescentes. Pedes exacte ut in prioris mare.

38. *A. bispinosa:* oblongo-ovata, cærulescenti nigra, nitida; capite albicante; abdominis segmentis basi

albo-micantibus, linea dorsali nigra; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario recto; squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus, femoribus anticis subtus bidentatis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponiis Lulensi & Tornensi rarissime; tria tantum individua lustravi, unum scilicet ad Muonioniska d. 17 Aug. 1821 a me inventum; alterum e Grönlandia per D. *Westermann* communicatum; & tertium in Lapponia Lulensi ad Quickjock mense Julio 1843 a D. *Boheman* lectum.

♂. *Ar. dentipedi* (36) valde similis & affinis, sed magnitudine paullo minore, oculis nonnihil magis cohærentibus, colore corporis magis in cæruleum vergente, thorace antice vix albo-vittato, abdomine cærulescente tantum segmentorum basi & lateribus glauco-albido, alarum nervo transverso ordinario recto, ut & femoribus anticis subtus versus apicem dentibus duobus brevibus obtusis armatis, intermediis subtus totis æqualiter, nec basi fasciculatim, villosis, vere distincta. Ab *Aricia meteorica* (39) & *irritante* (40), quibus etiam similis, nervis longitudin. 3 & 4 non exacte parallelis &c., & ab *Ar. spinipede* n:o 93, oculis nudis, nec hirtis, &c., mox dignoscitur. Halteres nigri, basi fusci. Pedes pilosi.

♀, a me non visa, a D. *Wahlberg* in janua templi Quickjockensis in unico exemplo capta erit.

b.) Nervus longitud. 4:tus rectus. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

*). *Mas:* femoribus anticis subtus bidentatis.

39. *A. meteorica:* ovata, halteribus nigris; *mas:* thorace atro, abdomine obscure cinereo, linea dorsali nigra, tibiis posticis intus nudis; *femina:* obscure cinerea, thorace nigro-vittato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas*: pilosus; oculis arcte cohærentibus; thorace & scutello atris, opacis; abdomine obscure cinereo, linea dorsali atra; alis squamisque fuscanis; halteribus nigris; femoribus anticis subtus versus apicem bispinosis; tibiis anticis basi coarctatis;

*Fem.*: parce setosa; oculis modice remotis; vitta frontali latiuscula nigra; orbita oculorum anguste alba; corpore obscure cinereo, thorace antice lineis angustis nigricantibus obsoletis; alis hyalinis, basi & squamis flavido-albis; halteribus fuscis; pedibus nigris simplicibus; in copula.

*Musca* Linn. Fn. Su. 1849. ♀. Fabr. Antl. 306. 110. Panz. Fn. Germ. 1. 19. ♀. Fallén Muscid. 61. 63. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 137. 96. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 668. 32. ♂♀. *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 306. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 324. 9. *Musca vaccarum* De Geer. Ins. 6. 85. 14. T. 5. f. 1.

Hab. in foliis fruticum & graminosis; mares choreas in aëre ducunt; feminæ equos & alia animalia infestant; larvæ ex intestinis hominum sæpe proventæ; occurrit per totam Scandinaviam sub tota æstate ubique longe frequentissima; in ipsis alpibus nivalibus Lapponiæ usque ad terminum vegetationis adscendens. In copula sæpe deprehenditur. Mas sub nomine "*Hydrot. velutina* var. minor?" e Dania missa. (E Neuenkirchen a D. *Dahlbom*, atque e Glogavia & Reinerzi a D. *Zeller*, communicata).

♂♀. *Musca domestica* minor. Oculi magni. Frons non prominens. Antennæ epistomate paullo breviores, angustatæ, seta breviter pubescenti, basi parum incrassata. Os non reflexum. Palpi cylindrici, nigri. Abdomen ovatum, postice setosum. Alarum nervi transversi: medius apici nervi long. 1:mi oppositus; ordinarius longe ante medium areæ mediæ angustatæ insertus, parum obliquus; rectus l. levissime subflexus. Nervus longitudinalis 3:tius in summo

apice alæ descendens. Costa mutica; spinula nulla. Squamæ mediocres valvula superiore inferiorem non tegente. Pedes parce spinulosi, femoribus in ♂ longiusculis. Tibiæ posticæ rectæ, intus nudæ.

40. *A. irritans:* ovata, halteribus flavis; *mas:* thorace nigro, abdomine cano, linea dorsali nigra, tibiis posticis intus nudis; *femina:* obscure cinerea, subimmaculata. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Mas:* pilosus; oculis arcte cohærentibus; thorace scutelloque nigris, subnitidis, abdomine læte cinereo, linea media nigra; alis squamisque leviter fuscanis; halteribus testaceis; femoribus anticis versus apicem bispinosis, posticis elongatis, tibiis anticis basi bis incisis, posticis subincurvis, intus a basi ultra medium nudis;

*Fem.:* parce setosa; oculis modice remotis, vitta frontali latiuscula fusca; orbita oculorum cana; corpore cinereo, thorace vestigio linearum fuscarum; alis hyalinis, basi & squamis albidis; halteribus flavis; pedibus nigris simplicibus; in copula.

*Musca* Fall. Muscid. 62. 58. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 134. 91. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 668. 30. ♂♀. *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 306. 13. Meig. Dipt. 7. 324. 4.

Hab. in graminosis & floribus, per prata & silvas totius Scandinaviæ, Jun.—Sept., ubique longe frequentissima, in copula multoties lecta; viatores etiam tenaciter persequitur, valde molesta, præsertim femina, quæ præterea in Vaccis nigris sæpe copiose observata. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* frequenter visa; & e Kilia a D. *Wiedemann* etiam communicata).

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine plerumque paullo majore, & præterea *maris* thorace minus atro, abdomine latiore & cano (nec obscure cinereo), alis squamisque le-

vius fuscanis, halteribus clava tantum subfuscis, tibiis anticis magis incisis, pedumque posticorum femoribus longioribus, angustioribus, tibiis subarcuatis; atque *feminæ* corpore subimmaculato, vere distincta. — Punctum album supra antennas in utroque sexu adest.

Var. b. ♂♀. in copula: oculis, præcipue maris, breviter & tenuissime hirtis; de cetero varietati a. ut ovum ovo similis, minime diversa. In Scania ad Lund & Esperöd, atque in Ölandia, passim. (Ad Hamburgum cum varietate genuina a D. *Dahlbom* capta).

**). *Mas:* femoribus anticis subtus unidentatis; oculis arcte cohærentibus.

41. *A. velutina:* ovata, aterrima; capite obscure cinereo; abdomine cinereo-micante, linea dorsali nigra; alis leviter fuscanis, basi squamisque brunneo-flavis; halteribus nigricantibus; pedum posticorum femoribus subelongatis, parum arcuatis, tibiis leviter curvatis, intus nudis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Hydrotæa* Rob. Desv. n:o 13. Macq. Buff. 2. 305. 10. ♂. Meig. Dipt. 7. 325. 18. ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in Scania semel lecta; e Dania sub nomine: "*Hydrotæa meteorica* Meig. Fall." missa. (E Glogavia etiam communicata).

♂. *Ar. meteorica* 39, paullo major, magnitudine nempe *A. irritantis.* Differt præterea a *meteorica* abdomine latiore, cano, nec obscure griseo, ab *irritante* thorace nigro velutino, halteribus nigris, nec testaceis, femoribus posticis modice elongatis & mediocriter angustis, tibiis anticis basi coarctatis, nec bituberculatis, & ab utraque femoribus anticis subtus versus apicem dente tantum unico parvo brevi armatis. Caput omnino ut in *meteorica.* Alarum nervi etiam ut in illa directi, sed nervus transvers. ordinarius leviter flexus.

42. *A. curvipes:* ovata, nigricans; capite albido; abdomine flavo, linea dorsali nigra; alis leviter fuscanis, basi, squamis halteribusque flavidis; pedum posticorum femoribus elongatis, basi angustis, tibiisque arcuatis, his medio intus penicillatis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 90. 121. ♂. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 136. 95. ♂. *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 305. 7. ♂. Meig. Dipt. 7. 321. 8. T. 71. f. 20. ♂.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel inventa.

♂. Magnitudo, statura & summa *A. irritantis* (40) similitudo, sed oculis fere majoribus, in fronte antice longius cohærentibus, abdomine late ovato flavó-pellucido, linea tantum dorsali & apice ani obscuris, pedibus posticis adhuc longioribus, tibiis ejusdem paris intus in medio fasciculo pilorum nigrorum, ut & femoribus anticis subtus unidentatis, differt.

43. *A. scambus:* ovata, atra; capite nigricante; abdomine obscure griseo, linea dorsali nigra; alis subhyalinis, squamis albidis, halteribus nigris; pedum posticorum femoribus elongatis, basi angustis, tibiisque valde, arcuatis, his medio intus seta erecta. ♂ (♀). (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 668. 31. ♂.

Hab. in Suecia boreali rarissime; in Lapponia Umensi ad Lycksele individuum unicum 1832 inveni; in floribus Ranunculi ad Skalstugan Jemtlandiæ d. 16 Jul. 1840 specimen quoque legit Cel. D. *Dahlbom.*

♂♀. Priori iterum valde similis; sed vere differt: capite thoraceque nigrioribus, abdomine minus inflato, obscure griseo,

nec flavo, alis vix l. parum fuscanis, squamis albidioribus, halteribus nigris, nec flavis, tibiis posticis magis arcua in medio seta elongata erecta apice incurva & parte po riori (a seta ad apicem tibiæ) intus distincte ciliata. Antennæ parvæ, epistomate duplo breviores. Frons & distincte pilosa. Abdomen griseum aut cinereum, li media nigra; præsertim postice sat dense pilosum. Til anticæ basi intus incisæ. Femora postica longa, arcua intus subnuda, extus pilosa.

♀ similis mari descripto, sed tota atra & dorsum oculis motis, halteribus testaceis, pedibus simplicibus; forte huj s femina; in Jemtlandia ad Åreskutan & Mullfjellet 24 Jul.-4 Aug. 1840 rarissime.

44. *A. armipes:* ovata, capite læte cinereo; puncto supra antennas albo; alis subhyalinis, squamis albidis, halteribus nigricantibus; *mas:* thorace nigro, abdomine cinereo, linea dorsali obscura; pedibus posticis modice elongatis; femoribus subtus in medio seta erecta; tibiis subrectis intus in medio penicillatis; *femina:* cinerea, subimmaculata, pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 75. 86. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 138. 98. ♂♀. *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 305. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 324. 11.

Hab. in Scandinavia meridionali passim; in copula sæpe capta; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Lindholmen &c., haud infrequenter; in Dania, D. *Staeger.* (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia communicata). Autumno & hieme larvæ in stercore bovino antiquo sæpe inventæ. Imagines jam mense Majo declarantur.

♂♀. Valde similis & affinis *Ar. meteoricæ* (39), & *irritanti* (40), sed a priore abdomine *maris* lætius cinereo, alis squamisque parum fuscanis, pedibus posticis aliter vestitis,

thoraceque feminæ subimmaculato; a posteriore magnitudine minore, halteribus obscuris, nec flavis, tibiis anticis basi coarctatis, nec tuberculatis, pedumque posticorum vestitu; & ab utraque femoribus anticis subtus in ♂ uni-, nec bidentatis, certe distincta. — Seta antennarum subnuda. Oculi in ♂ cohærentes; in ♀ modice distantes, vitta frontali nigra, cinereo-micante, opaca, macula verticis subnitida. Abdomen ovatum, tenuiter pilosum. *Mas:* pedes postici subelongati, femoribus subangustatis, subtus in medio seta tenui erecta, apice pilosulis, tibiis rectiusculis, intus in medio fasciculo pilorum, & postice (inter fasciculum pilorum & apicem tibiæ) ciliatis & pilosulis. — Variat ♂ femoribus posticis subtus in medio setula gemina.

*Obs.* Specimina Falleniana ("♂ & ♀ in copula semel juncta") paullo minora sunt & nitidiora (forte detrita), præsertim femina; sed in essentialibus nihil differunt ab exemplis utriusque sexus majoribus, quæ in Scania & Dania haud raro colliguntur. — Cum *Ar. occulta* n:o 95, quæ oculis hirtis gaudet, non confundenda.

45. *A. glabricula:* ovata, nigra, nitida; epistomate cinereo; alis subhyalinis; squamis albidis; halteribus nigricantibus; femoribus anticis in ♂ subtus unidentatis, pedibus posticis in utroque sexu simplicibus. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 75. 87. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 155. 126. ♂. (♀ l. c. allata ob "frontem obscure cineream" ad aliam speciem forte referenda). — Zett. Ins. Lapp. 687. 117. var. a. ♂♀. — *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 305. 11. Meig. Dipt. 7. 324. 13.

Hab. in Scandinaviæ fruticibus & floribus, 24 Jun.— 15 Aug., passim; in copula; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Tranås, Esperöd &c., haud rara; in Ostrogothia ad Wadstena, minus frequens; in Lapponia Umensi ad

Wilhelmina, parce; in Nordlandia Norvegica ad Björkvik, & in inferalpinis Finmarkiæ ad Bossekop, raro.

♂♀. Minuta, tota nigra, nitida. Oculi in ♂ longe & arete cohærentes; in ♀ modice remoti, interstitio frontali toto nigro nitidissimo. Frons non prominula. Punctum supra antennas in utroque sexu niveo, in ♂ præsertim perspicuo. Antennæ breviusculæ, seta subnuda. Epistoma obscure cinereum. Alarum nervi ut in prioribus directi, & transversi perpendiculares, recti & paullo approximati. Squamæ albidæ. Halteres nigri. Abdomen breviter ovatum, parum setulosum. Pedes mediocres, femoribus anticis in ♂ subtus unispinosis, tibiis basi leviter coarctatis. Femora & tibiæ postica in utroque sexu recta. — Cum *Lauxaniis*, *Madizis* & *Agromyzis* non confundenda.

*Obs. Anthom. glabricula* var. b. & c. Zett. Ins. Lapp. l. c. non ad hanc speciem pertinent, sed var. b. ad *Aric. stygiam* (175), & var. c. ad *Aric. occultam* (95) referendæ.

B. Femora antica in utroque sexu mutica.

*Subdiv.* 1:*ma.* abdomine aut nigro aut cinereo; subimmaculato aut linea tantum dorsali plus minus dilatata l. sinuata instructo, sed nullis maculis discretis ornato.

†. Nervus transversus ordinarius rectus aut subrectus.

46. *A. leucostoma:* ovata, cærulescenti atra, immaculata, nitida; epistomate maculaque supra antennas albis; alis albido-hyalinis, nervis pallidis, squamis fuscis; *mas:* oculis cohærentibus, tibiis posticis incurvis, intus pilosis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Wied. Zool. Magaz. 1. 1. 82. 31. ♂♀. Fall. Muscid. 61. 56. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipl. 5. 160. 136.

♂♀. Ejusd. 7. 326. 1. Zett. Ins Lapp. 667. 28. ♂♀. *Ophyra* Macq. Buff. 2. 308. 1. ♂♀. T. 17. f. 5.

Hab. in foliis fruticum, per Scandinaviam, 10 Jun.—28 Sept., vulgaris, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia (ad Borgholm), Nericia & Uplandia, frequens; deinde rarescit, & in provinciis magis borealibus mihi tantum rarissime obvia; in Norvegia meridionali ut ad Christianiam, D. *Dahlbom*; in Dania non raro, D. *Staeger*. (E Kilia a D. *Wiedemann*, atque e Rixdorf & Moabite prope Berolinum a D. *Dahlbom*, qui eandem etiam ad Gryphiam frequenter legit, communicata. E St. Sever Galliæ plura specimina a D. *Leon Dufour* etiam missa). Larvæ in stercore degunt.

♂♀. Similis *Ar. dentipedi* (36), sed differt: magnitudine paullo minore, colore corporis magis cærulescenti, immaculato, macula supra antennas nivea majore, alarum nervis pallidioribus, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, squamis fuscanis, femoribus anticis muticis, *maris* oculis magis cohærentibus, licet non arctissime, tibiis posticis (♂) arcuatis & intus villosis, ut & *feminæ* interstitio frontali non albo-marginato. — Oculi maximi, ferruginei. Frons minime prominens. Antennarum nigrarum seta subnuda seu brevissime tantum puberula. Epistoma infra oculos non descendens; argenteo-micans. Abdomen breviter ovatum, in ♂ pubescens. Alæ nudæ. Costa mutica; spinula nulla. Area media non lata. Nervi transversi: medius apici nervi longit. 1:mi oppositus, ordinarius paullo ante medium areæ insertus, subperpendicularis, subrectus l. leviter inflexus. Halteres obscuri l. nigri. Pedes mediocres, parum spinosi; nigri. — Variat ♀: alis basi squamisque flavo-albidis, ad Talvig Finmarkiæ Norvegicæ d. 2 Aug. 1821 semel capta. Zett. Ins. Lapp. p. 668; sed hæc varietas forsan ad *Ar. spinipedem* infra n:o 93, potius referenda?

47. *A. piligera;* oblonga, nigra, undique pilosa; epistomatis lateribus obscure cinereis; ore reflexo; abdomine cinerascente, vitta dorsali nigra; alis hyalinis, squamis albis, halteribus obscuris; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia media & boreali, 20 Jul.—4 Aug., valde rara; scilicet in Gottlandia ad Storugns prope Kapelshamn; & in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen pauca individua inveni.

♂. Pilositas totius corporis & pedum sat densa speciem mox ab affinibus distinguit. Tota fere nigra, subnitida. Frons parum prominula. Antennæ breves, seta sat distincte pubescente. Oculi majusculi. Epistoma breve, lateribus certo situ albido-micans, ore reflexo. Thorax antice nigricans, lineis atris parum perspicuis. Abdomen oblongum, parum convexum, obscure cinereum, segmentis æque longis, 1:mo fere toto reliquisque linea dorsali, incisurisque tenuiter, nigris. Linea vero hæc certo situ dilatata apparet, unde quasi macula late trigona in singulo segmento observatur. Alæ hyalinæ, præsertim basi subfuscanæ. Costa parum ciliata; spinula nulla. Nervi longitudinales: 3:tius in apice paullo latior, quam in medio sit. Nervi transversi subperpendiculares, recti, horum medius apici nervi long. 1:mi exacte oppositus, ordinarius psullo ante medium areæ insertus. Squamæ albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres nigri. Pedes mediocres, nigri, pilosi, sed vix spinulosi. Pulvilli mediocres, albi.

48. *A. fuscinervis;* elongata, nigricans, subnitida; epistomatis lateribus obscure albo-micantibus; fronte parum prominula; alis hyalinis, nervis flavedine cinctis; costa basi ciliata; squamis pallidis, halteribus testaceis, clava obscura. ♀. (Long. 2—2¼ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 671. 44. ♀. *Anthom. lanceolata* Zett. Ins. Lapp. 672. 45. ♀. varietas.

Hab. in foliis fruticum, præsertim per Scandinaviam borealem, 1 Jul.—29 Aug.; scilicet in Scania ad Esperöd semel; in Smolandia ad Skärsjö rar.; in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman;* in Jemtlandia boreali ad Rätan, Hofverberget, Ristansfors usque ad radicem Åreskutan & Mullfjellen, frequens; in Lapponia Umensi sylvatica ad Åsele atque Lycksele, & Tornensi ad Kengis & Karesuando, parce; in Norvegia boreali ex. gr. ad Thynæs raro. (Ex Yläne Finlandiæ a D. Prof. *Sahlberg* communicata).

♀. Affinis & similis priori, sed differt: vestitu corporis parcius setoso, nec dense piloso, antennarum setæ pubescentia subtiliore, abdomine lanceolato, cinerascenti-nigro unicolore, alis magis flavescentibus, costa præcipue a basi ad medium ciliata, squamis subflavidis, ut & pedibus spinulosis. — Oculi modice remoti, vitta frontali lata, atra, postice grisea. Orbita oculorum cinerascens. Os parum reflexum. Anus acutus. Spinula costæ alarum haud distincta. Squamæ parvæ, valvulis subæqualibus. Halterum petiolus obscure testaceus. — An femina sequentis?

49. *A. obscuripennis:* oblonga, nigra, subnitida; epistomatis lateribus obscure albo-micantibus; fronte parum prominula; alis nigricantibus, costa basi subciliata; squamis albidis; halteribus nigris; abdomine cinerascente, linea dorsali nigra; *mas:* oculis appropinquantibus. ♂. (Long. 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 672. 47. ♂.

Hab. in Scandinavia præsertim boreali cum priori, 3 Jul.—4 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd semel

capta; in Jemtlandia boreali ad Åreskutan, Mullfjellen & Stalltjernstugan, sat frequens; in Lapponia Umensi ad Stensele rar., D. *Dahlbom*; in Norvegia ad Dovre, D. *Boheman*; ad Thynæs & Suul Værdaliæ, in fenestris passim. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂. Simillima priori, cujus mas forte est, sed in copula non capta. Differt a præcedente præter differentiam sexus etiam alis nigris, nec flavidis, ut & abdomine linea media nigra obsoleta, nec immaculato. Antennæ mediocres, non validæ. Oculi subappropinquantes, interstitio frontali nigro disjuncti. Os subreflexum. Alæ totæ æque nigricantes. Abdomen fere ut in *Ar. piligera* (47), sed sublineare, subconvexum. Anus subtus tuberculatus. Tibiæ spinulosæ. In specimine scanico alæ subflavicantes & costa tota breviter ciliata, de cetero lapponicis simillimo, nec specie diverso.

50. *A. inuncta:* ovato-oblonga, nigro-cinerascens, subnitida; epistomatis lateribus argenteo-micantibus; fronte parum prominula; thoracis lineis 4 obscuris; alis hyalinis, costa vix ciliata; squamis albidis; halteribus flavis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 672. 48. ♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis fruticibus, 27 Jun.—14 Jul., valde rara, tria tantum specimina lustravi, nempe unum in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet, alterum in Lapponia Umensi ad Lycksele, & tertium in fenestra ad diversorium Suul in jugo alpino Norvegico situm, capta.

♀. Ab *Ar. fuscinervi* (48,) cui valde similis, magnitudine paullo minore, statura nonnihil magis ovata, colore obscure cinerascente, thoracis lineis subquatuor nigricantibus, interstitio frontali forte paullo angustiore, orbita oculorum albidiore,

alis cinereo-hyalinis parum flavedine tinctis, costa nudiore, spinula minuta, ut & halteribus flavis, dignoscitur. Antennarum seta pubescens. Squamæ sub alis parvæ, albidæ, valvula superiore inferiorem haud tegente.

51. *A. æneiventris:* oblongo-ovata, nigro-cinerascens, subnitida; capite grisescente; fronte parum prominula; thoracis lineis 4 obscuris; abdomine æneo-micante; alis subhyalinis, nervis transversis infuscatis, costa parum ciliata; squamis albidis, halteribus flavis. ♀. (♂?) (Long. 2 lin.).

Hab. in Dalecarlia, in alpes adscendens, a D. *Boheman* detecta mihique in 2 speciminibus ad describendam communicata; etiam ad Quickjock Lapp. Lulensis a D. *Wahlberg* capta.

♀. Similis priori; sed magnitudine paullo majore, alarum nervis transversis fuscedine cinctis, ut & abdomine ovato, nitido, leviter ænescente, certo situ cinereo-micante, imprimis dignota. Caput griseum, nitidum. Frons modice lata; vitta latiuscula nigra macula postica cinerea. Os non reflexum. Antennæ mediocres, nigræ, seta distincte pubescente, seu fere breviter plumata. Thorax obscure cinereus, vittis 4 nigris, lateralibus indeterminatis. Abdomen apice acutum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis rectissimis, distincte infuscatis, maculaque ad exitum nervi long. primi fusca, obsoleta. Spinula costæ parva. Nervi long. 3 & 4 versus apicem paullo divergentes. Squamæ non magnæ, albidæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Pedes nigri, tibiis spinulosis.

Var. b. ♀. paullo major, oculis tenuissime hirtis. An hujus? in Lapponia Lulensi ad Quickjock a D. *Boheman* inventa.

♂. Similis varietati a. feminæ descriptæ, sed oculis cohærentibus, antennarum seta breviter puberula, ut & fronte non prominente, differt. An ejus mas?? Abdomen ovale, subdepressum, nitidum, nigrum, incisuris tenuiter, maculisque lateralibus indeterminatis, cinereis. Alæ hyalinæ, leviter fuscanæ, basi, nervis transversis maculaque ad exitum nervi long. 1:mi, obscuris. A D. D. *Boheman* & *Wahlberg* in Lapponia Lulensi ad Quickjock Jul. 1843 deprehensus.

52. *A. nigriventris:* ovato-oblonga; thorace cinereo, opaco, fusco-trilineato; epistomate argenteo; fronte vix prominula, vitta atra in medio polita; abdomine nigro, nitido; alis hyalinis, nervis fuscedine cinctis, costa basi ciliata; squamis albidis; halteribus flavis. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

Boheman in litt. 1843.

Hab. in graminosis locis humidis in Lapponia Lulensi, ubi in convalle Quickjockensi & in palude Betula nana repleta prope latus superius lacus Saggat-träsk a D. Prof. *Boheman* 8 Jul.—10 Aug. 1843 lecta mihique communicata; etiam in Norvegiæ alpibus ab Eodem inventa.

♀. Oblonga, parce setosa. Oculi mediocres, modice remoti. Interstitium frontale atrum, velutinum, macula media elongato-cordata, nigra, nitidissima. Antennæ mediocres, nigræ, seta subtiliter puberula. Orbita oculorum & epistoma perpendiculare, argentea. Setæ oris paucæ. Palpi atri. Thorax griseus, antice lineis 3 angustis, brunneis. Scutellum griseum. Abdomen oblongo-ovatum, nigrum, nitidissimum. Alæ breviusculæ, fusco-hyalinæ. Nervi ut in *Ar. fuscinervi* (48) directi, sed crassiores & fuscedine (nec flavedine) perspicua cincti, in primis tansversi. Nervus longitud. 2:dus apice ad costam umbra fusca cinctus. Costa basi ciliata; spinula adest.

Squamæ mediocres, albidæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Pedes nigri, parce pilosi & spinulosi.

53. *A. argyrata:* oblonga, nigra, parum cinereo-micans; capite argenteo; fronte leviter prominula, vitta atra; alis subhyalinis, basi, squamis halteribusque flavidis; costa parum ciliata; *mas:* oculis appropinquantibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza argyrocephala* Zett. Ins. Lapp. 670. 37. ♂.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norvegicæ rarissime; ad Björkvik 14 Jul. 1821 in unico specimine deprehensa.

♂. Similis *Ar. fuscinervi* (48). Setosa, sed parum pubescens, nigra, levissime cinereo-micans. Caput argenteum. Frons subprominula. Oculi per orbitam tenuissimam albam & vittam frontalem angustatam atram, disjuncti. Os non reflexum. Antennæ nigræ, seta capillari breviter & tenuiter puberula, basi infima subincrassata. Abdomen conicum, ano subcompresso, anum feminarum mentiente. Alæ cinereo-hyalinæ, basi pallide flavæ. Nervi ut in *A. fuscinervi* directi. Costa parum ciliata. Spinula vix ulla. Squamæ parvæ, flavo-albidæ, ciliatæ, valvulis subæqualibus. Halteres flavi. Pedes spinosi.

*Obs.* Sub nomine *Anthom. argyrocephala* Dom. *Meigen* Dipt. 5. 145. 107. aliam speciem descripsit, ergo nomen nostrum recentius in *argyratam* mutavimus.

54. *A. maculifrons:* oblonga, cinereo-grisea, vix maculata; fronte subprominula, argenteo-cinerea, nitida, macula supra antennas lutea; alis hyalinis, basi, squamis halteribusque flavidis; costa parum ciliata; *mas:* oculis subapproximatis. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 672. 46. ♀ (immerito, nam specimen masculum est).

Hab. in alpe Dovre Norvegiæ, a D. *Boheman* inventa.

♂. Setosa. Affinis *Ar. murinæ* 144. Antennæ mediocres, articulo ultimo brevissime pubescente; 2:do duplo longiori. Seta brevissime puberula. Frons subangustata. Oculi subappropinquantes, per vittam frontalem angustatam atram, lateribus distincte albido-marginatam, sejuncti. Macula supra antennas determinata, fulva. Os haud inflexum. Thorax inæqualis, læte cinereus, certo situ subfusco-maculatus. Scutellum cinereum. Abdomen ovato-subcompressum, griseum. Alæ ut in priori, longiusculæ, squamis parvis halteribusque flavis. Pedes nigricantes, spinosi.

55. *A. lividiventris:* oblonga, nigricans, opaca; epistomate cinereo; ore fronteque non prominentibus; abdomine flavescenti-cinereo; alis subhyalinis, costa nudiuscula, basi, squamis halteribusque flavis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine conico, ano inflexo, nigro. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Var. a. ♂. 2 lin. long., alis subfuscanis, nervis fuscedine leviter cinctis.

Var. b. ♂. $1\frac{1}{2}$ lin. long. alis hyalinis, nervis fuscedine non cinctis; an individua juvenilia?

Hab. in Lapponia Lulensi mense Julio forte rara; utraque varietas ad Quickjock capta, sed var. a. a D. *Boheman*, & var. b. a D. *Andersson*, mihi communicatæ.

♂. Statura & affinitas prioris. Oculi sat magni, arcte cohærentes. Vitta frontalis supra antennas triangularis, atra, cinereo-marginata. Antennæ longiusculæ, subangustatæ, nigræ, seta breviter pubescente, basi incrassata. Frons haud prominula. Palpi subfiliformes, nigri. Thorax nigricans,

subnitens (an detritus?), humeris cinerascentibus. Scutellum nigricans. Abdomen cylindrico-conicum, opacum, pilosum, totum flavescenti pollinosum. Anus tuberculo duplici, posteriori inflexo; totus niger, nitidus, leviter cinereo-micans. Alæ ima basi ferrrugineæ. Nervi longitudinales 3 & 4 leviter versus apicem divergentes; transversus ordinarius sat longe ante medium areæ mediæ insertus, subobliquus, rectus. Squamæ mediocres, fulvescenti flavæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes simplices, spinulosi, nigri. Pulvilli sat magni, albi.

56. *A. squalens:* oblonga, obscure cinerea, opaca; capite læte cinereo, nitido; fronte distincte prominente; thoracis lineis 2 angustis, abdominisque unica obsoleta, fuscis; alis subhyalinis, nervis transversis infuscatis; costa, basi subciliata; squamis albidis; halteribus flavis. ♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 669. 36. ♀.

Hab. in Lapponia 2. Jun.—12 Jul. rarius; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele, & in alpium Tornensium jugo, a me parcissime lecta.

♀. Oblonga, cinerea, setosa. Oculi sat late remoti, vitta frontali lata, opaca, nigra, cinereo-micante. Antennæ mediocres, nigræ, seta breviter plumata, basi incrassata. Frons porrecta. Epistoma subperpendiculare, & orbita oculorum late, canescentia. Os haud reflexum. Thorax cinereus, lineis 2 anticis mediis fuscis, & 2 lateralibus interruptis ejusdem coloris. Scutellum cinereum. Abdomen oblongum, apice acutum, ano compresso; totum cinereum, interdum vestigio obsoleto macularum & lineæ mediæ fuscarum. Hæ vero signaturæ plerumque vix observandæ. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis leviter infuscatis. Nervi ut in *Ar. fuscinervi* (48) directi, sed transversus ordinarius perspicue longius a margine interiore alæ remotus. Costa ad

basin breviter ciliata. Spinula distincta. Squamæ mediocres. albidæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Pedes spinulosi. Affinis *Ar. latipenni* infra 118, sed epistomate non retuso. Cum *Ar. longula* infra n:o 179, non confundenda.

Var. b. ♀. paullo robustior, tota nigricans, thorace subvittato, alis basi squamisque flavicantibus; an specimen detritum hujus? In silva Wittangi Lapponiæ Tornensis d. 15 Jun. capta. Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♀.

57. *A. cinerea:* oblonga, cinerea, opaca; capite læte cinereo, nitente; fronte distincte prominente; thorace tenuiter fusco-lineato; abdominis linea dorsali obscura; alis cinereis, basi, squamis halteribusque flavis; costa basi ciliata; *mas:* oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. fronte supra antennas nigra immaculata.

*Musca* Fall. Muscid. 70. 75. ♂. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 199. 203. ♂. Zett. Ins. Lapp. 671. 41. ♀. *Musca flavicans* Panz. Fn. Germ. 54. 18. ♀.

Var. b. ♂♀. in copula; vitta frontali nigra, macula supra antennas flava.

*Musca cinerea* Fall. Muscid. l. c. ♀. *Anthomyia* Meig. l. c. ♀. Zett. l. c. ♀. *Musca floralis* Fem. Fall. Muscid. 71. 76.

Hab. in floribus Chrysanthemi leucanthemi, Umbellatarum &c., per hortos & prata Scandinaviæ, 22 Jun.—29 Aug., passim, feminæ frequentiores; scilicet var. a. in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd &c., non rara; in Smolandia; in Ostrogothia ad Wadstena; in Gottlandia ad Garde raro; in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman;* in Jemt-

landia usque ad radicem Åreskutan & diversorium Skalstugan, vulgaris; in Lapponia Umensi ad Wojmsjön, Tresunda & Wilhelmina, passim; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson;* in Norvegia ad Næs Værdaliæ & in inferalpinis Nordlandiæ ad Raschtind, rarius; in Dania; var. b.: in Scania ad Lund, Fogelsång, Tranås & Esperöd; in Ostrogothia ad Wadstena; in Jemtlandia ad Åreskutan; in Lapponia ad Wilhelmina. (Utraque varietas a D. *Zeller* e Glogavia missa, & varietatem b. sub nomine: "*Anth. gnava* Bouch." & "*Anthomyia fusca* Bouch." 2 specimina feminea ab Eodem quoque obtinui).

♂♀. Magnitudo, statura & color ut in *Ar. latipenni* infra 118, cui valde affinis, sed abdomine angustiore, epistomate forte minus retuso, fronte magis porrecta, antennis angustioribus, thoracis lineis 2 approximatis, fuscis, ut & alis minus flavicantibus, differt. Cinerea. Frons præsertim in ♀ prominens. Oculi obscure ferruginei, in ♂ sat magni, cohærentes; in ♀ parvi, sat late distantes, vitta frontali aut nigra immaculata, aut macula supra antennas plus minus distincta notata. Antennæ mediocres, nigræ, seta brevissime puberula, basi tenuiter incrassata. Thorax cinereus (♂), aut læte cinereus (♀), lineis 2 angustis, in ♂ obscuris, in ♀ dilute brunneis; plerumque obsoletis. Rudimentum lineæ 3:tiæ in medio dorsi sæpe observatur. Abdomen cinereum; in ♂ lineare, subdepressum, linea media fusca, incisuris setosis; in ♀ lanceolato-oblongum, subimmaculatum, parum setosum. Alæ subflavidæ, præsertim nervis pallidæ. Nervi fere ut in *Ar. fuscinervi* 48, directi, sed longitudinales 3 & 4 subparalleli. Spinula costæ adest. Squamæ parvæ, sordide albo-flavidæ, valvulis subæqualibus. Halteres flavi. Variat etiam ♀ antennarum seta distincte pubescente, & fronte nonnihil minus prominula; alias var. a. simillima, e Gusum Ostrogothiæ sub nomine: "*Anth. cinerea?*" missa a D. Prof.

*Wahlberg.* Forte hujus? Individuum simillimum, fronte supra antennas macula flava, in Scania ipse legi.

58. *A. brunneilinea:* oblonga, obscure cinerea, opaca, undique setosa; capite plumbeo; fronte leviter prominente; ore non reflexo; thoracis lineis subquinis, abdominisque linearis depressi unica, brunneis; alis cinereis, basi, squamis halteribusque flavidis, costa subciliata; *mas:* oculis subappropinquantibus, ano tuberculato. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Sueciæ meridionalis hortis & pratis, 6 Jul. —12 Sept., rarius; scilicet in Scania ad Lund (in Paradislyckan); in Gottlandia ad Nähr; in Westrogothia ad Höberg, D. *Gyllenhal.*

♂. Similis *Ar. piligeræ* (47), sed colore minus obscuro, oculis remotioribus, ore non reflexo, corporis setis paullo fortioribus, thoracis lineis 5 dilute brunneis, abdomine magis lineari & subdepresso, linea dorsali fusca simplici, alis leviter flavicantibus, costa subciliata, ut & halteribus flavis, nec obscuris, abunde distincta. Ab *Ar. florali* n:o 147, cui etiam similis, antennarum seta distinctius pubescente &c., differt. Palpi subfiliformes, nigri. Vitta frontalis subangustata nigra, orbita oculorum albescente. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli. Spinula costæ adest. Squamæ sub alis parvæ, flavido-albidæ, valvulis æqualibus. Anus ater, nitidus, & tubercula subtus 2, pilosa. Thoracis lineæ interdum obsoletæ. Pubescentia in antennarum seta distincta, subferruginea. Pedes distincte spinosi. — In specimine Gottlandico macula parva supra antennas fulva. — Cum *Ar. antiqua* (180), cui abdominis pictura similis, oculis non arcte cohærentibus &c., differt.

59. *A. ignobilis:* oblonga, nigricans; capite argenteo-micante; fronte leviter prominente; ore non reflexo;

abdomine cinereo, linea dorsali nigra; alis hyalinis, costa nuda; squamis albidis; halteribus flavis; *mas:* oculis appropinquantibus, ano tuberculato. ♂. (♀). (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Hab. in Botnia boreali, ubi ad Råbäcken paroeciæ Öfver-Luleå in copula a D. *Wahlberg* lecta; in Dalecarlia, D. *Boheman*.

♂. A priori, cui similis, differt præcipue: thorace obscuriore, abdomine subcylindrico, alis hyalinis, nec flavicantibus, ut & costa mutica. Corpus quoque nonnihil minus valide setosum, quam in præcedente. Caput exacte ut in priori. Thorax obscure cinereus, dorso vittis subtribus latis nigris. Scutellum nigricans. Abdomen obscure griseo-cinereum, segmento 1:mo toto, reliquisque linea media, nigris. Anus ut in priori. Alarum nervi quoque ut in illa directi, transverso ordinario levissime subflexo. Squamæ parvæ, albidæ, valvulis subæqualibus. Pedes mediocres, parce setosi. — *Femina* a me non lustrata.

60. *A. pullula:* oblonga, cinerea, opaca; capite albicante; fronte parum prominente; ore vix reflexo; thoracis lineis subtribus, abdominisque unica, fuscis; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, costa ciliata; squamis halteribusque albidis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine subcylindrico, ano inflexo, atro, nitidissimo. ♂♀. (Long $1$—$1\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyia longula* Meig. Dipt. 5. 103. 36. ♂♀. (excl. syn. Fall. quod ad *Ariciam longulam* nob. n:o 179 pertinet). *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 315. 16. Macq. Buff. 2. 321. 23. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media rarissime;

in Scania ad Esperöd locis aridis d. 10 Aug. unicum par deprehensum; in Ostrogothia ad Lärketorp mas semel; in Dania ad Dyrhaven d. 17 Jul. 1842 a D. *Staeger* capta mihique in utroque sexu sub nomine: "*A. longula* Fall." missa.

♂♀. Simillima *Ar. brunneilineæ*, 58, a qua tamen corpore duplo l. triplo minore, multo minus setoso, alarum nervis transversis fuscedine cinctis, & oculis maris sat arcte cohærentibus, mox distinguitur. Caveas quoque ne cum *Ar. longula* (179) & *parvula* (219), quoad nervos transv. infuscatos similibus, confundas. Caput plumbeum. Oculi in mare postice arcte cohærentes, macula supra antennas triangulari nigra; in femina late remoti, vitta frontali lata grisea, & orbitis canis. Thoracis lineolæ 3 brunnescentes, in ♀ præsertim obsoletæ. Abdomen maris ut in *brunneilinea* constructum & coloratum, at linea dorsali nigra, subinterrupta. Abdomen feminæ conicum, læte griseo-cinereum, maculis 4 fuscis in serie dorsali positis. Alæ & squamæ ut in *brunneilinea*, sed nervi transversi infuscati. — Cum *Ar. cinerosa* (61), *cinerella* (227) & *parvula* (219,) non confundenda. — Abdomen maris in mortuo subdepressum.

**61.** *A. cinerosa:* oblonga, nigricans, leviter cinereo-micans; epistomate albido; fronte vix prominente; ore non reflexo; abdomine lineari subdepresso linea dorsali nigra (♂), aut conico immaculato (♀); alis flavescentibus, costa ciliata, spinula distincta; squamis halteribusque albidis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza cinerella* Meig. Dipt. 5. 100. 30? ♂♀. (exclus. syn. Fall.). — *Hylemyia* Ejusdem 7. 316. 35?

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; mas sub nomine "*Anthom. cinerella* Meig." e Dania a D. *Staeger*

communicatus; femina mihi ignota. Ante plures annos specimen masculum sub nomine: "*A. flavipennis* n. sp." ex Hafnia quoque missum.

♂. Similis *Ar. piligeræ* (47) & *pullulæ* (60), sed ab illa magnitudine paullo minore, ore non exserto, alis flavidis, halteribus albidis &c., & ab hac magnitudine duplo majore, thorace immaculato, alis flavidis, nervis transversis non infuscatis, ut & oculis non arcte cohærentibus, certe & facile dignoscitur. — Tota subnitida, pilosa & præsertim abdomine ad incisuras, & pedibus, setosa. Caput rotundatum. Antennæ mediocres, seta breviter pubescente. Proboscis crassiuscula. Palpi breves, filiformes. Thorax & scutellum griseo-cinerea, immaculata. Abdomen lineare, depressum, obscure cinereum, linea dorsali e maculis 4 subcohærentibus conflata, nigra. Squamæ sub alis parvæ, ciliatæ, albidæ, valvulis subæqualibus. Halteres flavi. Pedes nigri.

♀. Similis mari, teste D. *Meigen;* sed capite læte cinereo, fronte lata, ferrugineo-flava, albido-marginata, abdomineque breviter conico immaculato, differt; mihi de cetero latet, nisi specimen femineum, alis flavis, fronte cinerea, vitta lata nigra albo-micante, abdomine nigro-nitente, in prato ad Östergarn Gottlandiæ d. 16 Jul. captum, huc referre vellem.

*Obs.* Antennarum seta breviter plumata in specie Meigeniana dicitur; in nostra autem tantum breviter pubescens est. — *Musca cinerella* Fall. jam 1825 a Cel. Auctore descripta, alia est species sub n:o 227 quærenda. Hinc ratio mutationis nominis. — Similis *Ar. flavipenni* n:o 31, sed antennarum seta subnuda, nec plumata, mox dignota.

62. *A. sulciventris:* antennis breviusculis oblonga, nigra, capite argenteo-micante; fronte parum prominente; ore subreflexo; abdomine transversim sulcato, segmentis basi & vitta dorsali nigris; alis hyalinis, costa nuda, squamis albis, halteribus flavis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine ovali, subdepresso. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandia & Jemtlandia boreali rarissime; ad Kräklingbo, & ad radicem Mullfjellet, 16 Jul. 1841 & d. 27 Jul. 1840 exempla descripta deprehendi. (E Glogavia a D. *Zeller*, & e Neuenkirchen & Eldena a D. *Dahlbom* etiam communicata).

♂. Similis *Ar. transversali* (149), sed antennis multo brevioribus, seta in medio distinctius pubescente, ore magis exserto, thorace obscuriore, abdomine transversim quadrisulcato, segmentis basi fascia transversa, & certo situ vitta dorsali longitudinali, nigris, nec incisuris albis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, nec versus apicem leviter divergentibus, ut & squamis albidioribus, vere distincta. Thoracis vittæ 3 nigræ in fundo obscuro vix distinguendæ. Styli ventrales 2 prope anum parvi, nigri. Abdomen sat dense pubescens. Alæ levissime fuscanæ, nervo transv. ordin. paullo ante medium areæ insertus, subobliquus, rectus. Squamæ parvæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Pedes pilosi, tibiis posticis intus nudi, sed extus setis 3—4 longioribus instructi. Valde affinis & similis *Ar. humerellæ* infra n:o 228, sed magnitudine nonnihil majore & valvula squamarum superiore inferiorem minus tegente, diversa videtur.

††. Nervus transversus ordinarius inflexus.

63. *A. verticina:* oblonga, cinerea, opaca; capite cano; fronte distincte prominente, postice brunnescente, vitta antice nigra; ore parum reflexo; thoracis lineis 3 brunneis; abdominis vitta dorsali maculisque irregularibus, obscuris; alis cinereo-hyalinis, basi, squamis halteribusque flavescentibus, costa subciliata, spinulaque mediocri. ♀. (♂). (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 665. 19. ♀.

Hab. in floribus Salicum Botniæ borealis & Lapponiæ

Tornensis verno tempore passim; ad pagos Pello, Kengis & Junosuando, 4—9 Jun. 1821 a me capta; in Lapponia Lulensi ad Tjomotis prope Quickjock in paludibus Caricibus repletis initio Augusti 1813 uterque sexus deprehensus erit, ut mihi in litteris narravit D. *Wahlberg.*

♀. Tota cinerea, opaca. Caput canum, subbuccatum. Oculi non magni, late distantes, vitta frontali nigra. Orbita oculorum frontalis sat late cinerea, postice (a medio frontis ad occiput) brunnea, setosa. Seta antennarum latere superiore parce & breviter subplumata. Os parum reflexum. Palpi nigri, subclavati. Thoracis lineæ 3 dilute brunneæ, obsoletæ. Abdomen ovato-oblongum, subdepressum, vitta media subinterrupta nigra, & certo situ maculis indeterminatis fusco-micantibus. Nervi alarum transversi: medius obliquus, ordinarius etiam obliquus, valde inflexus & fere in medio l. mox ante medium areæ insertus. Nervi longitudinales: 3 & 4 subparalleli l. vix visibiliter ad apicem divergentes, horum 3:tius in apice l. mox ante summum apicem alæ excurrens; 5:tus non usque ad marginem extensus. Squamæ mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. — *Mas* mihi ignotus.

64. *A. frontata:* oblonga, obscure cinerea, opaca; capite canescente; fronte distincte producta, postice brunnea; vitta antice nigricante; ore reflexo; thoracis vittis 3, abdominisque linea unica dorsali maculisque indeterminatis obsoletis, nigris; alis hyalinis, costa parum ciliata, spinula parva; squamis albis; halteribus testaceis; *mas:* oculis cohærentibus, ano nigro, nitido. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 669. 35. ♀.

Hab. in Sueciæ borealis & Lapponiæ alpibus, 10 Jul.—6 Aug., passim; scilicet in Dalecarlia, D. *Boheman;*

in Jemtlandia in alpibus Åreskutan & Mullfjellen, haud raro, in summa alpium cacumina adscendens, in ipsa nive ambulans sæpe deprehensa; in alpe Walli ad Quickjock Lapponiæ Lulensis legit & in multis speciminibus femineis 1843 mihi communicavit Studiosus D. ***Andersson***. Feminæ frequentiores, mares parciores, hi in floribus Salicis glaucæ etiam capti. (E Grönlandia exemplum per D. ***Westermann*** quoque obtinui).

♂♀. Simillima priori, a qua tamen magnitudine paullo minore, colore obscuriore, ore antice magis reflexo, alarum costa minus ciliata, spinulaque minore, squamis albidioribus &c., præcipue differt. Ab *Ar. ambigua*, n:o 27, cui etiam valde affinis, fronte paullo magis prominula, ore magis porrecto, oculis in ♂ magis cohærentibus, ut & ano majore, nigro, nitido, differt. — Setulosa. Frons antice (supra antennas) nigra, certo situ cinereo-micans. Antennarum seta latere superiore subplumata. Thorax obscure cinereus, vittis subtribus indeterminatis nigris. Scutellum nigricans. Abdomen obscure glauco-cinereum, linea media distincta nigra, & præterea aut incisuris in ♂ tenuissime, aut maculis in ♀ irregularibus valde obsoletis certo tantum citu conspiciendis, fuscis. Anus in ♂ majusculus, rotundatus, superne per incisuram mediam quasi geminus, totus ater, nitidissimus, breviter atro-villosus, subtus stylis 2 brevibus curvatis obusis pilosis appendiculatus. Alæ in utroque sexu hyalinæ, levissime fuscanæ, nervis ut in priori directis. Squamæ ut in præcedente, sed albæ, nec flavidæ. Halteres testacei, in ♂ præsertim fuscescentes. Pedes simplices, setosi, nigri. Cetera ut in priore.

**65.** ***A. decrepita:*** ovato-oblonga, cinerea, opaca; capite argenteo-micante; fronte subprominente, vitta nigra; ore haud reflexo; thoracis vittis subtribus fuscis; alis cinereo-hyalinis, basi squamisque sordide flavescentibus,

costa parum ciliata, spinula parva; halteribus flavis; *mas:* oculis approximatis, ano subcompresso, cinereo. ♂. (Long. $3\frac{1}{8}$— lin.).

Hab. in Smolandia rarissime; specimen tantum unicum lustravi.

♂. Læte cinerea. Oculi magni, per vittam mediam modice latam atram & orbitas angustas albidas paullo disjuncti. Frons non multo prominula. Seta antennarum in medio breviter pubescens. Palpi extrorsum subcrassiores. Thorax canus, vittis fuscis & brunneis indeterminandis alternantibus. Abdomen ovatum, convexum, apice compressum (ut in feminis vulgariter), totum cinereum, vitta media fusca obsoletissima. Alarum nervi transversi: medius perpendicularis, ordinarius mox ante medium areæ insertus, leviter flexus. Area media ad apicem paullo latior, quam in medio. Squamæ mediocres, ciliatæ, valvulis subæqualibus. Pedes nigri, spinulosi. Ungues pulvillique elongati.

66. *A. brunnescens*: oblonga, brunneo-nigricans, opaca; capite obscure grisescente; fronte subprominente; ore haud reflexo; abdomine oblongo, subdepresso, griseo, vitta dorsali nigra; alis squamisque fuscanis, costa parum ciliata, spinula minuta; halteribus flavis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca floralis* var. *β. mas* Fall. Muscid. 71. 76.

Hab. in Suecia meridionali passim; 2 Jul.—4 Aug.; in Scania ad Lund Esperöd &c.; in Ostrog. ad Wadstena; in Gottlandia ad Ejsta. (Etiam e Glogavia sine synonymia a D. *Zeller* communicata. Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* capta).

♂. Ab *Ar. frontata*, 64, cui similis, differt: fronte multo minus porrecta, oculis arctius cohærentibus, antennarum se-

ta subtiliter tantum puberula, ore minus exserto, thoracis dorso nigro-brunnescente vix vestigio vittarum cinerascentium, scutello nigro-brunnescente, abdomine magis depresso, griseo (nec glauco-cinereo), linea media nigra, ano minore griseo, opaco (nec nigro nitido), alis magis fuscanis, nervo transverso ordinario leviter tantum flexo, ut & squamis obscurioribus, longius ciliatis, valvulis subæqualibus. Oculi in viva rufi. Reliqua ut in *A. frontata.*

67. *A. villipes:* oblonga, cinerea, opaca; capite argenteo-micante; fronte prominente; ore parum reflexo; thoracis lineolis 3 obsoletis, abdominis linearis subdepressi linea dorsali incisurisque, nigris; alis subhyalinis, costa vix ciliata, spinula parva; squamis albidis; halteribus flavis; *mas:* femoribus posticis pubescentibus, basi villosis, oculis cohærentibus, ano parvo. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Smolandia rarissime; duo tantum specimina vidi. (E Glogavia vero plura individua mascula a D. *Zeller* absque synonymia missa possideo).

♂. Simillima iterum priori, sed magnitudine nonnihil minore, fronte ut videtur paullo magis exserta, thorace cinereo (nec brunneo), obsolete fusco-trivittato, abdomine angustiore, incisuris perspicuius nigris, alis minus fuscanis, nervo transverso forte paullo magis inflexo, squamis albidioribus, valvulis exacte æqualibus, ut & præsertim femoribus posticis totis pubescentibus (nec spinulosis), basi extus distincte nigro-villosis ad apicem setulosis, vere differt. Oculi postice cohærentes. Frons supra antennas triangularis, nigra, cinereo-micans. Antennarum seta breviter pubescens. Anus parvus, rotundatus, niger, nitidus, leviter cinereus. Venter prope apicem stylis 2 brevibus pilosis. Pedes nigro-picei; antici: femoribus præsertim subtus setulosis, sed non spinosis, tibiis subnudis; intermedii: femoribus breviter pubescentibus, subtus & ad apicem setulis paucis, tibiis parce

setosis; postici: femoribus ut supra descriptis, tibiis parce spinulosis.

*Subdiv.* 2:*da:* abdomine cinereo, maculis determinatis, discretis, plerumque trigonis, nigris. *Limnophora* Macq.

*Turma* 1:*a.* Alàrum nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem alæ leviter divergentes; hinc area media apice paullulum latior quam medio.

*α.*) Nervus transversus ordinarius sat procul ante medium areæ insertus.

*. Alarum costa subnuda & spinula minuta l. nulla.

†). Antennæ breviusculæ h. e. epistomate multo breviores, articulo ultimo 2:do circiter duplo tantum longiore.

68. *A. compuncta:* ovata; capite cinereo; fronte subprominente; ore non reflexo; abdomine griseo, maculis 4 subtrigonis, mediocribus, distantibus, nigris; squamis sordide albidis; *mas:* oculis subappropinquantibus, thorace nigricante, vittis 4 atris, alis fuscanis; *femina:* oculis late remotis, thorace cinereo, linea dorsali brunnea, alis cinereo-hyalinis. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$— fere 3 lin.).

*Anthomyia* Wied. Zool. Mag. I. 80. 30. 3. Meig. Dipt. 5. 147. 111. ♂♀? (exclus. Syn. Fall.). *Limnophora* Macq. Buff. 2. 311. 5?

Hab. in Scandinavia meridionali & media, minus frequens; scilicet in Gottlandia in Nährsholme 22 Jul. 1819 unicum par copulatum inveni; e Dania, ubi in

Amager Jul. Aug. a D. *Staeger* frequenter capta, mihi quoque in utroque sexu ut *Anth. compuncta* Meig. missa.

♂♀. *Musca domestica* paullo major. Frons leviter prominula. Seta antennarum longa, capillaris, subnuda, basi indeterminate incrassata. Palpi cylindrici, pilosi. Spinula costæ nulla. Nervus transv. ordinarius subrectus. Halteres flavi. Pedes nigri, spinulosi. *Mas:* oculi per vittam subangustatam atram & orbitam tenuem albidam paullo disjuncti. Thorax nigricans, vittis 4 atris. Pectus nigro-cinerascens. Scutellum nigricans. Abdomen ovatum, pilosum, griseum, segmento 1:mo fere toto maculisque in segmentis 2 & 3 quatuor mediocribus, subtrigonis, brunneo-nigris. Alæ fuscanæ. *Femina:* oculi per vittam latam nigram postice maculam oblongo-cordatam cineream includentem, & orbitam cineream, late disjuncti. Thorax griseus, vitta media distincta brunnea, & antice rudimento lineolarum 4 brevissimarum omniumque tenuissimarum nigrarum. Scutellum griseum. Abdomen ovatum, convexum, griseum, punctis 4 subrotundatis discretis brunneis in segmentis 2 & 3. Alæ cinereæ.

69. *A. trigonifera:* ovata, nigricans; capite albido; fronte parum prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subflexo; squamis albidis; pedibus pilosis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine ovato, subdepresso, cinereo, maculis 4 majusculis, trigonis, approximatis, anoque, nigris. ♂. (Long. fere 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 669. 33. ♂.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; e Grönlandia a D. *Westermann* individuum quoque obtinui.

♂. Priore multo minor. Abdominis forma ovata, subdepressa, maculisque nigris triangularibus magnis approximatis, ano

atro, nitido, pedibus pilosis l. tenuiter setosis (nec valide spinosis), ut & nervo transverso ordinario subincurvato, nec recto, ab affinibus dignoscitur. Oculi in vertice non arcte cohærentes. Vitta frontalis angusta nigra. Palpi nigri, filiformes, extrossum subcrassiores. Thorax nigricans, antice obscure cinerascens, lineis indeterminatis nigris. Abdomen pubescens, posterius pilosum, sed vix setosum, totum griseum, segmento 1:mo toto, maculis in segmentis 2 & 3 quatuor sat magnis, exacte trigonis, in medio approximatis per lineam dorsalem tantum angustam cineream divisis, anoque inflexo nitido, nigris. Alæ hyalinæ, vix fuscanæ. Squamæ mediocres, sordide albidæ, brevissime ciliatæ; valvula superior inferiorem tantum ad dimidium tegens. Halteres flavi. Pedes nigri, femoribus validis, muticis.

70. *A. Sororcula:* ovata, nigricans; capite cinereo; fronte parum prominente; seta antennarum breviter puberula; ore non reflexo; alarum nervo transverso ordinario recto; pedibus pilosis; *mas:* oculis subcohærentibus, thorace nigricante, abdomine ovato, subdepresso, cinereo, maculis 4 mediocribus, trigonis, subapproximatis, nigris, alis squamisque subfuscanis; *femina:* oculis remotis, thorace cinereo, lineis 3 brunneis, abdomine ovato, cinereo, maculis 4 trigonis discretis fuscis, alis hyalinis, squamis albidis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Scandinavia præsertim boreali, 4 Jul.—4 Aug., minus frequens; scilicet in Smolandia ad Skärsjö, rarissime; in Jemtlandia boreali: ad Åreskutan, Mullfjellen ibique in regionem nivalem adscendens, & Skalstugan, passim; in Norvegia ad Thynæs & Garnæs Værdaliæ rarius.

♂. Simillimus priori, sed antennarum seta magis puberula, abdominis maculis nonnihil minoribus præsertim posticis, ano minore, non inflexo, cinereo, nec nigro, alis magis fu-

scanis, nervo transv. ordin. recto, ut & squamis levissime brunneo-flavidis, differt. Frons obscura. Thorax niger, vittis 3 atris.

♀. Caput canum, oculis modice remotis, vitta frontali atra maculam cordatam cineream postice includente. Punctum supra antennas album. Thorax cinereus, lineis 3 brunneis. Abdomen ovatum convexum cinereum, maculis 4 trigonis discretis brunneis. Alæ cinereo-hyalinæ, squamis albidis. Reliqua ut in mare. — Sub nomine *Ar. sororia* hæc species olim divulgata.

71. *A. depressula:* ovata, nigricans; capite obscure cinereo; fronte parum prominente; seta antennarum distincte pubescente; ore non reflexo; alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto; squamis albis; pedibus pilosis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine ovali, subdepresso, cinereo, maculis 4 majusculis, trigonis, subapproximatis, nigris. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia in primis boreali rarissime; in Helsingia ad Arbrå 24 Aug.; in alpe Mullfjellet Jemtlandiæ 27 Jul. 1840 specimina duo legi. In Smolandia etiam mense Jul. ad Skärsjö a D. *Ljungh* bis captam vidi. In Scania ad Lund quoque semel deprehensa.

♂. Parva. Similis & affinis *Ar. trigoniferæ* 69, a qua magnitudine duplo minore, antennarum seta distincte pubescente, alarum nervo transv. ordinario recto, perpendiculari, præcipue dignoscitur. Oculi cohærentes. Thorax & scutellum nigra. Maculæ 2 minores nigræ etiam in segmento abdominis 4:to adsunt. Alæ levissime fuscanæ. Squamæ albæ. Halteres sordide albi. Reliqua ut in *A. trigonifera*. A sequente antennarum seta breviter subplumata, nec nuda, & ab *Ar. contractifronte* (74) magnitudine minore & abdomine maris subdepresso, nec cylindrico, in primis differt. — Pedes setosi, piceo-nigri.

72. *A. didyma:* oblongo-ovata, cinerea; capite argenteo-micante; fronte vix prominente; seta antennarum nuda; ore non reflexo; thoracis lineis 3 brunneis obsoletis; abdominis subdepressi maculis 4 mediocribus, trigonis, nigris; alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto; costa nuda; squamis albis; *mas:* oculis arcte cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali atra maculam obcordatam cineream postice includente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 1837. p. 683. 100 ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis arenosis & floribus Salicum, 10 Jun.—17 Aug. passim, in copula; scilicet in Gottlandia ad Stenkyrka, rarissime; in Dalecarliæ alpibus; in Jemtlandia ad diversorium Rätan & montem Hofverberget, nec non Åreskutan & Mullfjellet rarius; in Lapponiis: Umensi ad Åsele, Stensele, Tresunda, & alpem Brattiksfjell (usque in regionem nivalem adscendens), haud raro; Lulensi ad Jockmock & Qvickjock, D. *Andersson;* Tornensi ad Juckasjervi; in Norvegia: in alpe Dovre, D. *Boheman;* ad Suul Værdaliæ, D. *Dahlbom;* in inferalpinis Nordlandiæ ad Giebostad, & Finmarkiæ ad Bossekop, ipse; e Dania sub nomine "*Musca triangula* Fall." ♂ a D. *Staeger* missus.

♂♀. Parva. Similis tribus proxime antecedentibus, sed a *trigonifera* magnitudine minore, nervo transverso ord. recto; a *Sororcula* magnitudine etiam minore, maris oculis arctius cohærentibus, orbitis argenteis, thorace magis cinereo, alis hyalinis, squamis halteribusque plerumque albidioribus; & a *depressula* antennarum seta nuda, nec subplumata, & thorace cinereo, nec nigricante, satis differt. Feminæ vero harum specierum ægre dignoscuntur & vix nisi cum conju-

ge suo habitantes l. in copula deprehensæ ad suos veros mares referri possunt.

*Obs.* Species, quam Cel. Meig. in Dipt. 7. 317. 27. ♂. sub nomine *Hylemyia didyma* anno 1838 descripsit, alia omnino est, cum nostra non confundenda.

*Obs* Ut hæc atque species 69, 70, & 71 a quibusdam sequentibus de cetero valde similibus distinguantur, ad abdomen (præsertim in ♂) depressulum, nec convexum, probe est attendendum. — Variat ♂ abdominis linea dorsali media tenui brunnea. Variat quoque ♂ obscurior, abdominis maculis dilatatis subconfluentibus. — *Ar. 7-notatæ* (80) valde etiam similis *Aricia didyma.*

73. *A. brunneisquama:* ovata, capite cano; fronte subprominente; seta antennarum subnuda; ore parum reflexo; abdomine subdepresso, griseo, maculis 4 mediocribus, trigonis, distantibus, nigris; squamis sub alis brunnescentibus; *mas:* oculis subcohærentibus, thorace nigricante, vittis 4 atris, alis fuscanis; *femina:* oculis late remotis, thorace cinereo, lineis dorsalibus subtribus brunneis, alis hyalinis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi; ad Tjomotis prope Qvickjock a D. *Andersson* 1843 in copula deprehensa; in Dalecarlia, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad Ristansfors, Skalstugan & Mullfjellen usque in regionem nivalem alpium adscendentem, in copula junctam 24 Jul.—6 Aug. inveni; in Norvegiæ alpibus raro.

♂♀. Simillima *Ar. compunctæ* (68), magnitudine tamen paullo minore, squamis sub alis magis flavo-brunneis, oculis maris magis approximatis (minime autem arcte cohærentibus), alis plerumque distincte fuscanis, & feminæ thoracis lineis subtribus, nec unica, brunneis, vere differt. Ab *Ar. litorea,* (83), cui quoque similis, alarum nervis transversis non infu-

scatis, & squamis brunneis, nec albidis, dignoscitur. Antennæ nigræ, seta microscopice puberula, basi incrassata. Punctum utrinque ad os certo situ nigrum. Alæ ima basi flavæ, l. fuscæ. Os subtus nigro-pilosum. Palpi subclavati, atri. Abdomen ovatum, setulosum. Nervi transv. subapproximati: ordinarius rectus, subperpendicularis. Pedes nigri, pilosi, parce setosi. *Mas*: vitta frontalis angusta nigra; orbita oculorum tenuissima, albida; abdomen 1:mo segmento toto maculisque 4 nigris; anus obtusus; genitale parum inflexum; alæ nigricantes; *femina:* vitta frontalis lata nigra, postice maculam cordatam griseam includens; punctum supra antennas cinereum; abdomen maculis 4 brunneis; anus acutus; alæ hyalinæ.

**74.** *A. contractifrons:* ovato-oblonga, subcylindrica; capite albido; fronte haud prominente; seta antennarum pubescente; ore non reflexo; abdomine cinereo, maculis 4 mediocribus, trigonis, distantibus, nigris; alis hyalinis, squamis albis; *mas:* oculis subcohærentibus, thorace nigricante; *femina:* oculis remotis, thorace cinereo, lineis 3 brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 683. 97. ♀. — *Anthomyza arctica* Ins. Lapp. 669. 34. ♂♀. varietas.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, per Scandinaviam præsertim borealem, 24 Jun.—Jul. Aug. — 2 Sept., passim frequens, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania ad Lund rarissime; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena, parce; in Gottlandia ad Öja &c. rarius; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal &c. freq.; in Dalecarlia; in Jemtlandia tota & in primis ad Hofverberget, Ås prope Östersund, Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, copiosissime, in summa cacumina (4000 ped. supra mare) alpium sæpe adscendens, &

in nive ambulans; in Bottnia boreali rarius; in Lapponiis: Umensi, Lulensi (ad Qvickjock) & Tornensi, passim; in Norvegiæ inferalpinis ex. gr. ad Thynæs, Næs, Suul & Kälahög, Værdaliæ, ad Björkvik Nordlandiæ, & ad Skaaddavaara Finmarkiæ, vulgatissima. (E Grönlandia per D. *Westermann* missa).

♂♀. Frons haud prominens, seta antennarum pubescens, os non reflexum, alæ hyalinæ, nervi transversi subapproximantes, perpendiculares, recti, squamæ albæ, ut & maris abdomen conico-cylindricum, sunt præcipuæ notæ, quibus simul sumtis hæc species ab affinibus dignoscitur. *Ar. didyma*, 72, præterea paullo major. Antennæ præsertim in ♂ breviusculæ, nigræ, seta basi leviter incrassata. Palpi subfiliformes, atri. Os subtus non dense pilosum. Alarum costa parum ciliata. Squamæ sub alis non magnæ, albæ l. albidæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres pallide flavi. Pedes mediocres, validiusculi, pilosi & setulosi, nigri. ♂: oculi plus minus cohærentes, vitta frontali postice angusta, antice latiore, tota atra, orbitis argenteis. Thorax nigricans l. obscure cinereus, indeterminate fusco- l. atro-lineatus. Humeri cinerei. Scutellum nigricans. Abdomen cinereum l. cinereo-glaucum, apice setosum, segmentis: 1:mo toto, 2:do & 3:tio maculis 4 trigonis plus minus approximatis, nigris. In segmento 4:to sæpe etiam apice macula nigricans. Anus rotundatus, inflexus, niger, cinereo-micans. Alæ leviter subfuscanæ, nervis transversis non late distantibus. ♀: tota læte cinerea, thorace lineis 3 dilute brunneis. Oculi modice remoti, vitta frontali nigra, maculam posticam oblongo-obcordatam nigram includente. Punctum supra antennas albidum. Abdomen ovatum, apice acutum, postice setosum, maculis 4 majusculis subtrigono-rotundatis brunneis. Alæ hyalinæ, nervis basi albicantibus, transversis paullo magis quam in ♂ remotis. — E Lapponia Lulensi etiam specimina minora utriusque sexus obtinui. Variat, *mas:* oculis plus minus

cohærentibus, abdominis maculis nigris majoribus l. minoribus; *femina:* maculis abdominis brunneis aut plerumque discretis, aut interdum dilatatis subconfluentibus; & *uterque sexus:* antennarum seta plus minus distincte pubescente. Has veró varietates in copula promiscue junctas deprehendi.

**75.** *A. fumipennis:* oblonga, subcylindrica, capite albido; fronte haud prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; abdomine cinereo, maculis 4 mediocribus, trigonis, subapproximatis (♂), nigris; alarum costa subciliata; squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, thorace nigro, alis nigricantibus. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm, passim, mense Jul. 1840 captum.

♂. Simillima priori, sed antennarum seta brevius puberula fere nuda, alis totis distincte fumatis, costa breviter ciliata, ut & abdominis maculis nigris magis approximatis, per lineam angustam cineream tantum disjunctis, differt. In abdominis segmento 4:to macula nigra etiam sæpe adest. Reliqua ut in præcedente.

**76.** *A. vana:* oblonga, subcylindrica, capite cano; fronte haud prominente; seta antennarum distincte pubescente; ore parum reflexo; abdomine cinereo, nigro-4-maculato; alarum costa subnuda, nervo transverso ordinario levissime flexo; squamis albis; *mas:* oculis subcohærentibus, thorace nigricante, abdomine maculis 4 mediocribus, trigonis, subapproximatis, nigris, alis leviter fuscanis; *femina:* oculis late remotis, thorace cinereo, obsolete brunneo-3lineato, abdomine maculis 4 rotundatis, brunneis, alis hyalinis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Ölandia & Gottlandia, ubi tria paria copulata mense Julio 1819 inveni; in pratis ad Öja & Wamlingbo Gottlandiæ etiam utrumque sexum 5—7 Jul. 1841 deprehendi.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus valde similis & affinis, sed ab *Ar. contractifronte* maris abdominis maculis magis approximatis, alis fuscanis; a *fumipenni* antennarum seta distinctius pubescente, costa alarum parum ciliata; & ab utraque magnitudine nonnihil majore, nervo transv. ordinario non exactissime recto, differt. — Antennæ breviusculæ, in ♀ nonnihil longiores. Frons in ♀ lata, cinerea, certo situ vitta nigricante didyma. Abdominis puncta 4 in ♀ remota, rotundata, parva, brunnea, & sæpe etiam lineola ejusdem coloris in segmento 4:to. Cetera ut in *contractifronte* & *fumipenni*.

77. *A. trianguligera*: oblonga, subcylindrica, epistomate albido; fronte haud prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; abdomine cinereo, maculis subqvatuor mediocribus, trigonis, subapproximatis, nigris (♂), aut brunneis (♀); alarum costa subciliata, squamis albis, flavido-marginatis, halteribus flavis; *mas:* oculis appropinquantibus, thorace nigro, alis nigricantibus; *femina:* oculis remotis, cinerea, thoracis lineis 3 brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 680. 82. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis fruticibus, locis alpestribus, 1 Jul.—2 Aug., passim, in copula aliquoties deprehensa; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, teste D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Mullfjellen & Stalltjernstugan; in Lapponia Umensi ad lacum Skirträsk in paroecia Stensele rarissime; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg*; in Norvegia: ad Levanger & Thynæs atque

in Værdalia ad diversorium Kongsstue in jugo alpino situm, parce; etiam in Norvegia a D. *Boheman* capta.

♂♀. Simillima *Ar. fumipenni* (75), a qua vix differt nisi oculis in mare paullulum distantibus, & squamis sub alis pallide flavo-marginatis. *Mas:* vitta frontali angustata, nigra. Orbita oculorum tenuissima, alba. Abdomen oblongum, cylindricum, cinereum, segmentis: 1:mo toto, 2:o & 3:tio maculis in singulo duabus, majusculis, anguste trigonis, approximatis, & 4:to macula oblonga l. simplici l. gemina, nigris. Reliqua ut in *Ar. fumipenni. Femina:* paullo major, tota cinerea, vitta frontali didyma, nigra; thoracis lineis dorsalibus 3 abdominisque maculis 4 (in segmentis 2 & 3) majusculis, trigonis, approximatis, lineaque in segmento 4:to obsoleta, dilute brunneis.

78. *A. triangulifera:* oblonga, subcylindrica, epistomate albido; fronte parum prominente; seta antennarum nuda; ore reflexo; abdomine glauco, nigro- (♂), l. olivaceo-maculato (♀); alis hyalinis, costa nuda, squamis albis, halteribus obscuris; *mas:* oculis cohærentibus, thorace nigro, abdominis cylindrici maculis 6 magnis, trigonis, approximatis, nigris; *femina:* oculis remotis cinerea, thoracis lineis 3, abdominisque maculis 4 majoribus, confluentibus, brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 680. 83. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum Scandinaviæ borealis, 28 Jun. 8 Jul.—12 Aug., minus frequens, in alpium nivem perennem interdum adscendens, in copula capta; scilicet in Jemtlandia ad Mullfjellet rarius; in Lapponia Umensi parce; in Lapponia Lulensi ad Tjomotis atque in alpe Snierack prope Quickjock, D. Prof. *Wahlberg*, qui sub nomine "*Anthom. pulchella*" specimen masculum 1843 mecum

communicavit; in Norvegia ad diversorium Suul in jugo alpino situm a D. *Dahlbom* 1840 deprehensa; & inter Alten & Kautokeino Finmarkiæ occidentalis unicum par in copula junctum 1821 a me lectum. ♀ rarissime obvia.

♂♀. Ab antecedentibus affinibus ut quoque a sequente halteribus nigricantibus & ore reflexo mox & facile dignoscitur. Antennæ breves, validæ, nigræ, seta nuda, fere ad medium incrassata. Palpi subcylindrici, nigri. Oculi in viva ferruginei. Alæ aqueæ. Squamæ parvæ, albæ. Pedes nigri, pilosuli, sed vix spinulosi. *Mas:* pilosus, epistomate argenteo. Oculi cohærentes, orbita tenuissima alba, macula supra antennas nigra. Thorax niger, rudimento linearum atrarum. Abdomen oblongum, cylindricum, glaucum, segmentis: 1:mo toto, 2 & 3 maculis in singulo duabus magnis, trigonis, & 4:to maculis 2 anguste trigonis, atris; maculis omnibus dorso approximatis, per lineam mediam angustam glaucam divisis. Anus rotundatus, inflexus, niger, opacus. Halteres nigri. *Femina:* capite cinereo. Oculi late remoti, fronte subprominente, vitta didyma nigra. Thorax obscure cinereus, fusco-lineatus. Abdomen ovatum, glauco-cinereum, segmentis: 1:mo fere toto, 2 & 3 maculis in singulo duabus, magnis, trigonis, ad marginem lateralem angulo extensis & in medio dorsi subconfluentibus, olivaceis. Anus acutus. Halteres fusci.

Var. b. ♂. oculis non cohærentibus, sed anguste distantibus; alias var. a. simillima; in summo cacumine alpis Åreskutan, 1 Aug. semel lecta.

79. *A. trigonata:* oblongo-ovata, obscure cinerea, capite argenteo; fronte non prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; thorace fusco-vittato; abdomine subdepresso, cano, maculis 6, trigonis, distantibus, nigris; alis hyalinis, nervis leviter infuscatis, costa sub-

ciliata; squamis albis; halteribus flavis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. 2. lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 680. 84. ♂.

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; in Lapponia Tornensi ad pagum Pello in palude, 4 Jun. 1821 a me inventa; in Norvegia ad Dovre a D. *Boheman* capta; & in Lapponia Lulensi ad Quickjock Jul. 1843 in unico individuo a D. *Wahlberg* lecta.

♂. Valde similis & affinis *Ar. trigoniferæ* (69), & *Sororculæ* (70), sed ab illa alarum nervo transv. ordinario rectissimo, perpendiculari, ab hac alis squamisque non fuscanis, & ab utraque abdominis maculis subsenis (nec 4), magisque discretis, præcipue differt. Ab *A. contractifronte* (74) ejusque affinibus magnitudine paullo majore abdomineque maris subovato & (in mortua) subdepresso differt. Antennæ mediocres, nigræ, seta breviter puberula, distincte biarticulata, basi incrassata. Oculi magni, fere cohærentes, tantum orbitis oculorum tenuibus argenteis disjuncti. Frons convexa, macula supra antennas triangulari nigra. Seta mystacina ceteris setis oris parum validior. Thorax nigricans, lineis 5 obscurioribus, lateralibus minus perspicuis. Abdomen canum, (in viva convexum) segmentis: 1:mo fere toto, 2 & 3 maculis in singulo duabus sat magnis, trigonis, liberis, & 4:to maculis 2 minoribus, atris. Anus rotundatus, inflexus, niger, leviter cinereo-micans. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis fuscedine leviter subcinctis. Squamæ mediocres, albæ. Pedes piceo-nigricantes, pilosi, sed non fortiter setosi. — Variat abdominis linea dorsali media tenui brunnea. — Variat etiam alis hyalinis in alpibus Dalecarlicis a D. *Boheman* lecta.

80. *A. 7-notata:* oblongo-ovata; fronte non prominente; seta antennarum nuda; ore non reflexo; abdomine subdepresso, cinereo, 7-maculato; squamis sub alis

albidis, halteribus flavis; *mas:* oculis cohærentibus, capite argenteo, thorace nigricante, abdominis maculis trigonis atris, alis fuscanis; *femina:* oculis remotis, capite cinereo, thorace griseo, brunneo-lineato, abdominis maculis trigonis brunneis, alis hyalinis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

*Mas:* caput argenteo-micans. Oculi sat arcte cohærentes. Thorax nigricans, lineis atris. Abdomen ovatum, subdepressum, cinereum, maculis 7 majusculis, trigonis, atris, nempe duabus in singulo segmentorum 1, 2 & 3, approximatis, per lineam tantum angustam cineream in medio disjunctis, & 7:ma in segmento 4:to. Anus inflexus, niger, nitidus, leviter cinereo-micans. Alæ nigricantes, margine interiori subhyalino;

*Fem:* tota cinerea. Oculi modice remoti. Vitta frontalis didyma, nigra. Thoracis lineæ subtres, brunneæ, obsoletæ. Abdomen ovatum, maculis numero, magnitudine, forma & situ ut in ♂, sed colore brunneis & magis obsoletis. Alæ cinereo-hyalinæ; in copula.

Var. a. ♂♀. squamis sub alis in utroque sexu albis.

Var. b. ♂ (in copula cum ♀ var. a.) squamis sub alis fuscanis.

*Anthomyza didyma* var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. 683. 100.

Hab. var. a. in Jemtlandia boreali ad Mullfjellen & Skalstugan 15—30 Jul., passim; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Boheman*; var. b. in Lapponia Umensi ad Åsele in fine mensis Junii semel a me, & ad Quickjock a D. *Boheman*, capta.

♂♀. Simillima *Ar. didymæ* (72), sed differt: seta antennarum brevissime puberula, nec omnino nuda, abdominis 1:mi segmenti pictura obscura per lineam mediam cineream divisa, unde 1:mum par macularum exstat, ut & maris thorace alisque nigrioribus. Ab *Ar. fumipenni* (75), cui quoque val-

de similis, magnitudine nonnihil minore, & abdomine in ♂ magis ovato & subdepresso, nec subcylindrico, præcipue dignoscitur. Alæ non latæ. Nervi transversi non late remoti, horum ordinarius perpendicularis, rectissimus. Costa saltem in ♂ vix ciliata. Squamæ mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. Reliqua ut in *Ar. didyma.*

81. *A. vitticollis:* oblonga, obscura, capite griseo; fronte prominente, brunnea; seta antennarum nuda; ore reflexo; thoracis lineis 4 atris; abdomine glauco, maculis 4 magnis, trigonis, olivaceis; alis hyalinis, costa nuda; squamis albis; halteribus nigris. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab in Jemtlandia boreali, 28 Jun.—30 Jul., rarius; nempe ad diversorium Skalstugan in jugo alpino situm, & ad alpes Mullfjellen, ubi in regionem nivalem adscendit, in ipsa nive ambulans, deprehensa.

♀. Similis *Ar. frontatæ* (64), sed thoracis lineis 4, nec 3, nigris, antennarum seta nuda, nec subplumata, abdominis pictura alia, alarum nervo transverso ordinario recto, nec inflexo, & halteribus obscuris, nec flavis, facile dignoscitur. Similis quoque *Ar. litoreæ* (83), & *marginali* (126), ab illa vero antennis brevioribus, thorace aliter picto, alarum nervis non infuscatis, &c., & ab hac colore obscuriore, abdominis maculis discretis, nec in fasciam confluentibus, alarum nervis transversis non fuscedine cinctis, ut & costa nuda, nec ciliata, præcipue differt. — Oculi parvi, late remoti. Frons brunnea, vitta didyma, nigra. Antennæ breves, nigræ, articulo ultimo latiusculo, seta nuda, fere ad medium incrassata Epistoma sordide griseum. Thorax nigro-brunneus, opacus, vitta humerali cinerea, & lineis 4 dorsalibus, nigris. Scutellum totum nigro-brunneum. Abdomen ovatum, apice acutum, totum canum, segmentis: 1:mo toto, 2 & 3 maculis in singulo duabus, magnis exacte trigonis ad marginem lateralem extensis & in medio per lineam angustam

cinereAm separatis, olivaceis. Alæ hyalinæ, parum fuscanæ Squamæ non magnæ, albæ. Halteres nigricantes.

82. *A. dorsata:* oblonga, opaca, capite griseo l. livido; fronte prominente, brunnea; seta antennarum subnuda; ore reflexo; thorace nigro-brunneo, vitta laterali glauca; abdomine cinereo, maculis magnis subconfluentibus olivaceis; alis subhyalinis, nervis transversis subinfuscatis, costa subciliata; squamis halteribusque sordide albidis. ♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Hab. in regione nivali alpium Lapponicarum, 22 Jul.—4 Aug., rarius; in summis cacuminibus alpium Åreskutan Jemtlandiæ, & Kälahögar Værdaliæ Norvegicæ mihi parce obvia.

♀. Valde similis priori, a qua tamen thoracis disco non nigrolineato, abdominis pictura olivacea subcontinua, nec maculas discretas perspicuas formante, alarum nervis transversis leviter infuscatis, costa subciliata, ut & squamis sordide albidis, halteribusque testaceis, nec obscuris, differt. *Ar. marginali* infra n:o 126, adhuc similior, sed magnitudine nonnihil majore, corpore minus cylindrico, epistomate fusco-cinereo, nec argenteo, ore magis reflexo, thoracis disco latius & obscurius nigro-brunnescente, abdominis maculis lateralibus obscure cinereis, nec albidis, alarum costa brevius ciliata, spinula minore, squamis sordide albidis, nec niveis, &c., dignota. — Seta antennarum mediocrium breviter puberula. Palpi subcylindrici, nigri. Vitta frontalis lata, brunnea, opaca. Scutellum nigrobrunneum, macula media dilutiori. Abdomen ovatum, parum pilosum, obscure cinereum, segmentis: 1:mo toto, 2 & 3 macula magna triangulari fasciæformi, per lineolam mediam rudimentalem cineream haud perspicue divisa, obscure olivacea. Vestigium maculæ fuscæ in segmento anali etiam adest. Alæ levissime fuscanæ, nervo transv. ordinario perpendiculari, recto. Pedes nigri, pilosi. — Variat in singulo segmentorum 2 & 3

maculis duabus parvis, subrotundatis, læte brunneis, valde obsoletis & certo tantum situ observandis. — Similis etiam & affinis *Ar. squalenti* 56, & *morienti* 115, sed a priori capite griseo l. sordide cinereo-flavido, a posteriori, cui capitis colore simillima, antennis brevioribus minusque validis, thoracis disco brunneo, alis vix flavidis, nervis longit. 3 & 4 versus apicem leviter divergentibus, nec parallelis, squamis albidis, valvula superiore inferiorem non tegente (nec squamis subfuscanis valvula inferiore superiorem tegente), & ab utraque abdomine plus minus maculato, dignoscitur.

*Obs. Mares* desunt pro verum locum speciebus 77 & 78 determinando. An harum mares oculis hirtis gaudent?

††.) Antennæ longiusculæ h. e. epistomate paullo tantum breviores, articulo ultimo 2:do fere triplo longiore.

83. *A. litorea:* oblonga, grisea, capite argenteo; fronte subprominente; seta antennarum pubescente; ore reflexo; thoracis vittis 3, abdominisque maculis 4, trigonis, brunneis; alis hyalinis, nervis transversis subinfuscatis, squamis albidis, halteribus flavis; *mas:* oculis appropinquantibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Mas:* oculis appropinquantibus, per vittam frontalem angustatam nigram & orbitam albidam paullo disjunctis, abdomine oblongo, subdepresso, cinereo, segmentis: 1:mo fere toto, 2 & 3 maculis quatuor mediocribus, trigonis, nigris;

*Fem.:* oculis modice remotis, fronte grisea, vitta media didyma nigra, abdomine ovato, griseo, maculis 4 trigonis, aut discretis, aut confluentibus, brunneis interdum obsoletis, in copula.

*Musca* Fall. Muscid. 63. 60. ♂♀. typica. — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 90. 13? (tibiis in nostris nigris, nec testaceis). — Zett. Ins. Lapp. 670. 38. ♀. *Coenosia* Meig. Dipt. 6. pag. 334?

Hab. in fruticibus & graminosis, plerumque in vicinitate aquæ, per Scandinaviam, 7 Jun.— 5 Sept., passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd, &c., haud infrequenter; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Östersund & Skalstugan; in Lapponia Umensi ad Åsele & Stöttingsfjellet; in Norvegia ad Thynæs, Garnäs, Suul & Kongsstue in jugo alpino, non raro; e Dania a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Antennæ angustatæ, longiusculæ, pictura corporis brunnea sæpe dilatata & confluens, alarum nervi transversi fuscedine leviter (interdum in ♀ levissime) cincti, speciem ab affinibus præprimis distingvunt. Antennarum seta plus minus pubescens, basi graciliter incrassata. Epistoma perpendiculare, apice reflexum. Proboscis in mortua sæpe subpendula. Palpi elongati subcylindrici nigri, apice subcrassiores. Thoracis vittæ 3 bruneæ: media angustior, laterales latiores maculæformes, omnes postice plerumque cohærentes. Scutellum obscure griseum, sæpe macula laterali brunnea. Abdominis segmentum ultimum etiam sæpe macula fusca notatum. Alæ (♂) levissime fuscanæ. Nervi transversi non approximati, horum ordinarius sæpius non exactissime rectus. Costa vix ciliata. Squamæ mediocres. Pedes setulosi.

*Obs.* Ab *Ar. notata* n:o 25, cum qua in collectionibus commixta interdum occurrit, magnitudine paullo majore, pictura thoracis alia, seta antennarum pubescente, nec breviter plumata, alarum nervis: transversis fuscedine leviter plerumque cinctis, longitudinalibus 3 & 4 versus apicem levissime divergentes, nec 4:o ad apicem levissime inflexo, costa feminæ basi subciliata, nec nuda, & maris oculis nonnihil magis disjunctis, &c., satis superque dignoscitur. — Neque cum *Ar. maculigera* infra, n:o 90, confundenda.

84. *A. 5-lineata:* oblonga, cinerea, capite argenteo; fronte parum prominente; seta antennarum subnuda; ore vix reflexo; thoracis lineis 5 brunneis; abdomine nigro-nitente; alis hyalinis, nervis transversis distincte infuscatis; squamis albidis, halteribus testaceis. ♀. (Long. 2—2¼ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 671. 42. ♀. *Anthom. litorea* var. b. ♀. Zett. l. c. 670. 38. est varietas hujus.

Hab. in Lapponia Tornensi ad Muonioniska, & in Finmarkia Norvegica ad Bossekop, rarissime; 4—17 Aug. 1821 tria specimina mihi obvia.

♀. Similis præcedenti; sed ore minus reflexo, thoracis lineis 5 (nec 3), liberis, nec postice cohærentibus, abdomine obscuriore, nitido, & alarum nervis transversis magis approximatis distinctiusque fuscedine cinctis, facile dignoscitur. — Oculi modice remoti, vitta frontali duplicata atra. Punctum supra antennas albidum. Seta antennarum brevissime puberula, basi subincrassata. Thorax glaucus, lineis 5 læte brunneis. Scutellum cinereum. Abdomen ovatum, totum nitidum, glabriculum, nigrum, maculis scilicet ordinariis brunneo-nigris ita dilatatis, ut maculæ seu fasciæ cinereæ tantum ad latera obsolete conspiciantur. Nervus transv. ordinarius perpendicularis, non exactissime rectus. Costa basi leviter subciliata; spinula minuta. Halteres fusco-testacei. — Vix varietas detrita sequentis.

85. *A. maculipennis:* oblonga, grisea, capite cinereo; fronte haud prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; abdomine flavido-griseo-nitente, obsolete brunneo-maculato; alis hyalinis, nervis transversis late infuscatis; squamis albidis, halteribus fuscis, *mas:* oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali forte rarissima; ♀ ad Quickjock Lapponiæ Lulensis in parietibus ligneis domi

Sacerdotis, a Studioso D. *Andersson* Jul. 1843 lecta mihique in duobus exemplis communicata; ♂ in Dalecarlia, D. *Boheman.*

♂♀. Priori valde similis & affinis; sed magnitudine nonnihil minore, thorace griseo subimmaculato, abdomine cinereo (♂), aut olivaceo-griseo-nitente (♀), & nervis transversis latius fuscedine cinctis, dignota. -- Caput griseo-cinerascens. Oculi in ♀ modice remoti, vitta frontali nigra didyma; aut in ♂ cohærentes. Epistoma perpendiculare, apice non reflexum. Palpi cylindrici, nigri. Antennæ elongatæ, angustatæ, nigræ, apice inferno rotundatæ, seta longa, capillari, breviter puberula, basi leviter incrassata. Thorax griseus subimmaculatus, antice vestigio linearum 4 nigrarum valde abbreviatarum. Scutellum griseum. Abdomen ovatum, nitens, in ♂ maculis 6 conico-triangularibus, nigris, aut in ♀ maculis 4 dilute brunneis valde obsoletis. Alæ cinereo-hyalinæ, nitentes, nervis transversis late infuscatis, perpendicularibus, rectis. Costa basi breviter subciliata; spinula parva. Squamæ albidæ, pallide flavo-marginatæ. Halterum clava fusca. Pedes nigri, parce setulosi.

86. *A. surda:* oblonga, nigricans; fronte subprominente; seta antennarum subnuda; ore subreflexo; abdomine ovali, subdepresso, griseo, maculis 4 trigonis, nigris; alis hyalinis, squamis albidis, halteribus flavis; *mas:* oculis appropinquantibus. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; duo tantum specimina mascula vidi, unum; sub nomine: "*Limnophora (Anthomyia) triangula* Meig. non *Musca* eadem Fall." ex Hafnia a D. *Staeger* missum; & alterum sub nomine: "*triangulifera*" a D. *Wahlberg* e Gusum Ostrogoth. communicatum.

♂. Similis & affinis *Ar. trigoniferæ* 69. & *Sororculæ* 70. sed fronte paullo magis prominente, ore subreflexo, oculis nonni-

hil magis distantibus, ut & antennis paullo longioribus, præcipue distincta. Frons subprominula, nigro-micans, vitta inter oculos angustata atra. Antennæ & seta ut in priori. Epistoma in medio cinereum. Setæ oris plures. Palpi subfiliformes, nigri. Thorax nigricans, lineis atris parum conspiciendis. Scutellum nigricans. Abdomen pilosum, griseum, segmento 1:mo fere toto, 2 & 3 maculis in singulo duabus, trigonis, approximatis, nigris. Macula minor in segmento ultimo etiam adest. Anus subinflexus, obscurus. Alæ hyalinæ, nervis transversis subapproximatis, perpendicularibus, rectissimis. Costa brevissime ciliata; spinula nulla. Pedes nigri, pilosi.

*Obs.* Si hæc *Anthom. triangula* Meig. Dipt. 5. 148. 112. etiam esset, nomen tamen mutandum, nam *triangula* Fall. typica alia est species, infra sub n:o 92, allata.

**. Alarum costa subciliata & spinula distincta. Antennæ longiusculæ.

87. *A. 4-maculata:* oblonga, cinerea, capite argenteo; fronte vix prominente; seta antennarum breviter subplumata; ore non reflexo; thoracis lineis subbinis fuscis; abdominis maculis 4 minusculis, discretis, nigris (♂), aut brunneis (♀); alis hyalinis, nervis transversis subinfuscatis; *mas:* oculis subcohærentibus, tibiis posticis intus villosis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 63. 61. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 92. 16. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 670. 39. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 21. *Musca cornuta* Fabr. Antl. 298. 71. (teste *Meig.*).

Var. b. ♀. abdomine immaculato. Fall. l. c. var. β.

Hab. in foliis fruticum, var. a.: per Scandinaviam totam, 1 Jun.—20 Aug., passim; in copula; scilicet in Scania frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia

ad Gusum &c. rarius; in Bahusia ad Marstrand; in Uplandia ad Holmiam; in Gottlandia ad Ejsta, Wamblingbo, &.; in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, usque ad Skalstugan procedens; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarius; in Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg*; in Norvegia: ad Thynäs & Levanger passim, in inferalpinis maritimis Nordlandiæ ad Dyrön & Finmarkiæ ad Bossekop. parce; in Dania haud rara, D. *Staeger*; var. b: in Scaniæ paroecia Tranås ad Esperöd rarissime.

♂♀. Cinerea, opaca, setosa. Frons parum prominens. Antennæ elongatæ, nigræ, seta basi incrassata. Palpi cylindrici, nigri. Thorax lineis subquatuor fuscis, quarum lateralibus abbreviatis, obsoletis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis plus minus infuscatis, horum ordinario subobliquo, & non exacte recto. Costa subciliata; spinula gemina. Squamæ mediocres, albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, sat valide setosi. *Mas:* caput argenteum. Oculi per orbitam albam disjuncti. Frons supra antennas triangularis nigra, puncto albo. Abdomen ovale, subconvexum, pilosum, totum læte cinereum, tantum maculis 2 & 2 (in segmentis 2 & 3) mediocribus, remotis, subtrigonis, nigris, & interdum etiam maculis 2 obsoletis fuscis in segmento 1:mo. Anus parvus. Tibiæ posticæ intus breviter villosæ. *Femina:* caput canum. Frons lata, vitta duplicata, nigra. Abdomen ovatum, minus pilosum, cinereum, maculis 4 subrotundatis, brunneis. Tibiæ posticæ intus non villosæ. — Cum *Ar. duplicata* 23. & *duplari* 24, hæc species non confundenda.

88. *A. borealis:* oblonga, cinerea, capite argenteo; fronte parum prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; thoracis lineis subbinis fuscis; abdominis maculis 4 minusculis, discretis, subtrigonis, nigris; alis subhyalinis, basi & nervis transversis infuscatis; *mas:*

oculis appropinquantibus, tibiis posticis intus non villosis. ♂. (Long. 2—2½ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 679. 80. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarius; ad Lycksele & Åsele initio mensis Junii inventa.

♂. Magnitudo & summa præcedentis similitudo; sed antennarum seta subnuda seu breviter tantum puberula, oculis (♂) nonnihil magis distantibus, per vittam scilicet frontalem angustam atram & orbitam albam paullo disjunctis, alis basi plerumque fuscanis, nervo transverso ordinario paullo magis inflexo, ut & tibiis posticis fortiter quidem setosis, at intus non villosis, dignota. Variat alarum basi & nervis transversis parum infuscatis.

89. *A. solitaria:* oblonga, subcylindrica, læte cinerea, capite argenteo; fronte subprominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; abdominis maculis 6 brunneis; alis albo-hyalinis; *mas:* oculis subappropinquantibus. ♂. (Long. 1½ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 677. 72. ♂.

Hab. in Lapponia Suecica Umensi rarissime; ad novaccolum Nästansjö d. 13 Jul. 1832 individua duo a me inventa; horum alterum in collectione Nobilissimi D. *Fåhræi* jam conservatur; in Lapponia Lulensi ad Jockmock pone medium Augusti 1843 etiam specimen unicum masculum a D. *Wahlberg* lectum.

♂. Parva. Per distantiam oculorum (vix vero tam longe ut in *Coenosiis* auctorum), corpus cylindricum, thoracem subimmaculatum, alas subalbidas &c., ab affinibus dignota. Costa ciliata, spinula parva quidem, tamen præsente, antennis longiuscu-

lis &c., ab *Aricia contractifronte* (74) ejusque similibus distingvitur. Oculi ut in priori remoti. Seta antennarum brevissime puberula, basi subincrassata. Abdomen cylindricum, distincte setosum, canum, macularum tribus paribus brunneis obsoletis. Alarum nervi transversi sat dissiti, perpendiculares, horum ordinarius levissime flexus. Squamæ albæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres pallidi. Pedes nigri, setosi. — Statura & similitudo *Anthomyzæ* 8-*punctatæ* (110), 6-*notatæ* (96) earumque affinium, sed pedibus totis nigris ab illis mox dignota.

*β.*) Nervus transversus ordinarius fere in medio l. mox ante medium areæ insertus. Costa subnuda; spinula minuta.

90. *A. maculigera:* oblongo-ovata, cinerea, capite albicante; fronte haud prominente; seta antennarum subnuda; ore non reflexo; thoracis vittis 3, scutelli linea laterali, abdominisque maculis 4 trigonis, brunnescentibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario levissime flexo. ♀. (Long. $2\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby tria exempla inveni; in fruticibus Salicis ad Storsand in paroecia Öfver-Luleå Bottniæ borealis, medio mens. Junii 1843 quoque capta erit, teste Cel. *Wahlberg*.

♀. Simillima *Ar. lividæ* (83), sed antennarum seta brevius puberula, ore non reflexo, alarum nervis transversis haud infuscatis, horumque ordinario leviter inflexo & paullulum longius a transv. medio remoto, præcipue dignota. Frons lata, vitta didyma atra. Antennæ elongatæ. Thorax cinereus, antice vestigio lineolarum 4 mox abbreviatarum, nigrarum, & in dorso vittis 3 latiusculis brunneis, media antice abbreviata, omnibus postice plerumque cohærentibus. Scutellum cinereum, macula

utrinque brunnea. Abdomen ovatum cinereum, maculis 4 majusculis, trigonis, discretis, brunneis .Squamæ sub alis halteresque, albida. Pedes nigri, parce setosi.

91. *A. abbreviata:* oblonga, cinerea (♀), aut nigricans (♂); capite cano; fronte subprominente; seta antennarum breviter puberula; ore non reflexo; thoracis vittis 3, media subtriplicata, lateralibus abbreviatis, abdominisque maculis 4 trigonis, brunnescentibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 671. 43. ♂♀.

Hab. in Scandinavia boreali, 14 Jun.—28 Jul., passim; in copula; feminæ in ligno nuper cæso sæpe deprehensæ; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Forsa (ad radicem alpium Mullfjellen situm), & Skalstugan, haud infrequenter; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Umenäs, passim; in Lapponia Tornensi ad Wittangi in silvis rarius; in Norvegia ad Suul Værdaliæ parce, D. *Dahlbom.*

♂♀. Similis priori, fronte vero nonnihil prominula, antennarum seta forte paullo distinctius puberula, thoracis signaturis in ♀ aliis, scutello immaculato, alarum area media ad apicem nonnihil latiore, ut & nervo transverso ordinario magis recto, differt. *Mas:* obscurior. Caput albicans. Oculi subcohærentes, vitta angusta nigra. Thorax nigricans, lineis 3 obscurioribus. Scutellum nigricans. Abdomen oblongum, pilosum, obscure cinereum, maculis trigonis nigris. Alæ subfuscanæ. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes pilosi. *Femina:* cinerea. Frons lata, vitta didyma, nigra. Thoracis vittæ 3, quarum laterales interruptæ, maculæformes, media subintegra, angustior, lineiformis, antice e duabus lineolis tenuissimis juxta positis nigris cincta, unde triplex videtur; omnes læte brunneæ, postice ple-

rumque confluentes. Abdomen ovatum, parce pilosum, maculis 4 majusculis, subtrigonis, brunneis, aut determinatis, discretis, aut plus minus dilatatis. In segmento basali maculæ 2, & in anali, unica, brunneæ, sæpe etiam observantur. Alæ subhyalinæ. Squamæ & halteres ut in ♂. Pedes nigri, parce setosi.

*Turma 2:da.* Alarum nervi longitudinales 3 & 4 paralleli; hinc area media apice & medio æque lata. Oculi in utroque sexu remoti.

92. *A. triangula:* oblongo-ovata, cinerea, capite albicante; fronte haud prominente; antennis longiusculis, seta subnuda; ore non reflexo; thoracis vittis 3 subconfluentibus, abdominisque maculis 4 trigonis, brunneis; alis hyalinis, costa nuda; oculis in utroque sexu distantibus. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 74. 82. ♂♀. originaria secundum museum Cel. *Falleni.* — *Anthomyia* Meig. Dipt 5. 148. 112? ♂♀. — & 7. 327. 55? — Zett. Ins. Lapp. 685. 107. ♂♀. *Limnophora* Macq. Buff. 2. 311. 8?

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per hortos, prata & pascua Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 2 Jul.—16 Sept., passim; in copula pluries deprehensa; in fenestris etiam ♀ mense Decembr. forte errabunda visa; in Scania ad Abusa, utrumque Esperöd, &c., sat frequens; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum atque in Westrog. ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Gothem, Kyrkbinge-näs &c., non raro; in provinciis borealibus rarissime occurrit, ex. gr. in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; e Dania a D. *Staeger* ♀ communicata. (E. Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Per nervos longitudinales 3 & 4 usque ad marginem alæ paralleliter continuatos, ut & oculos etiam in ♂ remotos, ab

antecedentibus affinibus facile dignoscitur. Corpore subovato, nec cylindrico, & pedibus nigris quoque a *Coenosiis* genuinis auctorum discrepat. Parva, magnitudine *Ar. didymæ* (72). Cinerea. Antennæ nigræ, seta brevissime puberula, basi tenuiter incrassata. Palpi subfiliformes, nigri l. fusci. Thoracis dorsum vittis 3 brunneis, postice confluentibus, unde discus brunneus, vel ut Fallén dicit: "thorax dorso fuscus, vitta laterali (h. e. humerali) albida." Scutellum immaculatum. Abdomen ovatum, maculis in singulo segmentorum 2 & 3, duabus trigonis sat magnis approximatis nigris l. brunneis, in fundo griseo plus minus perspicuis. Segmenta 1 & 4 sæpe etiam maculata. Alæ hyalinæ, nervo transv. ordinario ante medium areæ inserto, perpendiculari, subrecto seu levissime tantum flexo. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ proportione mediocres, albæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes nigri, parce pilosi, in juvenilibus picei. Oculi maris paullo propiores quam in ♀, fronte in utroque sexu cinerea, vitta didyma, atra. — Cum *Ar. riparia* (197) non confundenda.

*Obs.* Synonyma Meigeni & Macquarti dubia mihi videntur, quia hi Auctores suam *triangulam* "thorace nigro" describunt, quæ nota nostræ non competit. Ad directionem nervorum longitud. 3 & 4 in alis probe attendas ut speciem distingues.

*Not.* Sub nomine "*Anthom. pacifica* Meig." in Amager prope Hafniam inventum, D. *Staeger* individuum femineum communicavit, quod quoad directionem nervorum in alis nostræ *Ar. triangulæ* accedit, sed per magnitudinem multo majorem, os reflexum &c., abunde diversum, nostræ *Ariciæ trianguliferæ* (78) ore reflexo quodammodo appropinquans. Vix vero *Anth. pacifica* Meig. Dipt. 5. 149. 113. cum: "Fühler-borste deutlich behaart", seu ejusdem *Hylemyia pacifica* 7. 315. cum: "Fühlerborste gefiedert" esse potest, dum antennarum seta in specimine misso tantum subtilissime puberula occurrit. Mihi igitur potius nova species videtur, cui nomen *Ar. scrupulosa* proponerem, & hac diagnose & descriptione designarem:

92. b. *A. scrupulosa:* oblongo-ovata, cinereo-griseo,

epistomate albicante; fronte leviter prominente; antennis mediocribus, seta nudiuscula; ore reflexo; thoracis linea dorsali unica abdominisque maculis 4, brunneis; alis hyalinis, costa nuda, squamis albis. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Dania, ubi in Amager 6 Sept. 1842 a D. *Staeger* detecta.

♀. Oculi per frontem cineream & vittam didymam nigram sat late distantes. Antennæ mediocriter longæ, nigræ, seta subnuda seu breviter puberula. Punctum supra antennas niveum. Os infra oculos descendens, distincte exsertum. Palpi subcylindrici, atri. Thoracis linea dorsalis unica media brunnea. Scutellum immaculatum. Abdomen ovatum, griseum, in segmentis 2 & 3 maculis quatuor majusculis, discretis, transversim trigonis, brunneis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis longitudin. 3 & 4 subparallelis, transversis mediocriter remotis, horum ordinario perpendiculari, recto, paullo ante medium areæ inserto. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ mediocres, albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem fere ad dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes cinereo-nigri, parum setulosi.

*Tribus* 2:*da*. Oculi saltem in mare hirti (in feminis plerumque nudi).

A. abdomine in utroque sexu nigro aut cinereo.

a.) pedibus in ♂ dentatis aut aculeatis. Oculi (♂) cohærentes. *Hydrotæa* Macq.

93. *A. spinipes:* oblongo-ovata, coeruleo-nigra, nitida; ore non reflexo; epistomate, puncto supra antennas, macula humerali fasciisque abdominis (♂) interruptis, albidis; alis hyalinis, halteribus testaceis; *mas:* femoribus anticis subtus bidentatis, posticis subtus in medio spinula erecta; *femina:* abdomine atro, ano plumbeo. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 61. 55. ♂♀. vera. *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 672. 49. ♂♀. *Musca ciliata* Fabr. 305. 109 (teste Meig.). — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 159. 134? ♂♀. — *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 306. 15. ♂♀. T. 17. f. 4 ♂. — Meig. Dipt. 7. 324. 1?

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Alni &c., libenter in vicinitate aqvæ, per Scandinaviam, 2 Jun.—4 Sept., passim frequens; scilicet in Scania, vulgaris; in Smolandia & Ostrogothia, haud infrequenter; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; deinde rarius occurrit & in Lapponia tantum ad Muonioniska mihi obvia; e Dania sub nomine: "*Anth. ciliata* Meig." a D. *Staeger* communicata. (E Grönlandia a D. *Westermann*).

♂♀. Antennæ breviusculæ, validæ, seta microscopice puberula. Frons non prominens. Os non exsertum. Palpi subcylindrici, pilosi. Macula supra antennas distincta alba. Macula humeralis alba. Alæ cinereo-hyalinæ, costa omnino nuda; spinula nulla. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli, transversus ordinarius paullo ante medium areæ insertus, oblique ductus, leviter subflexus. Squamæ sat magnæ, albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Halteres testacei. *Mas:* oculi fere cohærentes, distincte hirti, vitta frontali angusta atra leviter disjuncti. Abdominis segmenta 2, 3 & 4 basi fascia interrupta alba. Pedes elongati: antici, femoribus extus villosis, apice subtus bidentatis; intermedii, femoribus apice setis 2 elongatis curvis; postici pilosi, femoribus subtus in medio spinula brevi erecta, tibiis spinulosis. *Femina:* oculi modice remoti, nudi, fronte atra. Abdomen atrum, segmento ultimo conico, plumbeo. Pedes simplices.

*Obs.* Caveas ne hanc cum *Ar. dentipede*, 36, *bispinosa*, 38, & *leucostoma*, 46, confundas. *Anth. spinipes* var. ♂. Zett. Ins. Lapp. 672. 49. est varietas *Aric. leucostomæ.* Synonyma Meigeni dubia mihi videntur, quia Clar. Auctor speciem suam

*Anthom ciliatam* l. c. "oculis nudis" describit. — Femina sub nomine: "*Anth. bimaculata* Meig." Dipt. 5. 160. 135. e Dania mihi quoque communicata.

94. *A. cyrtoneurina:* oblonga, nigra; ore non reflexo; epistomate punctoque supra antennas albidis; abdomine (♂) cinereo, linea dorsali nigra; alis subfuscanis (♂); squamis brunneis; halteribus obscuris; *mas:* femoribus anticis subtus bidentatis. ♂. (Long. 2 fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Dania; circa Hafniam mens. Sept. & Octob. ab oculatissimo D. *Staeger* frequenter lecta mihique in pluribus speciminibus benigne communicata.

♂♀. Valde similis & affinis mari præcedentis; sed magnitudine plerumque paullo minore, colore corporis magis atro, nec in cæruleum vergente, puncto albo supra antennas minore, abdomine cinereo, vitta dorsali nigra, alis leviter fuscanis, nervis longit. 3 & 4 non exacte parallelis, sed horum 4:to versus apicem fere ut in genere *Cyrtoneura* leviter inflexo, squamis paullo minoribus, brunnescentibus, posterioribus minus elongatis, femoribus intermediis setis ad apicem destitutis, posticisque subtus inermibus, nec spinula armatis, facile dignota. Magnitudine variat. — Ab *Aric. dentipede*, 36, *bispinosa* 38, &c. oculis distincte hirtis mox distinguitur. Seta antennarum basi incrassata; non usque ad medium breviter pubescens. Reliqua ut in priori.

95. *A. occulta:* oblongo-ovata, nigra; ore non reflexo; epistomate punctoque supra antennas albidis; alis hyalinis; squamis albidis; halteribus obscuris; *mas:* femoribus anticis subtus bidentatis, posticis subtus basi spinula erecta, abdomine cinereo, linea media nigra; *femina:* pedibus simplicibus, abdomine nigro, macula verticis nigra nitida. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$, ♀ 1—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 133. 90. ♂. *Hydrotæa* Macq. Buff. 2. 305. 9. ♂. *Lasiops* Meig. 7. 324. 2. *Anthomyza glabricula* var. c. ♀. Zett. Ins. Lapp. 687. 117.

Hab. in foliis fruticum, per Scandinaviam in primis meridionalem & mediam, 15 Jul.—10 Sept. mihi obvia, passim, in copula multoties observata; scilicet in Scania ad Lund, Räften (D. *Dahlbom*), Abusa in Röl, utrumque Esperöd, &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö, passim; in Ostrogothia ad Wadstena, rarius; in alpibus Dalecarlicis, D. *Boheman*, in Jemtlandia ad Skalstugan; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger*; in alpe Stöttingsfjellet Lapponiæ Umensis, rarissime; ♂ in Lapponia Lulensi ad Quickjock a D. *Wahlberg* quoque captus. (In Germania jam mense Majo provenit).

♂♀. Simillima *Ar. armipedi* (44); sed oculis (♂) hirtis mox dignota. Similis quoque duabus proxime antecedentibus, sed ab *A. spinipede* colore corporis nigro, halteribus nigris, a *cyrtoneurina* alarum nervis: longitudinalibus 3 & 4 parallelis, transverso ordinario perpendiculari, recto, squamis albis, & ab utraque magnitudine multo minore & femoribus posticis in ♂ subtus ad basin spinula brevi erecta, præcipue differt. — Antennarum seta subnuda. Punctum supra antennas parvum, album. *Mas:* oculi magni, distincte hirti, cohærentes, linea tantum angusta atra disjuncti. Thorax ater. Abdomen glaucum, linea media nigra. Alæ levissime fuscanæ. Squamæ mediocres. Femora antica, ni fallor, subtus bidentata. Tibiæ intermediæ ad apicem intus subvillosæ. *Femina:* nigra subnitida, levissime cinereo-micans. Oculi modice remoti, nudi, fronte nigricante. Alæ hyalinæ. Squamæ parvæ. Pedes simplices. — Femina cum femina *Ar. aëreæ* (217) non confundenda.

96. *A. aculeipes:* oblonga, nigricans; epistomate obscure cinereo; ore reflexo; alis hyalinis; squamis albi-

dis; *mas:* tibiis posticis basi spina elongata obliqua, abdomine cinerascente, vitta dorsali nigra, halteribus obscuris; *femina:* pedibus simplicibus, abdomine obscure cinereo, halteribus testaceis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 674. 58. ♂♀.

Hab. in fruticibus ut & floribus Ranunculorum, Calthæ, Geranii sylvatici &c., ♀ interdum in lapidibus sedens; per Scandinaviæ borealis prata, nemora & alpestria, 24 Jun. — 1 Aug., passim copiose, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*, in Jemtlandia boreali ad Skalstugan, alpes Mullfjellen & Åreskutan usque ad regionem nivalem (4000 ped. supra mare) adscendens, vulgatissima; in Lapponia Lulensi in alpe Walli ad Quickjock, etiam ad Tjomotis & Jockmock, D. D. *Wahlberg* & *Boheman* frequens; in Norvegia ad Suul, Kongsstue & Kälahögar Værdaliæ, haud parce, sed ad Björkvik Nordlandiæ rarissime.

♂♀. Per epistoma breve, os distincte exsertum, antennarum setam breviter sed distincte pubescentem, alarum nervos longit. 3 & 4 non exacte parallelos, sed versus apicem leviter divergentes, costam basi subciliatam, nec nudam, spinulam parvam præsentem, nec nullam, squamas parvas, & in primis tibias posticas in ♂ spina longa armatas, ab affinibus hujus subdivisionis abunde dignoscitur. — Subnitens. Frons haud prominens. Punctum supra antennas parvum, album. Antennæ mediocres, nigræ. Palpi breves, subcylindrici, nigri. Alarum area media ad apicem fere paullo latior, quam in medio. Nervi: longitudinalis 3:tius in summo apice alæ excurrens, transversus ordinarius ante medium areæ insertus, perpendicularis, rectus. *Mas:* pilosus. Oculi magni, sat arcte cohærentes, distincte hirti. Thorax & scutellum nigra. Abdomen oblongum, subdepressum, postice in primis setosum, totum obscure cinereum,

vitta media inæquali obscuriore. Pedes nigri, nitidi, parce setosi. Tibiæ posticæ in medio subcurvatæ, ante medium intus spina elongata (longitudine fere tibiæ), oblique porrecta, basi valida, apice subulata, tota nigra nitidissima, apice hamulata, et ante apicem latere exteriori albo-puberula, armatæ. Alæ levissime fuscanæ. Squamæ mediocres. ***Femina:*** setosa, nigra, subnitida, tota et in primis abdomine ovato-conico cinereo- l. griseo-micans. Thorax lineis 2 obscuris, obsoletis. Oculi modice remoti, vitta frontali lata nigricante; orbita oculorum cinerea. Alæ hyalinæ. Squamæ parvæ. Pedes simplices.

***Obs.*** Variat ♀ monstrosa: alarum nervo longit. 4:to ad apicem abbreviato. Åreskutan 1 Aug.

***Obs.*** ***Anth. aculeipes*** var. b. ♀. Zett. Ins. Lapp. l. c. non ad hanc speciem, sed ad ***Ar. hirsutulam,*** 103, pertinet.

b.) pedibus in utroque sexu inermibus.

*). Alarum nervus transversus ordinarius flexus. Frons prominens.

**97.** *A. subfuscinervis:* oblonga, nigricans, capite albido; thoracis vittis abdominisque maculis cinereis; alis subhyalinis, nervis subinfuscatis; ***mas:*** oculis approximatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. **673. 50.** ♂. *Anthom. vicina* Zett. l. c. **673. 51.** ♀.

Hab. in Scandinavia boreali, 4 Jun.—20 Jul., minus frequens, juxta paludes mihi plerumque obvia; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan parce; in Lapponia Tornensi ad Pello &c. rarius; in Værdalia Norvegiæ ad Suul, Kongsstue & Höjfjeldbroe in jugo alpino situm, passim.

♂♀. Similis quodammodo ***Ar. dentipedi*** (36), sed oculis in utroque sexu hirtis et forte paullo magis remotis, fronte ut vide-

tur nonnihil magis prominente, thoracis vittis subquinis abdominisque maculis lateralibus albo-micantibus, alarum nervis & basi infuscatis, ut & femoribus maris muticis, satis superque distincta. Tota obscure ænea, subnitida, certo situ ænescenti micans, setosa. Caput subargenteo-micans. Facies prominula. Antennæ breviusculæ, nigræ, seta distincte pubescente. Punctum supra antennas album. Os subexsertum. Palpi elongati, subfiliformes, nigri. Thoracis lineæ 4 nigræ. Abdomen ovatum, cinereo-micans, linea dorsali obscuriore, obsoleta. Alæ cinereo-hyalinæ, basi subferrugineæ, nervis omnibus fuscedine leviter cinctis. Nervi: transversi sat remoti, horum ordinarius nonnihil ante medium areæ insertus, in medio plus minus inflexus; longitudinales 3 & 4 versus apicem nonnihil divergentes, hinc area in apice paullo latior quam in medio; longitudinalis 3:tius mox ante apicem summum alæ excurrens. Costa basi leviter subciliata; spinula minuta. Squamæ mediocres, sordide albidæ, seu albæ flavo-marginatæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Halteres testacei. Pedes nigri, simplices, setosi, tibiis spinulosis. *Mas:* oculi distincte hirti, approximati, sed non cohærentes, vitta angusta nigra disjuncti. — *Femina:* oculi tenuiter hirti, modice remoti, vitta frontali lata, didyma nigra et orbita cinerea sejuncti.

Var. b. ♀. Simillima var. a., palpis tantum paullo crassioribus diversa; forte hujus? In Norvegia ad Christiania Jul. 1844 in uno individuo a D. *Dahlbom* inventa.

98. *A. turpis:* oblonga, nigricans, capite albido; thoracis vittis abdominisque maculis cinereis; alis hyalinis, nervis haud infuscatis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 673. 52. ♀. *Anthom. inconspicua* Zett. l. c. 673. 53. ♂.

Hab. in Scandinavia Septentrionali rarius; scilicet ♂ d. 19 Jun.—12 Jul. ad cataractam Pulkapola Lapponiæ

Tornensis, & in alpium Tornensium jugo, captus; atque ♀ ad Umenäs Lapponiæ Umensis 8 Jul. deprehensa; e pupa cylindrica, brunnea nitida nuda, sub cortice Pini ad Lycksele capta, imago quoque d. 21 Jun. egressa.

♂♀. Simillima præcedenti, a qua non differt nisi alis magis hyalinis, nervis non infuscatis, ut & maris oculis magis cohærentibus abdominisque cinerei vitta dorsali inæquali certo situ maculiformi. In mare thorax obscurior & halteres fusciores, quam in femina.

99. *A. fulvisquama:* ovato-oblonga, olivaceo-cinerea (♀), capite griseo; thoracis vittis 4 obscuris; alarum basi squamisque fulvescentibus, nervis transversis infuscatis; *mas:* oculis cohærertibus. ♂♀. (Long. 3⅛ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi ad Tjomotis prope Quickjock mense Julio, D. *Boheman*, qui individuum unicum femineum unicumque masculum ad describenda mihi communicavit.

♀. Similis duabus proxime præcedentibus, sed magnitudine paullo majore, corpore toto magis olivaceo-griseo, nec cinereo, antennis longioribus, fronte magis prominente magisque brunnescente, alarum nervis transversis fuscedine distinctiore cinctis, ut & alis basi, squamisque totis, magis fulvescentibus, vere diversa. Ab *Ar. incana* (3), & *Lucorum* (4), quibus etiam sat similis, corpore magis griseo, abdomine immaculato, fronte productiore & superne brunnea, squamis sub alis magis coloratis, ut & præsertim antennarum seta minime plumata, sed breviter tantum pubescente, differt. Caput griseum, nitens. Frons lata. Antennæ longæ, angustatæ, nigræ. Palpi filiformes, nigri. Oculi nudi. Pedes nigri.

♂. Similis feminæ descriptæ, cujus mas sine dubio est, sed oculis subcohærentibus hirtis, thorace magis cinereo, abdominis segmento 2:do maculis 2 subtrigonis nigris, ano parvo inflexo,

nigro, ut et femoribus posticis longioribus, dignoscitur. Femora intermedia subtus in medio fasciculo pilorum nigrorum. Nervus transv. ordinarius distincte flexus et infuscatus. Caput albo-micans. Oculi non arcte cohærentes.

**100.** *A. luteisquama:* oblongo-ovata, obscure cinerea, capite albicante; thoracis vittis subquatuor nigris; abdomine griseo, maculis in segmento 2:do 2 subtrigonis, nigris; alarum basi squamisque fulvescentibus, nervis transversis subinfuscatis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. cum priori; a D. *Boheman* detecta, mihique in unico specimine ad describendum missa.

♂. Simillima præcedenti, a cujus vero mare certe differt: magnitudine nonnihil minore, oculis arctius cohærentibus, thorace scutelloque obscurioribus, alarum nervo transverso leviter tantum flexo leviterque infuscato, pedibus posticis brevioribus, ut et femoribus intermediis subtus non fasciculatim pilosis.

**). Alarum nervus transv. ordinarius rectus l. subrectus. Frons haud prominens. Oculi maris cohærentes.

†. Abdomen in ♂ subconicum.

**101.** *A. hirtula:* antennis breviusculis hirsuta, nigricans; capite cinerascente; ore subexserto; abdomine obscure cinereo, linea dorsali fusca; alis hyalinis; squamis albis; halteribus testaceis; *mas:* tibiis posticis subcurvis, breviter erecto-villosis, apice adpresse setosis. ♂. (Long. ($2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 673. 51. ♂.

Hab. in Suecia septentrionali & Lapponia rarissime; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg;* in

alpium Tornensium jugo d. 12 Jul. 1821 typica inventa: deinde in Jemtlandia ad Mullfjellet d. 27 Jun. 1840 lecta.

♂. Oblonga, nigricans, subopaca, tota hirta et setosa. Oculi magni, intime cohærentes, distincte hirti. Antennæ breves, seta breviter pubescente, non ad medium incrassata. Epistoma breve, obscurum, lateribus certo situ argenteo-micans, apice leviter subreflexum. Os subtus pilosum. Palpi elongati, subcylindrici, nigri. Thoracis lineæ in fundo obscuro vix conspiciendæ. Abdomen depresso-conicum, cinereum, segmentis certo situ: 1:mo toto reliquisque macula apicali et linea dorsali nigricantibus; postice in primis sat dense et longe setosum. Alæ hyalinæ. Nervi: longitudinales 3 et 4 subparalleli, horum 3:tius in summo apice excurrens; transversus ordinarius sat longe ante medium areæ insertus, perpendicularis, rectissimus. Costa nuda, spinula nulla. Squamæ parvæ, albæ, valvulis subæqualibus. Pedes toti pilosi, nigro-picei, femoribus posticis elongatis. Tibiæ posticæ levissime curvatæ, pube l. villositate erecta undique vestitæ, extus pilis aliquot longioribus et apice setis 2 l. 3 levibus metatarso adpressis instructæ.

*Obs.* Par copulatum, quod in Ins. Lapponicis l. c., in alpium Tornensium jugo captum, refertur, non huc, sed ad *Ar. nigritellam* n:o 22, pertinet. — Femina hujus speciei mihi ignota, nec nisi duo specimina mascula possideo.

102. *A. innocua:* antennis longiusculis hirsuta, nigricans (♂), aut flavido-grisescens (♀); capite cinereo-micante; ore non exserto; abdomine cinereo, linea dorsali nigra (♂), aut griseo immaculato (♀); alis halteribusque fuscanis (♂), aut alis hyalinis, halteribus flavis (♀); squamis sordide albidis; *mas:* tibiis posticis subrectis, breviter erecto-villosis, apice adpresse setosis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 674. 56. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, graminosis, floribus Calthæ

palustris, &c., per Scandinaviam præsertim borealem, 24 Jun. – 29 Aug., passim copiose, in copula multoties capta; scilicet in Helsingia ad Storbyn in paroec. Färela, rarius; in Jemtlandia tota a diversoriis Rätan & Åsarne usque ad alpes Areskutan & Mullfjellen, vulgaris; in Bottnia boreali ad Luleå, D. *Boheman*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Stensele, StorUman &c., passim; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*; in Norvegia ad Thynäs, Näs, Garnäs & Kong Carl Johans Klev (in jugo alpino situm) Værdaliæ, frequentissime; ut & in inferalpinis Nordlandiæ ex. gr. ad Giebostad, passim.

♂♀. Affinis & similis priori; sed maris corpore forte paullo magis cylindrico, antennis forte nonnihil longioribus, ore non exserto, alis leviter fuscanis, nec hyalinis, halterum clava obscura, nec flava, ut et tibiis posticis rectis, differt. *Femina:* tota cinerea l. subflavido-grisea, immaculata. Oculi modice distantes, orbita cinerea, vitta latiuscula nigra, maculam cineream postice includente. Antennæ et palpi nigra. Thorax antice lineolis 2 tenuissimis, brevissimis, nigris. Abdomen ovatum, acutum, parum setosum. Alæ hyalinæ, parum fuscanæ, basi pallescentes. Halteres flavi. Pedes nigricantes, parce pilosi, tibiis posticis spinulosis.

103. *A. hirsutula:* antennis longiusculis hirsuta, nigricans (♂), aut grisescens (♀); capite cinereo-micante; ore non exserto; abdomine cinereo, linea dorsali nigra (♂), aut griseo immaculato (♀); alis halteribusque fuscanis (♂), aut alis hyalinis, halteribus flavis (♀); squamis albis; *mas:* tibiis posticis subcurvatis, breviter erecto-villosis, apice calcare recto valido. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 673. 55. ♂♀. (exceptis speciminibus Norvegicis, quæ ad priorem speciem referenda).

Hab. cum priore Jun.—Aug., frequens, e septentrione longius, quam illa, versus meridiem descendens, in copula pluries capta; scilicet in Scania rarissime, D. Philos. Doctor *von Borck;* in Smolandia, D. *Ljungh* rarius; in Medelpadia ad diversorium Kjällsta parce; in alpibus Dalecarlicis, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad Berge (in Alsen), Rätan, Åsarne, Ristansfors, Åreskutan & Mullfjellen, vulgaris; in Lapponia Umensi ad lacum Stor-Uman rarius; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. D. *Wahlberg* & *Andersson;* in Norvegia ad diversoria Näs & Suul, sat frequens. (E Glogavia a D. *Zeller* mas missus).

♂♀. Simillima priori ut ovum ovo, nec feminas ambarum specierum discernere valeo, nisi squamas sub alis in illa magis sordide albidas dicere vellem; sed mas *Ar hirsutulæ* tibiis posticis apice intus spinula l. calcare brevi, validiusculo, rectissimo, oblique porrecto h. e. paullo a metatarso elevato, nigro, a mare *Ar. innocuæ*, qui in apice tibiarum posticarum setulis 2 (quarum una altera breviore) capillaribus brevibus incurvis seu metatarso adpressis gaudet, certe distinguitur. Tibiæ posticæ maris saltem in individuis lapponicis etiam pilos 2—3 in latere exteriore habens, quemadmodum ut in præcedente. Ab *Ar. nigritella*, 22, cui quoque valde affinis, magnitudine majore, antennarum seta pubescente, nec subplumata, ut & maris oculis distinctius hirtis, dignoscitur.

104. *A. separ:* antennis mediocribus hirsuta, nigricans (♂), aut grisescens (♀); capite cinereo-micante; ore subexserto; abdomine, cinereo linea dorsali nigra (♂), aut griseo immaculato (♀); alis subhyalinis, squamis albidis; halteribus flavis; *mas:* tibiis posticis curvatis, breviter erecto-villosis, apice adpresse setosis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

*Anthom. variabilis* Zett. Ins. Lapp. 663. 9. ad partem; nempe specimina quædam e Lapponia Suecica huc referantur.

Hab. in Lapponiæ fruticibus, per regionem silvaticam, 16 Jul.—2 Aug., passim, in copula ter capta: scilicet in Lapponia Umensi ex. gr. ad Stöttingsfjellet, D. *Dahlbom*, ad Wilhelmina, ipse; in alpe Walli Lapponiæ Lulensis ad Quickjock, D. *Andersson.*

♂♀. Valde similis *Ar. variabili*, 16, *umbraticæ*, 19, earumque affinibus, sed ore nonnihil magis producto, & antennarum seta non longe plumata, sed tantum distincte pubescente, præcipue differt. Ab *Ar. innocua*, 102, magnitudine paullo majore, ore subexserto, ut & halteribus in utroque sexu flavis, dignoscitur. — Alarum nervi ut in *Ar. hirtula*, 101, directi, at longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli, sed versus apicem leviter divergentes. Squamæ parvæ, sordide albidæ, valvulis subæqualibus. *Mas:* thorax niger, lineis 2 atris. Abdomen ovale, pilosum, cinereum, linea media in segmentis 2 & 3 nigra. Anus rotundatus niger. Segmentum ultimum ventrale subelevatum, apice emarginatum, bidentatum. Alæ subfuscanæ, ima basi parum ferrugineæ. Pedes postici elongati, tibiis undique villosis & extus pilosis, apice pilis 2 brevibus metatarso adpressis, vestitis. *Femina:* grisea immaculata. Alæ levissime fuscanæ. Pedes simplices, tibiis posticis spinulosis.

**105.** *A. subrostrata:* antennis breviusculis hirsuta, nigricans (♂), aut cinerea (♀); capite argenteo-micante; ore exserto; abdomine, cinereo linea dorsali incisurisque nigricantibus (♂), aut griseo immaculato (♀); alis hyalinis, squamis albis; halteribus nigris (♂), aut flavis (♀); *mas:* tibiis posticis incurvis, breviter erecto-villosis, apice adpresse setosis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

Hab. in alpibus Scandinaviæ, 15 Jul.—4 Aug., rarius;

scilicet in Jemtlandiæ alpibus Åreskutan & Mullfjellet; in Norvegia in alpe insigni Kålahög Værdaliæ in ipsa nive replantem utrumque sexum inveni.

♂♀. Similis omnino præcedenti, sed antennis forte paullulum brevioribus, seta minus pubescente, ore magis producto, alis magis hyalinis, basi concoloribus, squamis albidioribus, ut & in mare abdominis segmentis apice certo situ indeterminate nigro-marginatis, halteribus nigris, nec flavis, tibiisque posticis paullo magis incurvis, mox dignota. Neque cohabitant.

††. Abdomen in ♂ ovatum, subdepressum.

106. *A. leucogaster:* antennis mediocribus, nigra (♂); capite argenteo-micante; ore fronteque non productis; abdomine cano, segmentis: 1:mo toto, 2:doque maculis duabus approximatis, nigris; alis hyalinis, squamis albis; halteribus testaceis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. 1½ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 674. 57. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; mihi non obvia, sed a D. *Frigelio* inventa mihique in uno specimine communicata.

♂. Parva, ovata, obtusa, abdominis colore & pictura facile dignoscenda. Oculi maximi, tenuissime puberuli, fere cohærentes, per lineam nigram angustissimam et orbitam tenuissimam argenteam tantum sejuncti. Frons convexa, minime prominens. Antennarum seta brevissime puberula. Epistoma & os minime producta. Proboscis subretracta. Palpi cylindrici, nigri. Os subtus breviter pubescens. Thorax et scutellum parce setosa, nigra. Abdomen ovatum, parce & depresse pilosum, albidum, segmento 1:mo toto, & 2:do in medio maculis 2 rotundatis, basi subcohærentibus, nigris. Alæ hyalinæ, ner-

vis ut in *Ar. separe* 104, directis. Squamæ mediocres, albæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Pedes mediocres, simplices, nigri, tibiis posticis subnudis, extus brevissime pubescentibus, & pilis aliquot instructis.

**107.** *A. depressiuscula*: antennis longiusculis, nigra (♂), aut obscure cinerea (♀); capite argenteo-micante; fronte parum prominula; ore non producto; abdomine, cinereo maculis 4 magnis subtrigonis nigris (♂), aut griseo maculis 4 brunneis obsoletis (♀); alis subhyalinis, squamis albis; halteribus flavis; *mas:* oculis approximatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 671. 59. ♂♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norvegicæ rarissime; ad Giebostad d. 22 Jul. 1821 unicum par in copula junctum legi.

♂♀. Similis *Ar. depressulæ* (71), sed magnitudine triplo l. quadruplo majore, antennis paullo longioribus, abdominis maculis majoribus, ut & maris oculis nonnihil magis distantibus hirsutisque, nec nudis, abunde dignota. Ab *Ar. innocua*, 102, cui etiam similis, differt: abdominis depressi pictura, squamis albidioribus, ut & in ♂ oculis appropinquantibus, nec cohærentibus, halteribus flavis, nec nigris, & tibiis posticis tantum extus pubescentibus & parce pilosis, nec undique villosulis. Frons perparum prominula. Seta antennarum brevissime puberula. Alarum nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes, horumque 3:tius non in ipso apice, sed mox ante summum apicem alæ excurrens; transvers. ordinarius perpendicularis, rectus, fere in medio l. tantum paullulum ante medium areæ insertus. *Mas:* abdomen obscurum, segmento 1:mo toto, maculisque (in segmentis 2 & 3) 4 subtrigonis, maximis, approximatis, atris; ano depresso. Alæ subfuscanæ. *Femina:* abdomen griseum, maculis 4 mediocribus subrotundatis, l. subconfluentibus, brunneis, obsoletis. Alæ hyalinæ.

Thorax lineolis 3 approximatis, tenuibus, et juxta illas utrinque unica latiori, brunneis.

108. *A. tristiola:* antennis mediocribus, nigricans, capite obscuro; fronte subprominula; ore haud exserto; abdominis incisuris obscure cinereis; alis hyalinis; squamis albis; halteribus fuscis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 675. 70. ♂.

Hab. in Suecia boreali rarissime; unicum marem ad Lycksele Lapponiæ Umensis 1 Aug. 1832, unicamque feminam in alpe Åreskutan 1 Aug. 1840, inveni.

♂♀. Priori similis, sed duplo minor, & abdomine nigricante, fasciis 3 angustis cinerascentibus, ut & in ♂ alis hyalinis & oculis magis cohærentibus, dignoscenda. Ab *Ar. didyma* n:o 72, abdominis pictura & maris oculis hirtis, præcipue differt. Frons leviter prominula. Seta antennarum subnuda. Thorax lineis subtribus atris in fundo obscuro parum conspiciendis. Abdomen ovale depressum. Alæ hyalinæ, nervis ut in *Ar. separe,* 104. Pedes simplices, pilosi, nigri, tibiis posticis subnudis seu tantum extus parcissime setosis. *Femina:* caput cinereum, vitta frontali atra, didyma. Oculi nudi. Punctum supra antennas album. Thorax disco nigro-brunneus, humeris cinereis. Abdomen cinerascens, segmentis: 1:mo toto, reliquisque fascia apicali lata nigro-brunnea.

109. *A. pubipes:* antennis mediocribus, nigricans, capite abdomineque cinereis, hoc linea dorsali nigra; ore fronteque non productis; alis hyalinis, squamis albidis; halteribus obscuris; *mas:* oculis cohærentibus, pedibus pilosis, tibiis posticis subvillosis. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; duo tantum specimina 16—21 Jul. inveni, unum ad radicem Mullfjel-

let Jemtlandiæ, & alterum in Norvegia ad Kongsstue Værdaliæ in jugo alpino.

♂. Similis *Ar. hirtulæ* 101, & *innocuæ* 102, sed a priore ore non exserto, halteribus nigricantibus nec testaceis, a posteriore alis magis hyalinis, et ab utraque abdomine maris ovali depressiusculo, nec convexo, differt. A duabus proxime præcedentibus abdominis pictura, oculorum connectione magis intima, ut & tibiarum posticarum pubescentia distinctiore, facile dignoscitur. Antennarum seta distincte pubescens. Palpi subfiliformes. Os subtus villosum. Thorax cinereo-nigricans, lineis 2 nigris. Abdomen pilosum. Alæ subangustatæ, leviter fuscanæ, nervis ut in *Ar. separe*, 104, directis. Pedes nigri, pilosi, tibiis posticis validiusculis, distincte pubescentibus et extus parce pilosis.

**110.** *A. cinereiventris:* antennis mediocribus, nigra subnitida, capite, puncto supra antennas, abdomineque, cinereis, hoc linea dorsali nigra; ore fronteque non productis; alis hyalinis, squamis albis; halteribus flavis; *mas:* oculis cohærentibus, tibiis posticis breviter pubescentibus. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad diversorium Skalstugan, in jugo alpino situm, individuum unicum masculum d. 16 Jul. 1840 legi.

♂. Simillima priori, a qua tamen oculis tenuius hirtulis, puncto supra antennas albo perspicuiori, antennarum seta tantum brevissime puberula, thorace paullo obscuriore, alarum nervo transv. ordinario nonnihil longius a medio remoto h. e. fere in medio l. mox (nec longe) ante medium areæ inserto, halteribus flavis, nec nigris, ut & tibiis posticis brevius pubescentibus, differt.

B. abdomine in utroque sexu flavo.

**111.** *A. semicinerea:* obscure cinerascens, antennis, abdominis flavo-subpellucidi incisuris, pedibusque, nigris;

alis hyalinis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, ano fusco. ♂♀. (Long. 2 lin.).

*Anthomyia* Wied. Zool. Magaz. 1. p. 81. 37. ♀. Meig. Dipt. 5. 108. 43. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 670. 40. ♂♀. *Hydrophoria* Macq. Buff. 2. 301. 14. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 315. 5. *Musca hyalinata* Fall. Muscid. 64. 62. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, floribus, interdum etiam in fenestris obvia, per totam Scandinaviam, 20 Maj.—15 Sept., vulgatissima, in copula sæpe capta; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Gottlandia (ad Ruthe, Fårön, Gothem, Martebo &c.), Nericia, Uplandia, Dalecarlia (ad Rörshyttan, Uppbo &c.), Helsingia (ad Kårböle), & Jemtlandia (ad Säther &c.), ubique frequens; deinde rarescit, & in Lapponiis Suecicis non nisi parce occurrit; in Norvegia a Thynæs & Næs Værdaliæ usque ad Alteidet Finmarkiæ mihi passim obvia; in Dania a D. *Staeger* pluries inventa. (E Glogavia in utroque sexu a D. *Zeller* missa).

♂♀. Oblongo-ovata, cinerea, pilosa. Caput albicans, ore fronteque minime porrectis. Antennæ longiusculæ, nigro-cinereæ, seta distincte pubescente seu subplumata. Palpi nigri. Thorax vix nigro-lineatus, rudimento tantum linearum 3 obscurarum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis ut in *Ar. separe* 104, directis, Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ ut in *Ar. sulciventri*, 62. Halteres flavi. Pedes simplices, pilosi, nigri, tibiis posticis nudiusculis, tantum pilis aliquot longioribus instructis. *Mas:* oculi magni, arcte cohærentes, tenuiter hirtuli, puncto supra antennas albo. Thorax obscurior. Abdomen flavo-subpellucidum, incisuris anguste, & segmento anali toto, nigricantibus; linea dorsali brunnea. *Feminæ:* oculi modice distantes, mediocres, nudi, fronte cinerea, macula supra antennas nigra aut ferruginea. Thorax cinereus. Abdomen ovatum, acutum, fla-

vo-ferrugineum, aut immaculatum, aut plerumque incisuris tenuiter nigricantibus. — Juvenilis variat pedibus piceis, quam caveas ne cum *Anthomyza bicolore* 157, confundas. Ab *Anthomyza mutata* n:o 147, antennis seta subplumata (nec nuda) &c. facile dignota.

*Divis. Tertia.* Seta antennarum nudiuscula aut nuda.

*Phalanx 1:ma.* Corpus saltem maris subcylindricum. Caput interdum subinflatum. Frons porrecta. Species mediocriter magnæ.

A. Alarum nervus transversus ordinarius rectus.

*). Oculi in utroque sexu distantes.

112. *A. denticauda:* læte cinerea, capite argenteo; alis, squamis halteribusque albidis; oculis modice remotis; ano maris subtus valide bidentato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 675. 61. ♂♀.

Hab. in floribus Salicum, præsertim locis paludosis, per Sueciam borealem & Lapponiam, 29 Maj.—25 Jun.—15 Jul., passim; scilicet in Bottnia boreali ad Luleå in florib. Salicis Lapponum, D. *Wahlberg*; ad ÖfverTorneå, ipse; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele rarius; in Lulensi ad Quickjock, D. D. *Wahlberg* & *Boheman*; in Tornensi ad Pello, Wittangi & Juckasjervi, sat frequens. Femina parce occurrit.

♂♀. Angustata, linearis, subcylindrica, præsertim mas; setosa, cana (♂), aut cinerea (♀). Caput argenteum. Frons distincte porrecta. Antennæ epistomate multo breviores, nigricantes, seta nuda, basi incrassata. Epistoma subperpendiculare, nudum, apice parum reflexo. Oculi nudi, in utroque sexu fere æqualiter, paralleliter, & non late distantes, per orbitas albas

& vittam frontalem latiusculam nigricantem sejuncti. Palpi subcylindrici, pilosi, nigri. Thorax dorso vestigio linearum 2 fuscarum. Abdomen maris cylindricum, segmento ultimo ventrali dentibus 2 validis, nigris, nitidis, arcuatis armato; feminæ oblongo-ovatum, muticum. Alæ ♂ albæ, ♀ cinereæ, costa in utroque sexu perparum ciliata, spinula minuta. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; transversus ordinarius mox ante medium areæ insertus. Squamæ non magnæ, albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi. Pedes nigricantes, setosi, tibiis posticis sat fortiter spinosis. Variant specimina juvenilia antennarum articulo 2:do femoribusque piceis.

113. *A. myopina*: cinerea, capite albido, antennarum basi rufescente, macula supra antennas fulva, palpis flavis; thoracis vitta brunnea; abdomine nigro; alis cinereis, costa subinermi; squamis albidis; halteribus obscuris; oculis late remotis; ano maris incurvo. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 65. 66. ♂♀. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 222. 28. ♂♀. *Cordylura* Ejusdem 7. p. 335. *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 677. 70. ♂♀. *Myopina reflexa* Macq. Buff. 2. 389. 1. ♂♀. Tab. 18. fig. 9. ♂.

Hab. in humidis, etiam in arenosis ad littora maris, ripas lacuum & margines stagnorum, rarius in floribus Salicis; per Sueciam & Lapponiam, 10 Maj.—19 Aug., passim, in copula; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., haud raro; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Ostrogothia ad Wadstena & lacum Wettern, sat frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Bottnia occident. ad Skellefteå, D. *Boheman*; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Wilhelmina, Tre-

sunda & lacum Wojmsjön, passim. Circulatim currit fere modo *Lispæ.*

♂♀. Affinis priori, sed in multis diversa. Caput albo-corneum, buccatum fere ut in *Myopa.* Frons latissima, porrecta, macula supra antennas magna, fulva. Antennæ magnæ, latæ, nigricantes, articulo 2:do rufo, seta nuda, ad medium incrassata. Setæ mystacinæ paucæ, atræ. Os subreflexum, subtus subnudum. Palpi subfiliformes, flavi, in ♀ fusci. Oculi parvi, subrotundi, nudi. Thorax cinereus, vitta dorsali brunnea, in ♀ subtriplicata. Scutellum cinereum. Abdomen nigrum nitidum, in ♂ subcylindricum, pilosum, ano inflexo & lamellis 2 in segmento 3:tio ventrali; feminæ ovatum. Alæ albido-hyalinæ, nervis ut in priori directis, sed 3 & 4 longitudinalibus fere parallelis, transversis interdum leviter fuscanis. Costa submutica. Spinula vix observanda. Squamæ parvæ, sordide albidæ, valvulis subæqualibus. Halteres testacei, clava obscura. Pedes validi, nigri, in ♂ præsertim pilosi. In mare quoque tibiæ posteriores intus breviter subvillosæ, & metatarsus posticus basi subtus subdilatatus.

114. *A. scoparia:* obscure cinerea, capite flavescenti albo, macula supra antennas fulva, palpis nigricantibus; abdomine nigro; alis cinereis, costa subciliata; squamis halteribusque sordide albidis; oculis late remotis; *mas:* ano inflexo, femoribus posticis intus fasciculo pilorum, tarsis posticis brevibus, crassis. ♂ (♀). (Long. 2 lin.).

Wahlberg in litt. 1813.

Hab. in Lapponia Lulensi, ubi in littore arenoso humido fluvii Kama (Kamajock) ad Quickjock mense Jul. 1813 a D. Studioso *Andersson* lecta, per Cel. Prof. *Wahlberg* mecum in uno individuo masculo communicata. Victus & mores præcedentis.

♂. Priori affinis & similis; sed differt: magnitudine nonnihil robustiore, capite præsertim inferius magis flavescente, palpis an-

tennisque totis nigris, thorace paullo obscuriore, vitta dorsali nulla, alarum costa præsertim basi magis ciliata, spinula mediocri præsente, tarsis posticis brevioribus & validioribus, metatarso basi non dilatato, & in primis femoribus posticis intus in medio fasciculo denso pilorum nigrorum elongatorum, versus basin femorum sensim decrescentium armatis. De cetero caput & reliqua omnino ut in præcedente.

♀. similis mari, sed minus obscura, fasciculo pilorum femorum nullo, a D. *Wahlberg* capta, a me non visa.

**115.** *A. moriens:* obscure grisea (♂), aut flavido-grisea (♀), capite concolore, macula supra antennas parva flava; ore exserto; palpis nigris; alis leviter fuscanis, costa ciliata, spinula distincta; squamis halteribusque flavidis; oculis sat late remotis; *mas:* ano tuberculatim inflexo, pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad diversorium Forsa juxta radicem Mullfjellet d. 27 Jun. 1840 unicum par inveni; in Norvegiæ alpe Kälahög in jugo alpino sita marem & feminam 22 Jul. ejusdem anni etiam collegit D. *Dahlbom.*

♂♀. Similis & affinis *Ar. myopinæ* 113; sed capite thoraceque obscuriore, hoc non vittato, fronte angustiore, macula supra antennas flava multo minore, antennis & palpis totis nigris, alis subfuscanis, costa magis ciliata & spinula distinctiore, squamis magis sordidis, halteribus flavis, nec obscuris, ut & in mare abdomine obscure griseo, opaco, linea tantum dorsali nigricante, nec toto nigro nitido, segmento 3:tio ventrali mutico, nec lamellato, pedibus simplicibus, nec metatarso postico dilatato, tibiis posticis spinosis, sed non villosulis, &c., abunde differt. A priori, cui etiam similis, colore capitis obscuro, ore magis reflexo, abdomine griseo vitta media obscura, ano

rotundato, halteribus totis flavis, nec clava sordida, ut & femoribus posticis pilis aliquot sparsis, nec in fasciculum densum congestis, facile dignoscitur. — Alarum nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli ut in *Ar. myopina*. Squamæ parvæ, ciliatæ, sordide flavidæ. Tarsi postici modice elongati, non incrassati. — Usque in alpium nivem perrennem circiter 4000 ped. supra mare individua hujus speciei adscendunt.

**). Oculi in mare approximati aut cohærentes. Squamæ sub alis parvæ, valvulis subæqualibus h. e. superiore inferiorem tegente.

a. Alæ immaculatæ.

†. nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis.

**116.** *A. buccata:* antennis brevibus grisea, capite buccato albescente; abdomine lineola dorsali nigra; alis subhyalinis, costa mutica, nervo transverso ordinario obliquo, subrecto; oculis in utroque sexu subcohærentibus; *mas:* abdomine mutico, ano rotundato, cinereo, opaco. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 65. 65. ♂. (♀ ibid. allata ad *Ar. albescentem* n:o 130, pertinet). — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 146. 108. ♂♀. Ejusd. 7. 326. 14. *Limnophora* Macq. Buff. 2. 312. 12. ♂♀.

Hab. in floribus Chrysanthemi leucanthemi &c., etiam in graminosis, per prata, nemora, versuras agrorum &c., Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 26 Jun.—28 Jul., passim frequens; scilicet in Scania ad Lund, Kjeliby (D. *Dahlbom)*, Esperöd in paroecia Tranås, &c., haud raro; in Ostrogothia ad Lärketorp, Egebylund, passim; in Ölandia pluribus locis; in Gottlandia ad Sanda, Öja, Gothem

&c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Norvegia ad Thynäs in paroecia Skogn frequens.

♂♀. Caput buccatum, antennæ breves seta brevissime pubescente, oculi in utroque sexu subcohærentes, alæ angustatæ, costa nuda, spinula nulla, nervus transversus ordinarius ante medium areæ insertus, distincte obliquus, levissime subflexus, ut & abdomen maris non appendiculatum, anusque parvus, rotundatus, griseus, opacus, sunt notæ, quibus hæc species ab affinibus facile dignoscitur. — Antennæ nigræ, apice rotundatæ, seta basi incrassata. Oculi in ♂ fere cohærentes, in ♀ perparum distantes. Palpi subfiliformes, nigri. Abdomen ante incisuras setosum, in ♂ subcylindricum, in ♀ oblongum apice acutum. Alæ cinereo-hyalinæ, basi pallidiores. Squamæ parvæ, ciliatæ, albidæ, valvulis subæqualibus. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, femoribus cinereo-micantibus, tibiis spinosis. — Variat ♂ thorace leviter brunneo-lineato. (Cfr. *Ar. albescens* n:o 130).

**117.** *A. laminata:* antennis breviusculis cinerea, capite canescente; abdomine lineola dorsali fusca; alis subhyalinis, costa mutica, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis appropinquantibus, ano subtus bilamellato. ♂. (Long. 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 675. 62. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Juckasjervi 23 Jun. 1821 semel inventa.

♂. Oculi paullo distantes, alarum costa subnuda, nervus transv. ordinarius perpendicularis (nec obliquus), rectissimus, ut & venter maris ante apicem lamellis 2 longitudinaliter parallelis rotundatis nigris instructus, speciem distingvunt. A priori, cui de cetero similis, capite minus buccato, oculis paullo magis remotis, antennarum seta nuda, nec puberula, colore corporis cinereo, nec griseo, nervo transv. ordinario perpendiculari (nec obliquo), exacte recto, nec leviter flexo, ut & appendice ven-

trali, mox dignota. Frons exserta, grisea, vitta media angustata nigra. Os margine antico leviter reflexum. Thorax obsolete fusco-lineatus. Abdomen lineare, cinereum, linea dorsali fusca obsoleta; totum pubescens, vix nisi apice setosum. Anus cinereus. Alarum costa vix ciliata. Tibiæ rufo-piceæ, an in juniore?

118. *A. latipennis:* antennis longiusculis cinerea, capite albicante; ore fronteque subprominulis; thorace vittis 2, abdomineque unica, fuscis; alis flavidis, costa ciliata, spinula distincta, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis subcohærentibus, ano tuberculato, atro, nitidissimo, stylis 2 suffulto. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

*Mas:* cinereus, thorace obsolete fusco-bivittato. Oculi fere cohærentes, orbita angustissima alba & vitta frontali angustissima antice latiori atra, sejuncti. Antennæ mediocriter latæ. Alæ modice latæ, leviter flavescentes. Abdomen subcylindricum. Anus tuberculis 2 (uno post alterum) rotundatis, atris, nitidissimis, pilosis. Segmentum 3:tium ventrale apice stylis 2 validis, subconicis, versus apicem vergentibus, nigris, pilosis, armatum;

*Fem.:* grisea, thorace brunneo-bivittato. Oculi modice distantes, per orbitam albam & vittam latiusculam atram disjuncti. Antennæ validæ, puberulæ, apice rotundatæ. Alæ latiusculæ, distincte flavæ. Abdomen oblongum, apice acutum, griseum, certo situ fusco-zonatum.

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 676. 75. ♀.

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Pini sylvestris &c., per Scandinaviam mediam & præsertim borealem, 24 Jun.—5 Aug., minus frequens; nempe in Gottlandia ad Ruthe semel; in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet 2 mares & 2 feminas inveni; in Lapponia Umensi ad Wil-

helmina rarissime; in Lappon. Lulensi ad Quickjock & Jockmock, ♀, D. D. *Wahlberg* & *Boheman*; in Finmarkia occidentali Norvegica ad Bossekop in unico specimine a me deprehensa; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: '*Anthom. varicolor* Meig.' missa.

♂♀. Frons minus porrecta, antennarum seta extus brevissime puberula, thorax bivittatus, alæ flavedine tinctæ, costa ciliata, spinula distincta, ut & maris anus ater, nitidus, speciem præcipue designant. Margo oris subreflexus. Palpi subcylindrici, nigri. Nervus transv. ordinarius mox ante medium areæ insertus. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvulis subæquis. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, sat fortiter spinosi. — Ab *Ar. silvestri* 137, magnitudine paullo minore, alarum nervis: ordinario perpendiculari & magis recto, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, nec apice leviter divergentibus, spinula costæ longiore, squamis albis, nec flavis, ut & oculis in ♀ remotioribus, differt.

119. *A. canescens:* antennis mediocribus læte cinerea, capite albicante; ore fronteque subprominulis; macula supra antennas fulva (♀); alis, squamis halteribusque albidis, costa ciliata, spinula mediocri, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 676. 67. ♀.

Var. b. ♀. oculis paullulum minoribus, hinc epistomate, ut videtur, nonnihil latius infra illos descendente.

*Anthom. pallipennis* Zett. Ins. Lapp. 676. 66. ♀.

Hab. in ripis arenosis fluminum Sueciæ borealis, 20 Jun.—7 Sept., valde rara; scilicet var. a. in Bottnia occidentali ad Umeå; in Lapponia Umensi ad Lycksele; & in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi capta; var. b. etiam in Lapponia Tornensi ad Karesuando inventa.

♀. Tota cana, opaca, setosa. Oculi modice remoti. Frons modice prominens, vitta antice fulva, postice obscura maculam verticis cordatam cineream includente. Orbita oculorum sat lata, cinerea. Antennæ nigræ, seta subtiliter puberula, basi leviter incrassata. Epistoma apice leviter reflexum. Palpi subfiliformes, nigri. Os subtus parce pilosum. Thorax vestigio lineolæ læte brunneæ. Abdomen oblongum, canum, certo situ rudimento lineolæ dorsalis fuscæ; apice acutum. Alæ albescentes, nervis ut in priori directis. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi. Pedes rufescenti nigri, setosi. Similis *Ar. florali*, 147, sed colore lætiore, macula frontali fulva, alis albidioribus &c. distincta.

120. *A. scatophagina:* antennis breviusculis cinerascens, capite argenteo; fronte distincte prominente; ore subexserto; macula supra antennas parva lutescente; alis, squamis, halteribusque albidis, costa mutica, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis subcohærentibus, ano inflexo, cinereo, ventre lamellis pilosis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

*Mas:* cylindricus, cinereus, capite argenteo. oculis ovalibus, approximatis, per orbitas elevatas, angustas, argenteas, & lineam mediam angustam nigram, leviter disjunctis. Abdomen cylindricum, incisuris albescentibus; vel si mavis segmentis certo situ basi fasciola utrinque abbreviata nigro-cinerea parum observanda, ornatis. Anus tuberculatus, cinereus, tuberculo inflexo, supra plano, pubescente, rima longitudinali versus apicem latiuscula. Venter concavus, segmento 3:tio apice valvulis 2 rotundatis, pilosis, nigricantibus. Alarum costa subnuda, spinula nulla. Tibiæ posticæ intus rigide pubescentes, tarsis breviusculis;

*Fem.:* oblonga, cana, capite concolore, oculis parvis, rotundatis, modice remotis, per orbitas latas cinereas & vittam frontalem mediocrem obscuram sejunctis. Abdomen oblongum, ano

simplici. Alarum costa brevissime subciliata, spinula minuta. Tibiæ posticæ intus subnudæ; in copula.

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 677. 69. ♂♀.

Hab. in silvis, at præsertim in ripis arenosis humidis fluminum Lapponiarum septentrionalium, 4 Jun.—13 Aug., passim frequens, in copula aliquoties capta; scilicet in Bottnia boreali inter Luleå & limitem Lapponiæ Lulensis, ut & ad Quickjock, D. Prof. *Boheman* (sub nomine *A. arenaria* communicata); in Lapponia Tornensi ad Pello, Wittangi & Juckasjervi, haud raro; in Norvegia: in Finmarkia occidentali ad Alten, atque in Finmarkia orientali ad Kautokeino, rarissime.

♂♀. Species pulchra & per caput buccatum argenteo-micans, alas albidas, costam subinermem ut & constructionem ani maris, facile dignota. Similis priori, sed fronte epistomateque multo magis porrectis, antennis nonnihil brevioribus, seta nuda, oculis minoribus, macula frontali fusco-lutea multo minore, alarum costa nudiore &c. abunde differt. Seta antennarum basi distincte incrassata. Thorax vix lineatus. Abdomen pubescens sed vix setosum. Pedes plerumque obscure rufescentes. Cetera ut in priori. — Variat rarius alarum nervis fuscedine leviter cinctis, ut in specimine Kautokeinoënsi.

121. *A. arenosa:* antennis breviusculis cana, capite argenteo; fronte distincte prominente; ore subexserto; macula supra antennas mediocri, lutescente; alis, squamis halteribusque albidis, costa subciliata, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis cohærentibus, ano inflexo, cinereo, ventre lamellis pilosis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in cumulis altis, *Olle Hau* dictis, ex arena marina factis, in promontorio boreali insulæ Fårön Gott-

landiæ, mense Julio sat frequens, in copula capta, nec alibi a me inventa. (Ad Moabite prope Berolinum d. 16 Jul. 1842 in utroque sexu legit D. *Dahlbom*).

♂♀. Simillima priori, sed ab illa præcipue differt: magnitudine paullo minore, colore corporis magis albido l. canescente, alarum costa in primis in ♀ subciliata, nec nudiuscula ut & maris oculis magis cohærentibus, & abdomine basi subdepresso, nec subcylindrico. *Mas:* oculi per orbitas angustas elevatas leviter sejuncti. Hæ orbitæ in fronte confluentes, nec per lineolam nigram separatæ ut in priori. Macula supra antennas minuta flava. Abdomen canum, linea dorsali obscura, certo tantum situ visibili; totum lineare, basi depressum, apice subclavatum, ano & valvulis ventralibus ut in priori. Pedes ut in præcedente. *Femina:* a femina priori vix differt, nisi, ut dictum, magnitudine nonnihil minore, colore albidiore, macula frontali flava perspicuiore, alarum costa subciliata, spinula distinctiore ut & geniculis summis, l. si mavis tibiarum ima basi, ferruginantibus. (Cfr. *Ar. albula* nob. 226).

122. *A. unistriata:* antennis mediocribus læte cinerea, capite argenteo; fronte distincte prominente; ore vix exserto; thoracis abdominisque linea dorsali brunnea; alis albo-hyalinis, costa nuda, nervo transverso ordinario subrecto; squamis halteribusque sordide albidis; *mas:* oculis subcohærentibus, ano cinereo, ventre non lamellato. ♂. (Long. 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 677. 71. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; locis arenosis ad pagos Pello & Wittangi 4—10 Jun. 1821 duo exempla inveni.

♂. Priori affinis & similis, sed magnitudine paullo majore, colore corporis magis cinereo, antennarum seta brevissime pubescente, nec nuda, oculis paullulum sejunctis, orbitis scilicet

per lineolam tenuissimam nigram disjunctis, macula frontali flava nulla, thoracis lineola dorsali læte brunnea obsoleta, abdomine cylindrico, linea media fusca integra, ano parvo cinereo haud inflexo, lamellis ventralibus nullis, alarum nervo transv. ordinario levissime flexo, nec exacte recto, ut & costa nudiuscula, spinula nulla, facile dignota. Abdomen ante incisuras pilosum ut in prioribus. Femora nigro-cinerascentia.

123. *A. hilarella:* antennis longiusculis læte grisea, capite concolore; fronte parum prominente, ore non reflexo; macula supra antennas mediocri, fulva; alis, squamis halteribusque cinereo-albidis, costa subciliata, spinula mediocri, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in insula Gottlandia, ubi ad Westö (in parœc. Hall), Stenkyrka & in insula Furillen tria individua 21—30 Jul. 1841 invenimus D. *Dahlbom* & ipse.

♀. *Ar. arenosæ* (121) valde similis & affinis; sed antennis paullo longioribus, seta distinctius pubescente, fronte minus exserta, colore corporis læte flavido-griseo, nec cano, ut & alis cinereis, nec albidis, facile dignota. Antennæ & pedes tota nigra. Thorax & abdomen immaculata. Reliqua ut in femina *Ar. arenosæ*

††. nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem levissime divergentibus.

124. *A. trapezina:* antennis longiusculis obscure cinerea (♂), aut cinerea (♀), capite albicante; ore fronteque subprominulis; thoracis vittis subtribus abdominisque serie dorsali macularum trapezinarum nigris; alis subfumato-hyalinis, costa subciliata, nervo transverso ordinario subperpendiculari, recto; *mas:* oculis cohærenti-

bus, ano inflexo, cinereo, ventre lamellis pilosis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Hab. in Suecia, præsertim boreali, 24 Jun.—16 Aug., minus frequens; nempe in Scania meridionali ad Östra Torp a me semel inventa; sed in Jemtlandia boreali passim, ex. gr. ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan haud raro visa; in Dalecarliæ alpibus a D. *Boheman* capta; in Lapponia Lulensi ad Tjomotis in uno specimine masculo versus finem Junii 1843 a D. *Wahlberg* capta. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂. Ab *Anthom. melanura* Meig. 5. 172. 153, cui valde similis videtur, abdominis maculis, nec vitta dorsali, nigris, ano cinereo, nec atro, ut & alarum nervo transv. ordinario subperpendiculari, nec subobliquo, differt. Setosa, caput nigrum, argenteo-micans. Oculi non intime cohærentes. Frons modice prominens. Epistoma breve, apice subreflexum. Antennæ epistomate nonnihil breviores, validiusculæ, nigræ, seta breviter puberula, basi incrassata. Proboscis sæpe pendula palpique mediocres, nigra. Thorax cinereus, vittis dorsalibus 3 nigris, quarum media evidentiori, integra. Vestigium etiam vittæ lateralis nigræ utrinque observatur. Abdomen lineare, subcylindricum (dorso tamen subplanum), pubescens, ante incisuras pilosum, totum cinereum, segmento singulo in medio macula basali sat magna subquadrata, nigra. Certo situ etiam incisuræ nigro-micant. Anus inflexus cinereus opacus, incisura media atra nitidissima. Venter pubescens, segmento 3:tio apice hians laminam l. valvulam rotundatam nigram pilosam utrinque emittens. Alæ leviter subfuscanæ, nervis ut in *Aricia latipenni* 118, directis, longitudinalibus vero 3 & 4 non exactissime parallelis, sed ad apicem paullulum magis (licet perparum) distantibus quam in medio. Costa breviter subciliata, spinula parva. Squamæ & halteres sordide alba. Pedes nigri pilosi, tibiis spinulosis. — (Cfr *Ar. odontogaster* n:o 129).

♀ similis mari, sed corpore lætius cinereo, fronte modice lata,

vitta media modice lata parallela nigra, thoracis lineis brunneis obsoletis, ut & abdomine lanceolato minus piloso, maculis fuscis obsoletissimis vix nisi certo situ in rudimento conspiciendis, dignota.

125. *A. lepturoides:* antennis mediocribus cinerea, capite albicante; ore fronteque subprominulis; abdomine linea dorsali nigra; alis subfumato-hyalinis, costa submutica, nervo transverso ordinario subperpendiculari, recto; *mas:* oculis subcohærentibus, ano tuberculato atro nitidissimo. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime, nempe in Suecia media, D. *Marklin*, ad Holmiam, D. *Wahlberg*, qui marem sub nomine: *A. similifrons*, misit; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*. (E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* quoque communicata; ad Neuenkirchen Germaniæ a D. *Dahlbom* 15—20 Maj. lecta).

♂. Simillima priori, per antennas tamen paullulum breviores, setam nudam, oculos forte nonnihil magis disjunctos, thoracem subimmaculatum, abdomen tantum linea, nec serie macularum, nigra, versus apicem subangustatum, nec totum lineare, anum bituberculatum, atrum, nitidissimum, stylis 2 suffultum, ut & alarum costam parum ciliatam, spinulam nullam, vere diversa. Ab *Ar. latipenni* (118), cui structuram coloremque ani stylosque ventrales simillima habet, thorace non vittato, alis hyalinis, nec flavis, costa subnuda, spinula vix ulla, &c., mox dignoscitur. Ab *Ar. sepia* (148) alarum costa nuda, ut & spinula nulla, præcipue differt.

b Alarum nervi transversi fuscedine cincti.

126. *A. marginalis:* antennis breviusculis læte cinerea, capite argenteo; fronte subprominente; vertice, thoracis disco, scutello abdominisque maculis trigonis

magnis, brunneis; alis hyalinis, costa subciliata; nervis transversis infuscatis, horum ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis subcohærentibus, ano haud inflexo, ventre non appendiceo. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

*Mas:* caput argenteum. Oculi approximati, per orbitas in fronte fere coëuntes, angustas albas, leviter distantes. Thoracis discus parum infuscatus, vitta media latiore brunnea, obsoleta. Halteres obscuri. Abdomen oblongo-cylindricum, ano parvo cinereo, ventre appendicibus nullis;

*Fem.:* caput albo-cinereum. Oculi per orbitas albidas & vittam frontalem latam fuscam, modice remoti. Vertex brunneus. Thoracis discus subfuscus, lineis 3 distinctioribus brunneis. Halteres dilutiores. Abdomen oblongo-ovatum, apice acutum.

*Musca* Fall. Muscid. 66. 67. ♂♀. originaria. — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 196. 198. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 676. 68. ♂♀.

Hab. in arenosis, per Scandinaviam mediam & borealem, 22 Jul.—15 Aug., minus frequens; scilicet in Westrogothia in silva Kinneskogen a D. *Gyllenhal* detecta; in Lapponia Tornensi ad Karesuando a me haud parce inventa; in Norvegia ad radicem alpium Kälahögar in jugo alpino Værdaliæ specimen unicum a D. *Dahlbom* lectum. — Mores *Lispæ.*

♂♀. Species pulchra, & thoracis disco leviter & dilute brunneo, abdominis pictura, alarum nervis transversis infuscatis, squamis mediocribus niveis, ut & aris maris non appendiculato, ab affinibus distincta. Pictura fere *Ar. dorsatæ* n:o 82, *litoreæ* 83, & 5-*lineatæ* 84, sed variis notis diversa, ut ex comparatione apparet. Antennæ præsertim in ♂ breviusculæ, nigræ, seta nuda, basi leviter incrassata. Epistoma apice parum reflexum. Palpi filiformes, nigri. Abdomen in ♂ præcipue postice setulosum, in ♀ subnudum, in utroque sexu albo-cinereum.

segmentis: 1:mo fere toto, 2 & 3 singulo basi macula magna late transversa trigona, brunneis, hac per lineolam mediam tenuissimam albidam interdum divisa. Alarum nervi: transversus ordinarius distincte ante medium areæ insertus; longitudinales 3 & 4 fere paralleli. Spinula costæ mediocris. Pedes simplices parce pilosi & setulosi; nigri.

B. Alarum nervus transversus ordinarius inflexus. Costa inermis.

*α.*) Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes.

127. *A. Histrio:* antennis elongatis albo-cinerea, capite argenteo; fronte prominente; thoracis vittis tribus, abdominisque linea dorsali & incisuris, ni ris; alis hyalinis; *mas:* oculis subcohærentibus, ano nigricante. ♂♀. (Long. 3 fere 4 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 676. 64. ♂♀.

Hab. in ligno recenter secato atque in truncis arborum viventium præsertim Pini, per Scandinaviam mediam & borealem, 2 Jul.—31 Aug., passim; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena rarius, ipse; in Helsingia ad diversoria Kårböle & Löfvik; in Jemtlandia ad Faxelfven, Ås & Östersund; in Lapponia Umensi ad Stensele & Umenäs; in Norvegia: ad Garnäs Værdaliæ; atque ♀ ova in trunco Pini recenti depositura ad Bossekop Finmarkiæ occidentalis 7 Aug. 1821 visa.

♂♀. Valde similis & affinis *Ar. festivæ* (n:o 34); sed antennarum seta brevissime, aut breviter pubescente, nec subplumata, præter alias notas distincta. — Sat magna, elongata, angustata, abdomine versus apicem attenuato; setosa, pulchra. Antennæ longiusculæ, lineares, subnudæ, nigræ, seta biarticulata, bre-

vissime puberula (in ♀ pubescente), basi incrassata. Os margine parum reflexum, apertura sat magna. Palpi subcylindrici, nigri, pilosi. Thorax vittis 3 nigris, media antice subgemina, lateralibus latioribus subinterruptis. Scutelli margo lateralis parum fuscus. Abdomen linea dorsali distincta, & incisuris tenuiter, nigris; ante incisuras setosum. Alæ hyalinæ, nervis: transverso ordinario obliquo & distincte inflexo, longitudinalibus 3 & 4 apice sat perspicue divergentibus. Costa haud ciliata, spinula vix ulla. Squamæ mediocres, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Pedes simplices, cinereo-nigri, pilosi, tibiis posticis præsertim spinosis. *Mas:* oculi fere cohærentes, per orbitas angustissimas albas & vittam frontalem nigram tenuissimam antice latiorem disjuncti. Anus parvus, bisegmentatus, nigricans, subnitidus. Segmentum ventrale 3:tium stylis 2 minoribus, ventri adpressis, nigris, pilosis. Pulvilli elongati, albi. *Femina:* oculi modice distantes, per orbitas mediocres albas & vittam frontalem latam atram remoti. Abdominis linea dorsalis & incisuræ, sat lata, nigra. Anus acutus. Pulvilli parvi, albidi.

128. *A. unilineata:* antennis breviusculis cinerea, capite albescente; fronte prominente; abdominis linea dorsali nigra; alis subhyalinis; *mas:* oculis approximatis, ano cinereo; *femina:* oculis appropinquantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 675. 63. ♂♀.

Hab. in arenosis præsertim ad ripas fluminum, etiam in terra nuda ad sepes, vias, &c., locis soli expositis, per Sueciam & Lapponiam, 5 Maj—Jun.—15 Jul., passim; scilicet in Scania circa Lund & Kjellby *(Dahlbom)* tempore vernali sat frequens; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh*; in Bottnia boreali ad Skellefteå, Ersnäs, Calix, Karungi, Pello & Kengis, haud raro; in Lapponia Umen-

si ad Lycksele &c. passim; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi, parce.

♂♀. Affinis & similis priori; sed magnitudine minore, fronte magis porrecta, antennis nonnihil brevioribus & latioribus, colore corporis cinereo, nec glaucescente, thorace subimmaculato, abdomine paullulum latiore, incisuris vix nigris, alis cinereo-hyalinis, nec aqueis, nervo transverso ordinario minus obliquo minusque flexo, oculis ♂ magis, ♀ vero minus remotis, ut & ano maris inflexo cinereo, nec nigricante, abunde dignota. — Pilosa & distincte setosa, opaca. Epistoma albo-nitens, macula intra antennarum basin & oculos magna, nigro-micante; apice non reflexum. Antennæ nigræ; apice rotundatæ, microscopice puberulæ, seta brevissime pubescente. Oculi mediocres, ovales, brunnei, in utroque sexu non late remoti, vitta frontali mediocriter angusta, nigra, disjuncti, in ♂ tamen propiores. Thorax antice vestigio lineolarum 2 tenuissimarum nigrarum. Pedes nigro-cinerei. Reliqua ut in præcedente. — Ab *Ar. buccata* (116), cui de cetero valde similis, fronte nonnihil latiore, nervis: transverso ordinario minus obliquo, & longitudinalibus 3 & 4 non exacte parallelis &c. dignoscitur. — Variat ♂ abdominis incisuris læte brunneis.

*Obs.* Feminæ ad nidos Andrænarum inventæ, in quarum larvis larvæ hujus speciei *Ariciæ* verisimiliter parasitæ vivunt, observante D. Professore *Wahlberg*.

129. *A. odontogaster:* antennis longiusculis obscure cinerea, capite angenteo; fronte subprominente; abdominis linea dorsali subinterrupta, nigra; alis subhyalinis; *mas:* oculis subcohærentibus, ano inflexo, cinereo, ventre lamellis pilosis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia ad Lärketorp, ubi duo paria in copula juncta ante plures annos inveni.

♂♀. Simillima *Ar. trapezinæ* n:o 124, a qua tamen magnitudine paullo majore, ore nonnihil minus prominulo, alis magis cine-

reo-hyalinis, basi leviter flavicantibus, nec totis fumato-hyalinis, nervis: transverso ordinario distinctius flexo, longitudinalibus 3 & 4 versus apicem leviter divergentibus, nec exacte parallelis, ut & abdominis linea dorsali nigra angustata abrupta, nec maculas subquadratas formante, vere differt. — Oculi in ♂ anguste distantes, in ♀ per orbitas albidas & vittam frontalem haud latam, nigram, modice remoti. Thorax lineola dorsali utrinque abrupta, dilute brunnea. Abdomen subcylindricum, lineare, supra subplanum, linea dorsali interrupta nigra, in segmentis 1, 2 & 3 perspicua, in 4:to evanescente. Anus, ventris appendices, alæ, squamæ, halteres, pedes &c. omnino ut in *Ar. trapezina*.

β.) Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

130. *A. albescens:* antennis mediocribus albo-cinerea, capite buccato, argenteo-micante; abdominis lineola dorsali fusca; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario obliquo, inflexo; *mas:* oculis appropinquantibus, ano cinereo; *femina:* oculis modice remotis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin., raro ultra).

*Musca buccata Fem.* Fall. Muscid. 65. 65. ♀. certissime. — *Anthom. albula* Meig. Dipt. 5. 102. 35. (exclus. syn. Fall.). *Hylemyia albula* Meig. Dipt. 7. 315. 15.

Hab. in arenosis & sabulosis, etiam in foliis fruticum, per Sueciam meridionalem & mediam, 2—30 Jul., 1 Sept., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Fogelsång (D. *Dahlbom*) &c., frequens; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c. non parce; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; sed supra banc provinciam haud visa; femina sub nomine: "*Musca albula* Fall." ex Haf-

nia a D. *Staeger* missa. (E Glogavia a D. *Zeller* plura specimina ex utroque sexu communicata). Plura quoque exempla capta in horto Gryphico Senatoris *Krey*, ubi apud *Diodontum pallipedem* (Hymenopteron e familia Pemphredonidarum) parasitice vivunt, observante eximio nostræ naturæ scrutatore *Dahlbom*..

♂♀. Similis *Ar. buccatæ* (116); sed magnitudine plerumque multo minore, colore corporis multo magis albescente, alis albidioribus, nervo transverso ordinario magis flexo, ut & oculis in ♂ paullo remotioribus, & in ♀ multo magis distantibus, mox dignoscenda. Facies longe prominens. Punctum supra antennas album. Antennæ nigræ, seta pubescente. Oculi sat parvi, ferrugineo-brunnei. Thorax interdum linea dorsali læte brunnea. Alarum costa omnino nuda. Pedes nigri, femoribus cinerascentibus. Anus maris parvus, rotundatus, cinereus, opacus. Venter vix appendiceus. — *Mas:* oculi appropinquantes, vitta dorsali angustata obscure cinerea; *femina:* oculi modice remoti, per orbitas cinereas & vittam cinerascentem antice certo situ atro-micantem disjuncti.

*Phalanx* 2:*da*. Corpus ovatum aut oblongum.

A. Oculi saltem maris hirti. Seta antennarum elongata, nuda, capillaris, basi incrassata. Alarum nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli aut versus apicem levissime divergentes. Costa nuda, & spinula nulla. Squamæ mediocres, valvula superiore inferiorem (saltem in ♀) non tegente. Pedes simplices. *Lasiops* Meig.

131. *A. glacialis:* antennis breviusculis nigricans, capite cinerascente, ore fronteque subprominulis; thorace atro-trivittato; alis hyalinis, nervo transverso ordinario levissime flexo; squamis sordide albidis; halteribus fusco-

testaceis; oculis in utroque sexu subcohærentibus; *mas:* abdomine obscuriore & longius piloso, ano obtuso; *femina:* ano subacuto. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Wahlb. in litt. 1843. *Anthom. hirticeps* Zett. Ins. Lapp. 679. 77. ♂. (non ♂, sed ♀).

Hab. in summis alpibus nivalibus Lapponiæ mense julio & initio Augusti rarius; scilicet in Lapponia Lulensi ad Quickjock (in cacumine alpis Walli), D. D. *Wahlberg* & *Andersson*; in ipso alpium Tornensium jugo 3 specimina feminea d. 10—12 Jul. 1821 ipse collegi.

♂♀. Nigro-cinerascens, opaca, pilosa. Oculi sat magni, distincte hirti, subcohærentes, linea frontali nigra angusta, antice dilatata, sejuncti; feminæ parum quam maris remotiores. Frons modice prominens. Antennæ breviusculæ, articulo ultimo 2:do vix duplo longiore, totæ nigræ, sat latæ. Palpi subcylindrici, atri, pilosi. Thorax vittis 3 atris, in fundo obscure cinerascente minus perspicuis. Abdomen subovatum, segmento ultimo in ♂ obtuso, in ♀ acuto; tuberculo anali inflexo, intra segmentum anale convolutum in mortuis sæpe incluso, parum conspiciendo. Alæ subhyalinæ, basi nigro-fuscæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; transversus ordinarius leviter flexus, interdum subrectus. Squamæ ciliatæ, valvulis subæqualibus. Tarsorum pulvilli mediocres, albi. — In copula a D. *Wahlberg* capta.

132. *A. innocens:* antennis breviusculis nigricans, capite cinerascente, ore fronteque subprominulis; thorace atro-trivittato; abdomine cinereo, linea dorsali nigra; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subrecto; squamis albis; halteribus nigris; *mas:* oculis cohærentibus, ano subobtuso. ♂. (Long. 2—2½ lin.).

Hab. in foliis fruticum, 28 Jun.—14 Sept., minus frequens; scilicet in Scania a Grönby rarissime; in Ostro-

gothia ad Wadstena semel; in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad radicem alpis Åreskutan duo specimina inventa; in Lapponia Lulensi ad Randijaur &c., D. *Wahlberg.* (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂. Priori simillima, sed magnitudine nonnihil minore, fronte minus prominente, oculis arctius cohærentibus, alis basi non infuscatis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis, squamis albidioribus, valvula superiore inferiorem non tegente, halterum clava nigra, ut & abdomine ovali (nec ovato), cinereo, linea dorsali angusta incisurisque tenuissime, nigris, certe distincta. Ab *Anthom. cunctante* Meig. 5. 133. 89., cui etiam similis videtur, antennarum seta nuda, nec puberula, corpore opaco, nec nitido, & abdomine cinereo, nec nigro, differt. — Forte ♂ *Ariciæ decoloris* n:o 136?

*Obs.* Nomen triviale innocuo mari tribui, nulla habita ratione ad feminam ignotam, quæ forsan infesta est.

133. *A. semipellucida:* antennis longiusculis nigra, capite cinerascente, ore fronteque non prominulis; abdomine ferrugineo-subpellucido, linea dorsali incisurisque nigris; alis fuscanis, nervo transverso ordinario recto; squamis albidis; halteribus flavis; *mas:* oculis intime cohærentibus, ano subrotundato. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Hab. in foliis fruticum, per Scandinaviam borealem, 2 Jun.—4 Sept., minus frequens; scilicet in Dalecarlia ad St. Tuna rarissime; in Jemtlandia boreali ad Åreskutan & Skalstugan, passim; in Norvegia ad diversorium Suul Værdaliæ in jugo alpino situm, parce.

♂. Similis iterum præcedenti, sed magnitudine paullo minore, oculis arctius cohærentibus & tenuissime tantum hirtulis, antennis paullo longioribus, & angustioribus, puncto supra antennas albo, ore fronteque minime prominentibus, thorace nigro immaculato, abdomine ovali, flavo-rufo, subpellucido,

tenuiter nigro-piloso, linea dorsali incisurisque anguste nigris, segmento ultimo cinereo-micante, alis fuscanis, ut & halteribus flavis, mox dignoscitur. Tibiæ in junioribus testaceæ. — Affinis videtur *Anth. apicali* Meig. 6. 375. 214. ♂, sed antennarum seta nuda seu microscopice tantum puberula, nec "breviter plumata", thorace opaco, nec "nitido", ut & abdominis apice fusco, albo-micante, nec "nigro", differt. — Variat abdomine rufo, leviter albo-micante.

134. *A. depressiventris:* antennis longiusculis nigra, capite cinereo, ore fronteque non prominulis; abdomine ovali depresso cinereo, linea dorsali interrupta nigra; alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto; squamis albidis; halteribus flavidis; *mas:* oculis intime cohærentibus, ano subrotundato. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in summo cacumine alpis Åreskutan Jemtlandiæ, altit. circiter 4000 ped. supra mare, rarissime, 2 tantum individua d. 1 Aug. 1840 a me deprehensa; in Lapponia Lulensi ad Quickjock etiam a D. *Wahlberg* Jul. 1843 inventa.

♂. Simillima omnino priori, a qua tamen magnitudine nonnihil minore, alis hyalinis, nec infuscatis, & præsertim abdomine magis depresso & (in mortuis) transversim ruguloso, toto cinereo, nec rufescente, linea dorsali in segmentis 1, 2 & 3 interrupta, nigra, differt. Oculi omnium tenuissime puberuli. Squamæ sub alis albidæ, valvula superiore inferiore non tegente.

135. *A. hirticeps:* antennis mediocribus obscure cinerea, capite argenteo-micante, fronte subprominula; alis elongatis, hyalinis, nervo transverso ordinario recto; squamis albidis; halteribus nigricantibus. ♀. (Long. fere 3 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 67. 69. ♀. (secundum specimen

originarium) — *Anthomyia* Meig. Dipl. 5. 197. 200. ♀. Zett. Ins. Lapp. 679. 77. ♀. (♂ ibidem allatus ad *Ariciam glacialem* n:o 131 pertinet). — *Lasiops* Meig. Dipl. 7. 324. 4.

Hab. in Suecia meridionali rarissime, in Scania semel inventa.

♀. Obscure cinerea, opaca, setosa. Oculi mediocres, distincte hirti, per orbitas angustas albas & vittam frontalem latam atram sejuncti. Antennæ nigræ, validæ, articulo ultimo 2:do duplo longiore. Epistoma subperpendiculare. Palpi subcylindrici, nigri, pilosi. Thorax dorso vestigio linearum nigrarum. Scutellum immaculatum. Abdomen ovatum, apice acutum. Alæ abdomine fere duplo longiores, hyalinæ, ima basi albescentes. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem levissime divergentes; transversus ordinarius fere in medio 1. mox ante medium areæ insertus, subperpendicularis, omnino rectus. Squamæ albidæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres obscuri. Pedes nigri, modice setosi.

136. *A. decolor:* antennis brevibus validis obscure cinerea, capite argenteo-micante, ore fronteque subprominulis; thorace lineis 4 nigris; alis mediocribus, hyalinis, nervo transverso ordinario subrecto; squamis albidis; halteribus nigricantibus; *femina:* oculis nudis. ♀. (Long. 2 fere 2½ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 68. 70. ♀. vera. — *Anthomyia* Meig. Dipl. 5. 198. 201. ♀. Zett. Ins. Lapp. 679. 81. ♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Scandinaviam, 26 Jun.—12 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Räften (D. *Dahlbom*), Esperöd &c., passim; in Gottlandia in Lausmyr semel; in Jemtlandia ad Skalstugan parce; in Lapponiis: Lulensi ad Quickjock,

D. *Andersson*; in Tornensi rarissime. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synonymia communicata).

♀. Valde similis priori, sed magnitudine paullo minore, antennis nonnihil brevioribus, oculis nudis (in individuis bene servatis tantum microscopice l. tenuissime puberulis), fronte minus prominente, epistomate subretuso, nec perpendiculari, vitta frontali griseo-micante, nec atra, thoracis lineis magis perspicuis, ut & alis minus elongatis, certe distincta. Caput cinerascens. Antennarum articulus ultimus obovatus, apice obtusiusculus. Thoracis lineæ 2 mediæ, angustæ, approximatæ, & 2 laterales nonnihil latiores, interruptæ; nigræ. Scutellum & abdomen ovatum pubescens, cinerea, omnino immaculata. Alarum nervus transversus ordinarius interdum leviter flexus. Reliqua ut in præcedente.

*Obs.* An ♀ *Ar. innocentis* 132? Sed thorax cinereus lineolis 4 nigris (nec nigricans lineolis 3 atris), scutellum cinereum (nec nigrum), ut & abdomen immaculatum (nec linea dorsali incisurisque nigris ornatum), obstare videntur. Neque feminam *Ar. glacialis* (131) esse, facile in suspicionem venire potest, nam ab hac iisdem notis ac ab *innocente* discrepat, & præterea fronte minus prominente atque halteribus nigricantibus, nec testaceis, differt. Marem, licet hactenus ignotum, oculis hirtis gaudere ex analogia opinor, unde speciem in hac subdivisione ad interim locavi *).

---

*) Postquam supra allatam observationem annotavi & manuscriptum jam typis mandavi, amicus meus Prof. *Wahlberg* nuperrime mihi scripsit, se *Aric. innocentem* ut marem & *decolorem* ut feminam in Lapponia Lulensi ad Randijaur & Mattisudden in copula junctas deprehendisse, feminamque ibi copiosissimam & in auribus viatoris sese occultare conantem, veluti Culicum genus valde molestam atque irritantem invenisse. Omne igitur dubium remotum videtur *Ar. innocentem* & *decolorem* ejusdem esse speciei, quæ, priori nomine deleto, antiquum Fallenianum "decolor" etiam retinere debet.

B. Oculi in utroque sexu nudi.

*Tribus* 1. Majores, aut mediæ, aut minores.

*Manipulus* 1:*mus*. Squamæ sub alis parvæ, valvula superiore inferiorem tegente.

*). Nervus transvers. ordinarius rectus aut subrectus.

*α*. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter aut levissime divergentes.

**137.** *A. silvestris:* antennis mediocribus obscure cinerea, capite argenteo-micante; fronte subprominente; ore vix reflexo; thoracis vittis obsoletis abdominisque linea dorsali nigris; alis subhyalinis, basi squamisque sordide flavidis; oculis in utroque sexu approximatis; ano in ♂ atro, nitido. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 70. 71. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 198. 202. Zett. Ins. Lapp. 678. 73. ♂♀. *Chortophilæ* species Macq.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, libenter locis paludosis, per prata & silvas Scandinaviæ, 1 Jun.—2 Aug., passim; valde rapax; nempe in Scania ad Esperöd &c., rarius; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Westrogothia, D. *Gyllenhal*; in Gottlandia ad Nähr, Thorsborg, Hellvig &c. sat frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Fanbyn, Mullfjellet, Åreskutan & Skalstugan, haud parce; in Lapponiis: Umenensi ad Lycksele, Stensele & Åsele, in Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*, in Tornensi, D. *Frigelius*; in Norvegia ad Thynæs, Næs, Garnæs & di-

versorium Kongsstue in jugo alpino situm; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Sat magna, angustata. Cinereo-nigricans, setosa. Caput albicans. Frons minus porrecta. Oculi approximati, in ♀ perparum remotiores, in utroque sexu per vittam frontalem angustatam atram (raro in junioribus antice, fulvo-maculatam) & orbitas tenues albas sejuncti. Antennæ nigræ, seta subpuberula. Epistoma subperpendiculare. Os haud prominens. Palpi cylindrici, nigri. Thorax cinereus, dorso certo situ vittis 3 nigricantibus, quarum media duplicata, lateralibus indeterminatis. Abdominis linea media & puncta pro insertione setarum, nigra. Anus maris tuberculatus, ater, nitidus. Alæ sat magnæ, nervo transv. ordinario subrecto, interdum leviter flexo. Squamæ longe ciliatæ. Halteres pallidi. Pedes nigri, tibiis fortiter spinosis. — Specimina Lapponica plerumque paullo minora sunt & alis basi minus flavidis. — Caveas ne hanc cum *Aricia latipenni* (118), & *Anthomyza conica* (18), confundas.

138. *A. Billbergi:* antennis mediocribus nigra, nitida, setosa, capite argenteo; fronte parum prominente; ore subreflexo; thorace antice leviter cinereo-micante; abdomine apice acuto; alis flavido-hyalinis, costa nudiuscula, squamis albicantibus; oculis in utroque sexu non late remotis; *mas:* tarsorum anticorum articulis 2 & 3 subdilatatis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 678. 75. ♂♀. (exclus. var. b.). *A. æthiops* Zett. l. c. 683. 98. ♂.

Hab. in floribus Salicis glaucæ & foliis fruticum Sueciæ mediæ & borealis, rarius, mense junio in copula capta; scilicet in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogoth. ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan; in Bottnia boreali ad Råbäcken, D. *Boheman*;

in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Lulensi ad Quickjock & lacum Randijaur, & Tornensi ad Juckasjervi.

♂♀. Corpus oblongum, nigrum, nitidum, setosum, antennarum seta nuda, basi incrassata, oculi appropinquantes, alæ subflavidæ, inermes, ut & tarsorum anticorum maris articuli 2 & 3 subdilatati, sunt præcipuæ notæ, quibus species dignoscitur. Frons leviter prominula, in ♂ modice lata l. fere subangustata, in ♀ nonnihil latior, vitta in utroque sexu atra, opaca. Humeri præsertim cinereo-micant. Abdomen in utroque sexu ovato-lanceolatum, subdepressum, apice acutum. Alæ in primis basi flavicantes, costa nuda. Nervus transv. ordin. rectus, mox ante medium areæ insertus. Nervi long. 3 & 4 ad apicem leviter divergentes. Halteres flavi. Pedes nigri, toti distincte setosi.

139. *A. atricauda:* antennis mediocribus obscure cinerea, setosa, capite argenteo-micante; fronte parum prominente; ore vix reflexo; thoracis dorso brunnescente, abdominis linea dorsali nigra; alis hyalinis, basi sordide flavidis, squamis albidis, costa nuda; *mas:* oculis cohærentibus, ano atro, nitido. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Bottnia boreali rarissime; in palude ad pagum Pello paroeciæ ÖfverTorneå d. 4 Jun. 1821 specimen descriptum inveni.

♂. Similis *Ar. lepturoides* (125), sed abdomine sublanceolato (nec lineari), subdepresso, oculis arctius cohærentibus, fronte minus prominente, antennarum seta nonnihil longius a basi (nec ima tantum basi) incrassata, thoracis disco dorsali brunnescente, ut & nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem forte minus divergentibus fere parallelis, differt. Os leviter reflexum. Antennæ sat validæ, nigræ. Alæ sordide hyalinæ, basi leviter flavidæ. Squamæ & halteres albida. Pedes nigri, setosi.

**140.** *A. articulata:* antennis subelongatis cinerea, capite albicante; ore fronteque non prominulis; pedibus nigris, trochanteribus geniculisque summis flavis; alis flavido-hyalinis, squamis albidis, costa subciliata. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali 15 Jul.—4 Aug., rarius; scilicet in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, atque in Norvegiæ jugo alpino ad Kong Carl Johans Klev & ad Kongstue Værdaliæ, 6 specimina 1840 inveni.

♀. Per antennarum elongatarum & angustarum setam distincte pubescentem & pedum articulos ferrugineos ab affinibus dignota. Oblonga, parva, grisea. Frons modice lata, vitta lata, nigro-brunnea. Antennæ longiusculæ, angustæ, nigræ, angulo apicali superiori subacuto. Facies minime prominens. Palpi subfiliformes, nigri. Thorax antice lineolis 2 remotis, brunneis. Abdomen oblongum, sublanceolatum, vix nisi postice parce setosum. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli; transv. ordinarius subperpendicularis & subrectus (l. levissime flexus), paullo ante medium areæ insertus. Squamæ sordide albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes, parce setosi, trochanteribus & tibiarum ima basi flavis.

**141.** *A. anilis:* antennis elongatis cinerea, capite plumbeo; ore fronteque distincte prominentibus; thoracis lineis 3 læte brunneis; abdominis segmentorum 1, 2, 3 singulo basi maculis tribus trigonis, ultimoque toto, atris, nitidis; alis subbrunnescentibus, squamis albidis, costa ciliata; *femina:* tarsis anticis articulo ultimo oblongo. ♀. (Long. 2—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 682. 92. ♂? (erit ♀).

Hab. in Suecia boreali rarissime; ad radicem alpis Mullfjellet juxta diversorium Forsa 27 Jun. individuum unicum inveni; in Dalecarlia & in Lapponia Lulensi ad

Quickjock a D. *Boheman* quoque deprehensa, mihique communicata; in Lapponia Umensi ad Lycksele a me 1832 detecta.

♀. Antennis validis non incumbentibus, alarum costa ciliata spinulaque distincta, ut & abdominis pictura, præcipue a reliquis differt. Caput plumbeum, nitidum. Frons modice lata, vitta lata, atra. Antennæ obliquæ, nigræ, articulo ultimo longo, valido, supra tenuissime puberulo, apice truncato. Seta triarticulata? nuda, basi incrassata. Epistoma declivum, apice distincte reflexo. Palpi leviter clavati, nigri. Thorax cinereus, lineis 3 brunneis. Abdomen oblongum, cinereum, parce setosum, apice acutum. Segmenta: 1, 2 & 3 cinerea, basi in singulo maculis 3 subtrigonis, basi cohærentibus, atris, nitidis; 4:tum triangulare, totum atrum, nitidum. Alæ cinereo-fuscanæ, basi subflavidæ l. albidæ, nervis long. 3 & 4 versus apicem divergentibus, ordinario perpendiculari, recto, fere in medio areæ inserto. Squamæ & halteres albida. Pedes nigri. — Caveas ne hanc cum *Ar. latipenni* (118) confundas. Affinis etiam *Ar. cuneicorni* (143).

142. *A. mœrens:* antennis sublongiusculis subcylindrica, nigra, nitida, capite argenteo-micante; ore fronteque prominentibus; thoracis humeris albidis; alis flavido-hyalinis, costa subnuda, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus, ano nigro, nitido. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Var. a. ♂♀. *Mas.* Undique sat dense pilosa, nigra, nitida. Oculi cohærentes. Antennarum articulus ultimus sat magnus, latus, secundo parum longior, seta capillari nuda, non ad medium incrassata. Abdomen conico-cylindricum, totum nigro-subvillosum, nigrum, nitidum, supra leviter cinereo-micans, linea dorsali nigra. Anus tuberculatus, niger nitidus, lamellis 2 verticalibus parvis nigris nitidis suffultus. Alæ cinereo-hyalinæ, basi subflavidæ. Nervi ut in *Ar. Billbergi* (138) directi. Squamæ albæ, ciliatæ. Halteres flavi. Pedes simplices, setosi; in junioribus sæpe rufescentes.

*Fem.* Oculi non late remoti, vitta frontali atra, utrinque albomarginata. Anus compressus. Alias mari descripto similis. Tarsi simplices.

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 681. 88. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂: oculis magis remotis (minus tamen quam in *Ar. Billbergi*), per vittam atram angustatam sejunctis.

Zett. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♂♀ in copula. ♂: oculis arcte cohærentibus; ♀: griseo-nigricans, oculis mediocriter remotis; in ceteris var. a. similis, forte hujus.

Zett. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. var. a. ♂: in Lapponia Umensi rarissime, in Tornensi passim, ex. gr. in silva Wittangi & ad Torneträsk, 15 Jun. - 10 Jul., atque in jugo alpino Norvegiæ in alpe Kälahög Værdaliæ 22 Jul. 1840 capta; & ♀: in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi d. 22 Jun., & ad Giebostad Nordlandiæ Norvegicæ 22 Jul., lecta; var. b. ad Kengis Lapp. Tornensis 10 Jun. inventa; atque var. c. in floribus Salicis ad Juckasjervi 21 Jun., & in copula mense Aug. ad Calix Bottniæ borealis semel deprehensa.

*Obs.* *Anth. angulicornis* Zett. Ins. Lapp. 681. 89. ad *Dialytam erinaceam* pertinet.

143. *A. cuneicornis:* antennis longiusculis cuneatis grisea, capite argenteo-micante; ore fronteque distincte prominentibus; thoracis lineis 3, abdominisque nitidi segmentorum maculis basalibus, fuscis obsoletis; alis subflavido-cinereis, costa parum ciliata, squamis albidis; *femina:* tarsis anticis articulo ultimo oblongo. ♀. (Long. 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 682. 90. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in palude sylvatica ad Juckasjervi 21 Jun. 1821 in uno specimine inventa.

♀. Antennarum forma, frons & os distincte porrecta, ut & tarsorum anticorum articulus ultimus (in ♀) oblongus, dilatatus, speciem præcipue denotant. Griseo-cinerea. Frons lata, vitta lata, atra. Orbita oculorum albida. Antennæ incumbentes, nigræ, articulo ultimo valido, cuneato, apice truncato, seta nuda, fere ad medium incrassata. Thoracis lineæ 3 brunneæ. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, parum pilosum, nitens, cinereum, segmentis basi maculis indeterminatis, obsoletis, & certo situ linea dorsali, fuscis. Alæ basi leviter flavicantes. Nervi: longitudinales 3 & 4 fere paralleli, transversus ordinarius fere in medio areæ insertus, subperpendicularis, rectus. Halteres pallidi. Pedes nigri, pubescentes, sed parum l. parce tantum pilosi. Affinis & subsimilis *Ar. anili* (141).

144. *A. murina:* antennis mediocribus oblonga, murina, setosa, capite argenteo; fronte minus prominente, ore non reflexo; abdominis linea dorsali fusca; alis cinereo-hyalinis, ima basi squamisque albidis, costa parum ciliata; *mas:* oculis non arcte cohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 682. 91. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele semel inventa; specimen quoque ad radicem alp. Åreskutan Jemtlandiæ borealis 24 Jun. 1840 legi.

♂. Læte cinerea, opaca, setosa. Antennæ nigræ, articulo ultimo non lato, 2:do duplo longiore, seta nudiuscula, l. breviter puberula, basi incrassata. Thorax certo situ subfusco-lineatus. Abdomen subconicum, ante incisuras pilosum, linea dorsali fusca, valde obsoleta. Anus compressus; vix casu? Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem divergentes, transversus

ordinarius subobliquus, levissime flexus, nec exactissime rectus. Halteres albidi. Pedes rufescenti nigri (an in juniore?), leviter cinereo-micantes, setosi, tarsorum anticorum articulis 2 & 3 leviter incrassatis seu dilatatis. Spinula costæ parva. Ab *Ar. maculifronte* (54) vix nisi oculis paullo magis approximatis, & macula supra antennas flava haud perspicua, differt.

**145.** *A. senilis:* antennis breviusculis oblongo-ovata, cinerea, immaculata, capite albescente; ore fronteque subprominentibus; alis cinereis, basi squamisque albis, costa subnuda; *femina:* oculis non late distantibus. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 682. 94. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi; ad Lycksele 1832 in uno specimine lecta.

♀. Tota læte cinerea, opaca, setosa. Caput argenteo-micans, nitens. Frons subprominula, non lata, cinerea, vitta angustata, nigra. Os reflexum. Palpi subfiliformes, nigri. Antennæ mediocres, nigræ, seta nuda, ima basi distincte incrassata. Abdomen ovatum, subdepressum, basi apiceque coarctatum, segmentis 2, 3 & 4 apice setosis. Alæ ima basi albescentes. Nervi: longitud. 3 & 4 versus apicem levissime divergentes, transv. ordinarius mox ante medium areæ insertus, rectus. Halteres albidi. Pedes nigri, setosi, leviter cinereo-micantes. Tarsi antici articulo ultimo ovato, perparum dilatato.

Var. b. ♀. paullo minor, thorace lineis 5 brunneis obsoletissimis, fronte nonnihil latiore & paullulum magis prominula; de cetero var. a. similis; in Salice ad Torneă 8 Maj in uno specimine capta; an hujus? Vel forte potius varietas sequentis.

**147.** *A. brevicornis:* antennis brevissimis, nigricans (♂), aut cinerascens (♀); capite albicante; ore fronteque distincte prominentibus; thoracis lineis 3 obscuris; alis subhyalinis, squamis albis, costa nuda; *mas:* hirsutus,

oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso. ♂♀. (Long. 1¾—2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 683. 99. ♂♀.

Hab. in floribus Salicis capreæ & cinereæ, in petris etiam sæpe sedens, cum *Ar. florali* interdum hospitium quærens, tempore vernali (Maj. Jun.) in primis vigens, in Lapponia serius (27 Jul.—2 Aug.) deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa &c., passim; e Smolandia 1835 a D. *Boheman* missa; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, & ad Upsaliam, D. *Marklin*; in Bottnia boreali ad Haparanda frequens; in Lapponia Umensi ad Lyckseie & Åsele rarius; in Lappon. Lulensi ad Quickjock, 1843, D. *Andersson*.

♂♀. Similis sequenti, sed antennis nonnihil brevioribus & oculis ♂ arctius cohærentibus præcipue dignota. Antennæ epistomate brevi multo breviores, nigræ, articulo ultimo valido, subquadrato 2:do vix duplo longiori, seta nuda, fere ad medium incrassata. Facies ante oculos distincte porrecta, ore reflexo. Palpi exserti, clavati, pilosi. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli, transv. ordinarius paullo ante medium areæ insertus, perpendicularis, rectus. Halteres testacei. Pedes simplices, nigri. *Mas:* obscure cinereus, totus distincte hirsutus. Caput supra subdepressum, oculis arcte cohærentibus, antice macula frontali triangulari, nigra. Thoracis lineæ 3 nigræ. Abdomen angustum, lineare, depressum, linea dorsali nigra. Anus parvus, ater, nitidus. *Femina:* cinerea, parce pilosa. Frons modice lata, cinerea, vitta mediocri, atra, certo situ cinereo-micante. Thoracis lineæ 3 fuscæ, obsoletæ. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, linea dorsali fusca, valde obsoleta.

*Obs.* E duobus speciminibus femineis a Cel. *Wahlberg* ex Holmia missis, alterum paullo majus, & fronte paullo latiore, vitta media atra magis lata, sed in reliquis cum specie genuina conveniens, vix diversa.

**147.** *A. floralis*: antennis subelongatis, nigricans (♂), aut cinerascens (♀); capite albicante; ore fronteque modice prominentibus; maris thoracis lineis 3, abdominisque unica dorsali & incisuris, nigro-fuscis; alis in utroque sexu hyalinis leviter fusco-flavidis, squamis albidis, costa subciliata; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine lineari, subdepresso. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Mas*: obscure cinereus. Oculi approximati, non vero arcte cohærentes, per vittam frontalem angustam nigram disjuncti. Thorax lineis 3, plus minus latis, obscuris. Abdomen lineare, angustum, subdepressum, linea dorsali distincta, incisurisque tenuiter, nigro-fuscis. Segmenta subquina ad marginem apicalem pilosa. Anus parvus, subinflexus, niger, nitidus, leviter cinereo-micans. Nervus transv. ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Pulvilli subelongati, albidi;

*Fem.*: cinerea, subimmaculata. Oculi modice remoti, per orbitas cinereas & vittam frontalem modice latam, atram, certo situ cinereo-micantem sejuncti. Abdomen oblongo-ovatum, depressim pubescens, linea media brunnescente; apice acutum. Nervus transv. ordinar. mox ante medium areæ insertus. Pulvilli parvi, albidi.

*Musca* Fall. Muscid. 71. 76. ♂. (sub qua vero plurens latent species). *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 165. 143? & 7. 327. 33? — Macq. Buff. 2. 337. 15? Zett. Ins. Lapp. 684. 102. ♂♀.

Hab. in floribus & foliis fruticum, per Scandinaviæ hortos & silvas, 27 Jun.—4 Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., sat frequens; in Gottlandia ad Gothem & Martebo; in Jemtlandia ad Skalstugan; in Bottnia boreali ad Luleå, D. *Boheman*; in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Norvegia ad Thynæs & Garnæs Værdaliæ, utque ad Suul in jugo alpino situm, adscen-

dens; in Dania, D. *Staeger.* (Sub nomine: "*Anthom. ruricola* Bouché" e Silesia a D. *Zeller* ♂ missus).

♂♀. Similis *Ar. cinereæ* n:o 57, sed plerumque paullo minor, & fronte nonnihil minus prominente, squamis sub alis albidioribus, saltem non flavidis, ut & maris oculis minus arcte cohærentibus, thorace obscuriore & tri- (nec bi-) vittato, præcipue dignota. Oblonga. Antennæ mediocres, non latæ, nigræ, seta pubescente. Palpi filiformes, nigri, pilosi. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli, seu versus apicem omnium levissime subdivergentes, tansversus ordinarius rectus l. subrectus. Costa breviter ciliata, spinula mediocri. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri.

*Obs. Musca floralis femina* Fall. l. c. ad *Ariciam cineream* nobis n:o 57; & *Musca floralis* var. *β. mas* Fall. ad *Ar. brunnescentem* nob. n:o 66, pertinet.

148. *A. sepia:* antennis mediocribus nigricans, subnitens, capite albicante; ore fronteque subprominentibus; thorace obscure cinereo, opaco; alis brevibus, leviter fuscanis, basi nigricantibus, squamis albidis, costa subciliata; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine subcylindrico, ano inflexo, nigro, nitido, stylis 2 suffulto. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 152. 121. ♂♀. & 7. 326. 9. *Chortophila* Macq. Buff. 2. 327. 15. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius: in Scania ad Lund & Sandhammar prope Ystad exempla quædam 10 Jul.—14 Aug. inveni; e Dania ex Hafnia a D. *Staeger* specimina in utroque sexu sub nomine allato mihi benigne communicata. (In Germania ad Neuenkirchen a D. *Dahlbom* 15—20 Maj. 1842 parce lecta).

♂♀. Similis *Ar. trapezinæ* n:o 124; sed magnitudine duplo minore, antennis proportione brevioribus & validioribus, seta subnuda, ano maris nigro, nec cinereo, &c., differt. Frons & os leviter prominula. Caput albidum, nigro-micans. Oculi in ♂ fere cohærentes, per lineam angustissimam nigram tantum disjuncti, in ♀ modice remoti, nempe per orbitas cinereas & vittam frontalem mediocriter latam nigram sejuncti. Palpi subfiliformes, pilosi, nigri. Thorax obscure cinereus, subimmaculatus. Abdomen nigricans, postice saltem subnitens; in ♂ lineare, subcylindricum, segmentis margine apicali pilosis, singulo in medio certo situ macula magna, subquadrata, nigro-micante; ano rotundato, tuberculo sat magno, inflexo, nigro, nitido, & segmento ventrali antepenultimo stylis s. laminis 2 verticalibus nigris pilosis appendiculato; in ♀ ovatum, cinereo-nigrum, subnitidum, postice setosum, apice acutum. Alæ breviusculæ, hyalinæ, præsertim ad basin & costam atque juxta nervos infuscatæ. Nervi: longitudinales, 3:tius (in summo apice alæ excurrens) & 4:tus subparalleli; transversus ordinarius ante medium areæ insertus, perpendicularis, rectus. Costa subciliata; spinula mediocris. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres flavidi. Pedes nigri, setosi, tarsis simplicibus. Cum *Ar. lepturoides* (125), quæ alarum costa nuda gaudet, non commiscenda. (Cfr etiam *Ar. curvicauda* 234).

*Obs.* Cel. *Dahlbom* mecum communicavit individua quædam mascula, ad Gryphiam 12 Jun.—6 Jul. 1842 inventa, quæ a descripto hujus speciei mare tantummodo magnitudine paullo minore, abdomine magis depresso, densius pubescente, nigro, parum nitido, ut & alarum costa parum ciliata, differunt. Forte specie propria, cui nomen *Ar. denigrata* proponerem. Talia vero intra Scandinaviam adhuc non observavi.

**149.** *A. transversalis:* antennis mediocribus nigricans, capite albicante; ore fronteque minus prominentibus; abdomine obscure cinereo, serie macularum dorsalium nigrarum, incisuris albescentibus; alis fumato-hyali-

nis, squamis albidis, costa subnuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depresso, ano cinereo. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali, 1 Jul.—1 Aug., minus frequens; scilicet in Jemtlandia boreali ad radicem Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, passim; in Norvegia ad Thynæs in paroecia Skogn, raro.

♂. Similis *Ar. trapezinæ* (124); sed magnitudine nonnihil minore, ore fronteque minus prominulis, oculis (♂) arctius cohærentibus, alarum costa nudiore, spinula nulla, nervis longit. 3 & 4 versus apicem paullo magis divergentibus, abdominis maculis dorsalibus nigris minoribus, ut & incisuris tenuiter cinereo-albescentibus, certe distincta. A priori, cui etiam similis, magnitudine majore, oculis (♂) magis cohærentibus, alarum costa subnuda, nervis long. 3 & 4 magis divergentibus, abdomine magis depresso, undique & densius pilosulo, postice non nitido, ano minore, cinereo, ut & appendicibus ventralibus vix ullis, differt. Antennæ mediocres l. sublongiusculæ, seta brevissime puberula. Palpi levissime clavati, nigri. Thoracis vittæ 3 nigræ in fundo obscuro vix perspicuæ. Abdomen cinereum, & supra & subtus villosum (nec setosum), vitta dorsali sat distincta, latiuscula, fusca l. nigra, per segmentorum marginem apicalem tenuem albidum ad incisuras abrupta. Alæ leviter subfuscanæ, nervo transverso ordinario ante medium areæ inserto, subobliquo, subrecto. Squamæ mediocres sordide albidæ. Halteres flavi. Pedes ut in præcedente. (Cfr. *Ar. sulciventris* n:o 62).

**150.** *A. pictiventris:* antennis elongatis validis nigricans, capite argenteo-micante; ore fronteque prominentibus; abdomine glauco, vitta dorsali nigra; alis subhyalinis, squamis albis, costa nuda; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine lineari, depresso, ano parvo, nigro, nitido. ♂. (Long. saltem 2 lin.).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele in uno specimine capta, olim cum *Ar. florali* a me commixto.

♂. Similis priori, a qua tamen antennis majoribus, ore fronteque magis exsertis, oculis remotioribus, abdominis pictura, alarum nervis transversis magis approximatis, &c., facile dignoscitur. Oculi appropinquantes, per orbitas angustas albas & vittam frontalem angustatam (antice sublatiorem) nigram tamen sejuncti. Antennæ sat longæ & latæ, nigræ, seta nuda, fere ad medium incrassata. Os margine antico longe reflexum. Palpi subfiliformes, elongati, nigri. Thorax & scutellum nigricantia, opaca, humeris leviter cinerascentibus. Abdomen subvillosum, glaucum, segmentorum singulo 1, 2, 3 in medio macula longitudinali oblongo-ovata, & ultimo fere toto, nigris; anus parvus, bituberculatus, inflexus, niger, nitidus; segmentum ventrale 3:tium lamellis 2 parvis, verticalibus, nigris, pilosis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis: long. 3 & 4 subparallelis, transverso ordinario fere in medio 1. mox ante medium areæ insertus, subobliquus, rectus. Halteres flavi. Pedes pilosi, nigri, tarsis simplicibus.

151. *A. flaviceps:* antennis mediocribus nigricans, capite fulvescente; fronte subprominente, ore haud reflexo; abdomine cinereo, linea dorsali nigra; alis hyalinis, squamis albis, costa nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine sublineari, depresso, ano cinereo. ♂. (Long. saltem 2 lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem alp. Mullfjellet d. 24 Jul. 1840 a Cel. D. *Dahlbom* detecta.

♂. Simillima *Ar. transversali* (149); an ejus varietas juvenilis? Differt vero capite & præsertim fronte supra antennas fulvis (excepto epistomate in medio cano), abdominis linea dorsali

nigra angustiore, ut & alis magis pure hyalinis. Reliqua ut in *transversali.*

152. *A. lineariventris:* antennis mediocribus obscure cinerea, capite albicante; fronte parum prominente, ore non reflexo; abdomine glauco, vitta dorsali nigra; alis subhyalinis, squamis albis, costa basi subciliata, spinula mediocri; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine lineari, depresso, ano cinerascente. ♂ (♀). (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia ad Skalstugan 20 Jul., rarius; in Lapponia Lulensi, ubi ad Quickjock a D. *Andersson* in pluribus exemplis lecta; in Norvegia ad Suul & Kongsstuen in jugo alpino Værdaliæ sitos 12—16 Jul. 1840 a me quoque semel capta.

♂. Affinis & similis *Ar. florali* (147); sed nonnihil minor, & corpore magis cinereo l. glauco, ore fronteque paullo minus prominulis, antennarum seta fere nuda seu breviter puberula, palpis forte nonnihil brevioribus, abdominis angusti incisuris non nigricantibus, ut & alarum costa magis ciliata, dignota. Thorax cinereus, vix rudimento linearum 4 fuscarum. Abdomen valde angustum. Anus subclavatus, niger, leviter griseomicans. Venter bistylatus. Alæ subfumato-hyalinæ, nervis ut in *florali* directis, at longitudinal. 3 & 4 forte nonnihil magis divergentibus (saltem non exactissime parallelis). Squamæ, halteres & pedes ut in *florali.*

♀ an hujus? Similis mari descripto, sed oculis modice remotis, per orbitas scilicet mediocriter latas albas & vittam frontalem modice latam atram sejunctis, thorace lætius cinereo, abdomine oblongo-ovato, cinereo, linea dorsali fusca obsoleta, apice acuto, ut & alarum costa fere tota ciliata, dignota. Ad Quickjock cum mare inventa. (Cfr. etiam *Ar. ciliatocosta* n:o 155).

153. *A. sepiella:* antennis mediocribus nigricans, capite albicante; ore fronteque parum prominentibus; ab-

domine obscure cinereo, linea dorsali fusca; alis subfumato-hyalinis, squamis albis, costa nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine angustato, subcylindrico, ano parvo, nigricante. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia septentrionali Lulensi, 27 Jun.—12 Aug.; scilicet ad Quickjock a D. D. *Boheman & Andersson* 1843 lecta.

♂. Similis *Ar. sepiæ* (148), sed oculis magis cohærentibus, corpore tenuius & mollius piloso, nec setoso, alis longioribus, costa nuda, abdomine toto opaco, linea dorsali angusta, obsoleta, ut & ano (♂) minore, stylis vix ullis suffulto, vere diversa. Antennarum seta nuda, basi incrassata. Palpi breves, pilosi. Thorax ad latera obscure cinerascens. Abdomen angustum versus apicem adhuc sensim fere angustius. Alæ leviter fumatæ, margine interiori hyalino, ima basi nigricantes. Nervi ut in *Ar. sepia* directi, sed longitudinales 3 & 4 versus apicem divergentes. Squamæ, halteres & pedes ut in *sepia*, sed tibiæ parcissime pilosæ, nec spinulosæ.

154. *A. angustiventris:* antennis mediocribus grisea, capite cano; ore fronteque haud prominentibus; abdomine linea dorsali obscura; alis cinereo-hyalinis, squamis albis, costa subnuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine angusto, lineari, ano parvo, grisescente. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Gottlandiæ graminosis ad Ruthe, Westö, Nähr, insularum Furillen & Fårön, rarius, 15—28 Jul. 1841 inventa.

♂. Similis iterum *Ar. florali* (147); sed magnitudine paullo minore, ore fronteque vix prominulis, abdominis incisuris non infuscatis, alarum costa non ciliata, ut & oculis maris arctius cohærentibus, dignota. Frons subdepressa, macula triangulari supra antennas parva, gilva l. nigra. Seta antennarum distincte pubescens. Epistoma albicans. Palpi parvi. Thorax subtus

cinereus, supra griseo-brunneus. Scutellum brunneo-griseum. Abdomen valde angustum, depressum, pilosum, griseum, opacum, linea dorsali angusta, continua, nigricante. Anus inflexus, mediocris l. parvus, cinereus. Venter non appendiculatus. Alæ elongatæ, nervis ut in *florali* directis. Spinula costæ parva adest. Pedes nigri, spinulosi, tarsis simplicibus.

♀. Mari similis, tota grisea, oculis modice remotis, vitta frontali mediocri, nigra, postice cinerea, abdomine oblongo, apice acuto; in insula Fårön Gottlandiæ 24 Jul. capta; an hujus?

155. *A. ciliatocosta:* antennis mediocribus cinerea, capite cano, fronte subprominente, ore non reflexo; alis cinereo-hyalinis, squamis albis, costa ciliata, spinula mediocri, *femina:* macula supra antennas flavida. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi ad Quickjock 27 Jun.—12 Aug. 1843 a D. *Andersson* lecta.

♀. Parva, oblonga, griseo- l. glauco-cinerea, subimmaculata. Frons modice lata. Oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem mediocriter latam, atram, antice breviter luteam sejuncti. Seta antennarum breviter pubescens, basi incrassata. Palpi breves, retracti, nigri. Abdomen oblongum, apice acuminatum. Alæ longiusculæ, leviter flavido-cinereæ, nervis: longitud. 3 & 4 versus apicem levissime subdivergentibus fere parallelis, transverso ord. paullo ante medium areæ inserto, subperpendiculari, recto. Squamæ minutæ, albæ. Halteres pallide flavi. Pedes nigri. Tarsi simplices. — *Ar. lineariventris* 152 est forte mas hujus?

*β.* Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

†). Squamæ sub alis in ♂ nigricantes.

156. *A. spathulata:* antennis breviusculis, nigra (♂), aut cinerea (♀), capite argenteo-micante; ore fron-

teque subprominentibus; alis squamisque nigricantibus (♂), aut albescentibus (♀); costa nuda; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine spathulato. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

*Mas:* ater holosericeus; epistoma plumbeum, nitens; oculi per lineam frontalem angustatam atram antice albo-micantem disjuncti; abdomen spathulæforme, depressum, subvillosum, cinereum, segmentis: 1:mo fere toto, 2 & 3 in medio macula magna, trapezina totum segmentum fere occupante, certo situ conspicua, atris; anus minutus; Alæ fumatæ, ima basi dilutiores; squamæ minutæ, nigræ; pedes pilosuli, intermedii: femoribus subtus, & tibiis versus apicem subincrassatis intus villosis l. ciliatis;

*Fem.:* tota cinerea, immaculata, opaca, parum pilosa; caput canum; frons in medio impressa; oculi modice remoti, per orbitas latiusculas albidas & vittam frontalem subangustatam nigram antice fuscam, l. albam disjuncti; abdomen ovatum, subnudum, subnitens; alæ cinereo-hyalinæ, basi pallescentes; squamæ parvæ, albidæ; pedes simplices, parum pilosi, tibiis parce spinulosis.

Hab. in foliis fruticum præsertim Alni, floribus Calthæ &c., in copula sæpe visa; per Sueciam borealem & Lapponiam, 21 Jun.—9 Aug., passim; scilicet in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; in Jemtlandia ad Faxelfven & Areelfven, in alpibus Åreskutan & Mullfjellen usque ad nivem perennem adscendens, ad Stalltjernstugan & Skalstugan, sat frequens; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. D. *Wahlberg* & *Andersson*; in Dovre Norvegiæ, D. *Boheman*.

♂♀. Per abdominis formam & squamarum sub alis colorem obscurum in ♂, & vittam frontalem nigram antice albam in ♀, ab aliis hujus Tribus facile dignota. Facies ante oculos non longe prominula. Seta antennarum subnuda l. tantum brevissime puberula, basi incrassata. Alarum nervus transv. ordinarius subrectus & subperpendicularis, sat longe ante medium areæ insertus. Halteres flavo-albi. Reliqua ut in diagnosi.

††). Squamæ sub alis in utroque sexu albæ.

*Decas* 1:*ma.* Alarum costa nuda.

157. *A. striolata:* antennis mediocribus cinerascens, capite albicante; ore fronteque subprominentibus; thoracis lineis subtribus abdominisque lauci unica dorsali subinterrupta, nigris; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo, subrecto; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, incisuris nigris; *femina:* macula frontali flava. ♂♀. (Long. 2 lin.).

*Mas:* schistaceo-cinereus. Oculi arcte cohærentes. Macula supra antennas nigra, interdum parva, flava. Thoracis vittæ subquinæ, quarum laterales obsoletæ. Abdomen lineare, modice latum, depressum, cinereum, linea dorsali (per incisuras quasi subinterrupta), incisurisque plus minus angustis, nigris. Anus rotundatus, parvus, inflexus, cinereus;

*Fem.:* cinerea l. grisea. Oculi mediocriter distantes, per vittam frontalem modice latam, nigram, postice griseam, antice flavam, & orbitas cinereas sejuncti. Thorax lineis 3 fuscis l. brunneis. Abdomen ovatum, cinereum, linea dorsali subinterrupta, nigricante; sæpe obsoleta, in copula.

*Musca* Fall. Muscid. 71. 77. ♂. — *Anthomyza* Meig. Dipt. 5. 173. 156? ♂. & 7. 327. 46? — Zett. Ins. Lapp. 684. 103. ♂♀.

Hab. in paludosis, atque etiam in arenosis, per Scandinaviam, 20 Maj.—28 Aug., passim, in copula multoties deprehensa; e pupa cylindrica, nuda, rufa, egrediens semel visa; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Esperöd &c., sat frequens; in Blekingia, D. *v. Borck*; in Ostrogothia raro; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia usque ad Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan, non

parce; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, & Tornensi ad Kengis & Juckasjervi; in Norvergia ad Alstahaug, Thynäs & Suul usque ad Evenäs & Lyngen Nordlandiæ, frequens. (In Helgolandia a D. *Dahlbom* quoque capta; & e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Antennæ subelongatæ, nigræ, seta tenuiter pubescente. Frons & os parum prominentia. Palpi subfiliformes, nigri, pilosi. Alæ cinereo-hyalinæ, in ♂ vix levissime subfuscanæ. Costa nudiuscula, spinula parva. Nervus transversus ordinarius non longe ante medium areæ insertus. Squamæ albidæ, ciliatæ. Halteres flavi. Pedes nigri, pilosi, tibiis spinulosis, tarsis simplicibus, unguibus pulvillisque in utroque sexu non magnis. — Fronte minus prominula, maris oculis arctius cohærentibus & feminæ macula frontali flava, ab *Ar. florali* (147) præcipue differt.

*Obs.* An nostra *Ar. striolata* identica sit cum Meigeni *Anthom. striolata* (5. 173. 56. ♂), aut *Anth. fugace* (5. 174. 157. ♂♀), pro certo dicere non possum, cum diagnoses & descriptiones harum duarum specierum Meigeniarum fere æquo jure in nostram quadrant.

158. *A. candens:* antennis mediocribus cana, capite albido; ore fronteque prominentibus; abdominis linea dorsali obscura; alis albido-hyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo, recto; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, subclavato, ano cinereo; *femina:* macula frontali flava. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Hab. in Scania ad Lund & in litore maris ad Raflunda, Esperöd & Skanör, Aug. Sept. rarius. (In Helgolandia uterque sexus a D. *Dahlbom* Jul. 1838 sat copiose lectus).

♂♀. Tota cana, setosa. Antennæ nigræ, seta pubescente, basi incrassata. Margo oris distincte reflexus. Palpi parvi, subfiliformes,

apice nigri, pilosi. Squamæ sub alis albæ. Halteres pallidi. Abdominis linea dorsalis interdum obsoleta. *Mas:* oculi postice sat arcte cohærentes. Thorax immaculatus. Anus rotundatus, cinereus, apice inflexo nigricante. Pulvilli longiusculi, albi. *Femina:* oculi per orbitas cinereas latiusculas & vittam frontalem postice cineream, in medio nigram, antice sat late flavam sejuncti. Thorax sæpe vestigio vittarum 3 dilute brunnearum. Abdomen ovatum, apice acutum. Pulvilli parvi. — Similis *Ar. cinereæ* n:o 61.

159. *A. dissecta:* antennis mediocribus obscure cinerea; ore fronteque subprominentibus; thoracis vittis tribus abdominisque unica dorsali interrupta, & incisuris, nigris; alis subfumatis (♂), nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine lineari, plano, ano nigro. ♂. (Long. fere 2 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 176. 160. ♂. (& 7. 327. 79 inter pedibus totis flavis gaudentes relata). *Chortophila* Macq. Buff. 2. 324. 2. ♂.

Hab. in Dania; sub nomine: *Anthom. dissecta* Meig. a D. *Staeger* communicata.

♂. Obscure cinerea, opaca, setosa. Caput obscure argenteum. Oculi non arcte cohærentes. Vitta frontalis nigricans, antice latior. Antennæ nigræ, seta breviter puberula. Frons modice prominula. Os leviter reflexum. Palpi subfiliformes, nigri, pilosi. Thorax dorso vittis 3 nigricantibus. Humeri cinerei, sed vix albidi. Abdomen pilosum. Anus parvus, rotundatus, subinflexus, niger, nitidus, appendicibus 2 parvis, nigris, pilosis suffultus. Alæ leviter fuscanæ. Nervus transv. ord. ante medium areæ insertus. Squamæ sordide albidæ. Halteres flavi, basi obscuriores. Pedes nigri, spinulosi. Pulvilli minusculi, albi.

160. *A. platura:* antennis mediocribus cinerascens, capite albido; ore fronteque leviter prominentibus; tho-

racis vittis 3 abdominisque unica dorsali, nigris; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, subrecto; seta antennarum nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine sublineari, plano, ano cinereo; *femina:* macula frontali flava. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 171. 152. ♂♀. & 7. 327. 42. Macq. Buff. 2. 313. 41. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ fruticibus & floribus, Jun.—Aug., vulgaris, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. copiose, verno tempore sole sereno lapidibus insidens sæpe capta; in Suecia media rarius; in Gottlandia ad Slitö (19 Jul. 1841 uterque sexus frequens); in Jemtlandia ad radicem Mullfjellen & usque ad Skalstugan, frequens; in Dalecarlia, D. *Boheman*; in Lapponia Umensi in ripa lacus Wojmsjön parce; in Lapp. Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson;* in jugo alpino Norvegiæ ad Kälahög rar. (In Helgolandia; atque ad Moabite, D. *Dahlbom*).

♂♀. Ore fronteque parum prominulis, antennarum seta subnuda, alarum costa nuda spinulaque nulla, nervo transv. ord. perpendiculari &c., species ab affinibus dignoscitur. Antennæ, palpi subfiliformes & pedes, nigra. Thoracis vittæ 3 in ♀ parum perspicuæ. *Mas:* abdominis pubescentis linea dorsalis nigra distincta; incisuræ tenuiter brunneæ. Anus parvus, leviter inflexus. Alæ levissime fuscanæ. Squamæ sordide albidæ. Halteres flavi. Pulvilli parvi, albi. *Femina:* oculi remoti, vitta frontali antice plus minus late flava. Abdomen conicum. Alæ hyalinæ. Squamæ halteresque albida. Pulvilli minuti.

161. *A. intersecta:* antennis breviusculis nigricans, capite cinerascente; ore fronteque parum prominentibus; thoracis vittis 3 abdominisque unica dorsali, atris; alis

hyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo; pedibus piceis; seta antennarum nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine sublineari, plano, ano nigro, nitido ♂. (Long. fere 2 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 175. 159? ♂. & 7. 327. 18?

Hab. in Suecia rarissime; 2 tantum individua vidi, unum in Suecia inferiori, alterum in silva Sangits Bottniæ borealis, captum.

♂. Antennæ breves, validiusculæ, nigræ, apice brevissime puberulæ, seta non ad medium incrassata. Oculi postice arcte cohærentes. Palpi ut in priori. Thorax setosus, vittis atris sat latis. Abdomen lineare (non tamen angustum), depressum, pilosum, nigricans, vitta dorsali atra. Anus parvus. Alæ hyalinæ, costa nuda & spinula nulla. Nervus transv. ord. ante medium areæ insertus, subobliquus, non exactissime rectus. Squamæ albæ. Halteres pallidi. Pulvilli parvi, albi.

*Obs.* Præter magnitudinem paullo minorem ("$1\frac{1}{2}$ lin."), & alas cinereas ("Flügel graulich"), nec hyalinas, species Meigeniana nostræ simillima videtur.

162. *A. muscaria:* antennis brevibus nigricans pilosa, capite obscure cinereo (♂), aut cinereo (♀); ore fronteque distincte prominentibus; thoracis vittis subtribus abdominisque unica dorsali incisurisque, atris; alis hyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari; seta antennarum nuda; *mas:* undique pilosus, oculis cohærentibus, abdomine lineari, angusto, plano, ano, nigricante. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

*Stomoxys* Fabr. Antl 282. 11? *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 170. 150? ♂♀. & 7. 327. 10? Macq. Buff. 2. 342. 40? ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in petris ad Lund Scaniæ mense Majo in copula semel capta; specimen unicum etiam e Dania a D. *Staeger* sub synonymia allata ante plures annos missum.

♂. Pilositas totius corporis, brevitudo antennarum, prominentia frontis & epistomatis apicis, ut & abdominis (♂) angustitas, speciem denotant. Tota nigro-cinerascens. Oculi magni postice arcte cohærentes. Frons antice triangularis. Antennarum nigrarum articulus ultimus brevis, rotundatus, seta basi incrassata. Epistoma breve, in medio retusum, lateribus certo situ obscure argenteo-micans. Palpi elongati, subclavati, nigri, pilosi. Proboscis exserta, capitulo brevi. Thoracis vittæ subquinæ atræ in fundo nigro-cinereo minus perspicuæ. Abdomen angustum, depressum, cinereum, linea dorsali & incisuris tenuiter, nigris. Anus parvus, niger, nitidus, cinereo-micans, stylis 2 ventralibus parvis, conicis, nigris, pilosis suffultus. Alæ ut in priori, at nervus transv. ord. fere perpendicularis. Squamæ, halteres & pedes ut in præcedente. — Individuum masculum sub nomine: "*Anth. tempestiva* n. sp." quoque e Dania obtinui. — Affinis *Ar. brevicorni* (146).

♀. Magis cinerea minus pilosa, capite albido, vitta frontali mediocri nigra, postice cinereo-maculata, sed macula antica flava nulla; oculis parvis, subrotundis; corpore obscure cinereo; abdomine ovato, subconvexo, linea dorsali nigra.

*Obs.* Auctoritate D. *Meigeni* synonymon *Fabricii* allegavi, quod tamen dubium videtur, dum species "antennis plumatis" a *Fabricio* describitur. — Sub nomine *Anth. brevicornis* in collectione mea olim designata.

**163.** ***A. vetula:*** antennis brevibus validis cinerea, capite albicante; ore fronteque prominentibus; thoracis lineis subtribus abdominisque unica dorsali, fuscis, obsoletis; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, recto; seta antennarum nuda. ♀. (Long. 2 lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 682. 93. ♀.

Hab. in Suecia boreali rarissime; 2 tantum exempla inveni, unum nempe in fenestra ad villam Johannis Ro Bottniæ borealis d. 12 Maj 1821, & alterum in stercore ad Wittangi Lapponiæ Tornensis d. 10 Jun. ejusdem anni.

♀. Similis priori; sed paullo major, robustior, vitta frontali nigra latiore, corpore griseo l. dilutius cinereo, pictura nigra obsoletiori, abdomine ovato, alis subcinereis &c., differt. Cinerea opaca. Frons exserta, antennæ, epistoma & palpi omnino ut in priori. Oculi parvi, rotundati, longe remoti, vitta frontali latissima nigra cinereo-micante, albido-marginata. Proboscis parum exserta. Thoracis lineæ subquinæ, fuscæ, laterales præsertim valde obsoletæ. Abdomen ovatum, pilosulum, apice acutum, linea dorsali obscura, in segmentis 3 & 4 evanescente. Alæ ima basi albescentes. Squamæ albæ. Halteres fusco-albidi. Pedes nigri.

161. *A. Naso:* antennis mediocribus nigricans pilosa, capite obscure cinereo; ore fronteque longe prominentibus; thoracis vittis subtribus atris; alis subhyalinis, basi nigris, nervo transverso ordinario subobliquo, recto; seta antennarum nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine elliptico, plano, ano hamo inflexo. ♂. (Long. 2—2¼ lin.).

Hab. in Suecia meridionaliori rarissime; in ligno recenter secato ad diversorium Dörarp Smolandiæ 3 specimina d. 1 April. 1832 inveni.

♂. Corpore nigricante undique sat dense piloso, fronte distincte porrecta, nigro-micante, alis basi (vix ad dimidium segmenti costalis 1:mi) nigris, abdomine oblongo-ovali, depresso ut & tuberculo anali inflexo hamo conico distincto incurvo nigro terminato, a reliquis facile distinguitur. Oculi magni, sat arcte cohærentes. Antennæ validæ, nigræ, seta basi crassa,

Epistoma breve, in medio retusum & cinereum. Palpi mediocres, nigri, pilosi. Thoracis vittæ atræ in fundo nigricante haud perspicuæ. Metathorax glaucus. Abdomen cinerascenti nigricans, pictura lineæ dorsalis incisurarumque atra in fundo obscuro parum manifesta. Alæ levissime fuscanæ, segmento costali 1:mo subdilatato. Squamæ mediocres, albæ, ciliatæ, valvulis subæqualibus. Halterum clava obscura. Pedes simplices nigri. — Forte ad novum genus referenda. At ♀ mihi ignota.

165. *A. fusciceps:* antennis longiusculis grisea, capite fusco-rufescente; ore fronteque subprominentibus; thoracis vittis 3 obsoletis abdominisque unica dorsali, nigris; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo, subrecto; seta antennarum subtiliter puberula; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine oblongo, depresso, ano parvo, cinereo, tibiis posticis intus ciliatis. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Dania; ex Hafnia sub nomine: *Anth. ruficeps* Meig.* specimen descriptum a D. *Staeger* 24 Oct. 1842 missum obtinui.

♂. Grisea, mediocriter pilosa, opaca. Caput rufescens (an in juniore?), epistomate in medio cinereo. Oculi sat magni, postice arcte cohærentes. Frons parum prominula. Antennæ elongatæ, subangustatæ, nigræ, seta brevissime puberula, basi incrassata. Os parum reflexum. Palpi mediocres, nigri. Proboscis exserta. Thoracis lineæ 3 fuscæ, quarum laterales rudimentariæ, media distinctior. Abdomen anguste ellipticum, planum, griseum, vitta media atra e maculis 4 subtriangularibus conflata. Appendices ventrales nullæ. Squamæ sub alis & halteres albida. Pedes nigricantes. Tibiæ posticæ intus pube brevi, erecta ciliatæ. Pulvilli parvi, albidi.

*Obs.* Vix *Anth. ruficeps* Meig. quæ "thoracem nigricantem, abdominis incisuras & 1:mum segmentum totum atra" habebit; hæ vero notæ in nostram speciem non quadrant. — Individuum

masculum 24 Apr. ad Lund captum, nuperrime e nympha egressum, subsimile nostræ *A. fuscicipiti*, sed thorace obscuriori, nervo transv. ord. multo magis obliquo, tibiis posticis intus nudiusculis, dignotum; an *Anth. ruficeps* Meig. genuina??

166. *A. obscura:* antennis longiusculis nigra opaca, capite cinereo; ore fronteque leviter prominentibus; thorace antice vittis incohoantibus griseis; abdomine cinerascente, vitta dorsali incisurisque nigris; alis brunnescentibus, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; squamis flavidis; seta antennarum breviter puberula: *mas*: oculis cohærentibus, abdomine lineari, plano, ano parvo nigricante. ♂. (Long. 2 lin.).

Macq. Buff. 2. 336. 15. ♂.

Hab. in Scandinavia rarius; in Lapponia Lulensi ad Quickjock mense Jul. 1843 a D. *Andersson* lecta; ex Hafnia sub nomine allato a D. *Staeger* 1842 missa.

♂. Corpus obscurum, antennæ longiusculæ, alæ fumatæ & squamæ flavescentes speciem præsertim denotant. Oculi sat magni, postice cohærentes. Frons parum prominula, nigro-micans, vitta supra antennas triangulum formante in specimine Quickjockensi nigrum, in Hafniensi fulvum. Antennæ nigræ, seta basi incrassata. Palpi mediocres, nigri. Proboscis exserta. Thorax niger, summo antico maculis 4 indeterminatis cinereis initium vittarum todidem indicantibus. Pleuræ cinereæ. Scutellum atrum. Abdomen modice latum, lineare, depressum, mediocriter pilosum, griseo-cinereum, linea dorsali & segmentis certo luminis situ fascia basali, fusco-nigris. Anus parvus, niger, cinereo-micans. Alæ ima basi, squamæ & halteres, flava. Pedes nigri, spinulosi, tibiis posticis intus subnudis. Pulvilli parvi. Alarum nervus transv. ordin. fere in medio l. mox ante medium areæ insertus; hinc hæc species *Anthom. brunnipenni* Macq. Buff. 2. 337. 18. valde quoque affinis videtur.

167. *A. trapezoides:* antennis mediocribus obscure cinerea, capite argenteo-micante; ore fronteque modice prominentibus; thoracis lineolis 3 abdominisque maculis trapezinis nigricantibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; seta antennarum subnuda; *mas:* oculis subappropinquantibus, abdomine lineari, plano, ano parvo, nigro, nitido. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scandinavia rarissime; duo tantum specimina inveni, unum in prato ad Östergarn Gottlandiæ 16 Jul. 1841, & alterum ad Thynäs in paroecia Skogn Norwegiæ 4 Jul. 1840 lectum.

♂. Similis *Ar. trapezinæ* (124), sed nervis long. 3 & 4 parallelis ab illa præcipue distincta. A prioribus hujus subdivisionis: oculis mediocribus, oblongis, non cohærentibus, sed per vittam frontalem nigram & orbitas tenues albas sejunctis, facile dignoscitur. Antennæ validiusculæ, nigræ, seta subnuda seu tenuiter puberula, basi incrassata. Thoracis lineæ 3 fuscæ, obsoletæ. Abdomen modice latum, mediocriter pilosum, cinereum, segmento singulo basi macula magna trapezina fusca certo situ conspicua, sed alio situ tantum lineolam formante. Alæ levissime fuscanæ, costa brevissime subciliata, spinula minuta. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes nigri. Tibiæ spinulosæ, posticæ intus nudæ. Pulvilli parvi. — In specimine Gottlandico nervus transversus ordinarius in medio nervulo appendiceo præditus.

168. *A. lucidiventris:* antennis longiusculis validis obscura, capite argenteo-micante, ore fronteque paullo prominentibus; thoracis vitta laterali cinerea; abdomine ovato, æneo-nigro, nitido; alis hyalinis, nervo transverso ordinario in medio areæ inserto, perpendiculari, recto; seta antennarum subnuda. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi, ubi ad Quickjock mense Jul. 1843 a D. *Andersson* lecta.

♀. Per antennas sat validas, subcuneiformes, oblique porrectas, nec incumbentes, thoracis discum dorsalem obscurum, subnitentem, vittam lateralem a capite ad alas indeterminatam cineream, abdomen æneo-micans, valde nitidum, ut & alarum nervum transv. ord. fere in medio areæ insertum, a ceteris mox dignoscitur. Oculi per vittam latam atram & orbitas mediocres, cinerascentes, sejuncti. Antennæ atræ, seta fere nuda, basi incrassata. Os parum prominens. Palpi elongati, subclavati, atri, parce pilosi. Proboscis exserta. Pleuræ cinereæ. Abdomen ovatum, basi apiceque paullo angustius, supra subconvexum, parce pilosum l. fere nudum. Alæ vix fuscanæ, nervo costali atro, brevissime subciliato; spinula adest. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, subnitidi.

*Not.* Observante nuper Professore *Wahlberg* est *Ar. barbiventris* n:o 204 ♂, & *Ar. lucidiventris* ♀, ejusdem speciei.

169. *A. florilega:* antennis mediocribus cinerea, capite albicante; ore fronteque subprominentibus; thoracis lineis 3 obsoletis abdominisque unica distinctiori, fuscis; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; seta antennarum subnuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, angusto, depresso, ano parvo, cinereo. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in floribus Umbellatarum, foliis fruticum, graminosis &c., per Scandinaviam mense Julio, passim; scilicet in Scania ad Esperöd, Tranås &c.; in Ostrogothia ad Lärketorp raro; in Gottlandia ad Gothem &c., parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele semel; in Norwegia ad Thynæs, rar. (In Umbellatis ad Reinberg prope Gryphiswaldiam jam 30 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* lecta).

♂. Parva. Similis *Ar. florali* (147); sed magnitudine duplo minore, fronte minus prominula, antennis paullo brevioribus, seta nudiore, thoracis lineis brunneis obsoletioribus interdum vix conspicuis, oculis maris arctius cohærentibus, abdomine magis depresso &c., mox dignota. Abdomen valde angustum, lineare, planum, cinereum, linea dorsali subcontinua, nigrobrunnea. Alarum costa nuda. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, pilosuli. Pulvilli non magni. — Variat: macula supra antennas aut plerumque nigra, aut flavida, thorace subimmaculato, aut sæpius lineis 3 brunneis obsoletis, abdominis incisuris immaculatis, aut raro tenuissime brunneis, ut & alis subhyalinis, aut flavedine leviter subtinctis.

*Obs.* Specimina quædam hujus speciei, cujus ♀ adhuc mihi non rite cognita, in collectione mea ut "varietates γ. & δ. *Muscæ floralis*" digito Celeberrimi Falleni designata conservantur. — Individua feminea similia mari descripto, sed tota griseo-cinerea, abdomine ovato, acuto, vitta frontali modice lata atra, marginibus & postice cinerea, puncto supra antennas albo, in Scania ad Skarhult 14 Jul. 1843 capta, an hujus?

**170.** *A. strigilata:* antennis mediocribus glauco-cinerea, capite albicante; ore fronteque parum prominentibus; thoracis lineolis 3 læte brunneis; abdominis maculis strigiformibus triplici serie dispositis fuscis, lateralibus obsoletissimis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo, subrecto; seta antennarum nuda; *femina:* vitta frontali lata, atra. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 681. 101. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in individuo unico ad Lycksele capta.

♀. Ovata, cana, opaca, parum pilosa. Oculi modice remoti. Frons vix prominula. Antennæ nigræ, seta basi leviter incrassata. Palpi nigri. Abdomen ovatum, obscure cinereum, vitta

media nigra e maculis oblongis conflata. Alæ cinereo-hyalinæ, nervo transv. ord. nonnihil obliquo & levissime subflexo. Costa nuda. Squamæ parvæ, albæ. Halteres albidi. Pedes nigri.

**171.** *A. rotundiventris:* antennis mediocribus nigra, capite obscure cinerea; ore fronteque haud prominentibus; abdominis rotundati incisuris tenuissime cinereis; alis subhyalinis, nervis transversis perpendicularibus, rectis, subapproximatis; *mas:* oculis cohærentibus, ano non inflexo. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norwegia media rarissime; ad diversorium Thynæs prope urbem Levanger in paroecia Skogn d. 3 Jul. 1840 in uno specimine lecta.

♂. Per corpus atrum, opacum, frontem convexam non prominulam, abdomen rotundato-ovatum, minus depressum, ut & alarum nervos transversos exacte perpendiculares, rectos & subappropinquantes, h. e. nervum transv. ordinar. sat longe ante medium areæ insertum, a reliquis primo intuitu abunde dignota. Oculi magni. Metathorax glaucus. Abdomen atrum, certo situ incisuris & linea dorsali omnium tenuissime cinereis, unde eodem luminis situ maculæ 8 maximæ, quadratæ oriuntur. Alæ levissime fumatæ. Costa nuda. Squamæ subbrunnescentes l. sordide albidæ, vix ciliatæ. Halteres pallidi. Pedes nigri, pilosuli, sed parum spinulosi. Pulvilli non magni, albi.

*Obs.* Squamæ sub alis mediocriter magnæ, elevatæ, divergentes; valvulæ tamen æquales videntur, ita ut in insecto vivo superior inferiorem tegere possit.

**172.** *A. albinervis:* antennis mediocribus cinerea, capite cano; ore fronteque minime prominentibus; abdomine obscuro, nitente; alis cinereis, nervis basi albis, transverso ordinario perpendiculari, recto; seta antennarum subnuda; *femina:* oculis, sat magnis mediocriter re-

molis, vitta frontali modice lata, atra. ♀. (Long. fere 1½ lin.).

Hab. in Suecia rarius; in Scania ad Esperöd & Sandhammar d. 10—14 Aug. 1838 in duobus exemplis deprehensa; in prato ad Östergarn Gottlandiæ 16 Jul. 1841 etiam semel capta; tandem ad Quickjock Lapponiæ Lulensis a D. *Andersson* mense Julio 1843 lecta.

♀. Colore corporis glauco-cinereo, fronte non convexa, abdomine nitente, ut & alarum nervis præsertim basi albis, præcipue distinguitur. Frons mediocriter lata, vitta modice lata nigra. Ovata. Antennæ incumbentes, sublongiusculæ, nigræ, seta subtiliter puberula, basi tenuiter incrassata. Oculi majusculi. Palpi nigri. Thorax convexus, immaculatus. Abdomen oblongum, subconvexum, parum pilosum, nigricans, nitidum, leviter cinereo-micans, apice acutum. Nervi transversi mediocriter remoti, h. e. ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Costa nuda. Squamæ parvæ, albæ. Halteres albidi. Pedes validiusculi, spinulosi, nigricantes, fractura geniculorum puncto albo.

173. *A. pluvialis:* antennis longiusculis cana, capite argenteo-micante; ore fronteque parum prominentibus; thoracis punctis 5, abdominis segmentorum baseos 3, scutellique 2 lateralibus, atris; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo, recto; seta antennarum subnuda; *mas:* oculis cohærentibus, ano atro, nitido, ventre appendiculato. ♂♀. (Long. 1½ fere 2½ lin.).

*Musca* Linn. Fn. 1844. Degeer Ins. 6. 27. 6. Fabr. Antl. 304. 98. Fall. Muscid. 68. 71. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 163. 141. ♂♀. & 7. 327. 30. Macq. Buff. 2. 310. 30. ♂♀. T. 17. f. 13 (non bona). Zett. Ins. Lapp. 680. 85. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, truncis arborum, parietibus,

fenestris &c., per totam Scandinaviam a mense Majo usque ad Septemb., vulgatissima; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Gottlandia (ad Öja, Hoburg, Malms &c.), Nericia, Uplandia (ad Holmiam), Dalecarlia (ad Uppbo), mihi frequenter obvia; deinde passim occurrit ut ex. gr. in Jemtlandia; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Tornensi ad Kengis & Wittangi; in Norwegia ad Thynæs & Dovre; in Dania frequens. (In Germania ad Neuenkirchen, atque ad Rixdorff, Johannis Thal & Rudower prope Berolinum, in multis speciminibus a D. *Dahlbom* lecta mihique communicata. E Glogavia a D. *Zeller* quoque missa).

♂♀. Per colorem corporis læte cinereum & picturam punctatam atram mox dignota. Antennæ nigræ, seta basi tenuiter incrassata. Os leviter reflexum. Abdomen trifariam atro-punctatum; hinc novem numerantur maculæ atræ præter segmentum 1:mum fere totum nigrum. Alæ basi albicantes. Costa nuda. Squamæ mediocres, ciliatæ, niveæ. Halteres albidi. Pedes nigri, setulosi. *Mas:* pilosus; oculi sat arcte cohærentes. Scutellum atrum, puncto apicis ant linea media canis. Abdomen angustatum, maculis nigris sæpe cohærentibus, ano sat magno, atro, nitidissimo. Venter versus apicem stylis 1. appendicibus 2 nigris munitus. Pulvilli mediocres. *Femina:* subnuda. Oculi mediocriter remoti. Vitta frontalis modice lata, atra, macula stemmatum cinerea. Maculæ atræ corporis distinctiores. Scutellum canum, punctis lateralibus atris. Abdomen ovatum, apice acutum, ventre inermi. Pulvilli minuti. — In individuis majoribus nervi long. 3 & 4 non exactissime paralleli, sed versus apicem levissime divergentes. — Abdomen detritum in ♀ nigrum subnitidum.

**174.** *A. praticola:* antennis longiusculis cana; capite argenteo-micante; ore fronteque parum prominentibus; thoracis lineola in ♂, abdominisque punctis triplici

serie dispositis in utroque sexu, atris; alis albo-hyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, recto; seta antennarum nuda; *mas:* oculis cohærentibus, ventre appendicibus 2 munito. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

*Anthomyia pratincola* Panz. Fn. Germ. 108. 12. *A. pratinicola* Meig. Dipt. 5. 162. 140. ♂. & 7. 327. 29. t. 74. f. 24. ♂. Macq. Buff. 2. 341. 34. ♂♀.

Hab. in Dania Sept., teste D. *Staeger*; mihi in Scandinavia non obvia; sed plura specimina utriusque sexus e Silesia a D. *Zeller* obtinui. In museo D. *Ljungh* par quod in copula junctum captum asservatur forte ab exteris missum.

♂♀. Similis priori, sed magnitudine minore, thorace maris macula nigra tantum unica, & feminæ immaculato, præcipue dignota. *Mas:* oculis postice cohærentibus, lineola tenuissima albida tantum sejunctis. Macula frontis albæ triangularis supra antennas, cana. Thorax glauco-cinereus, postice macula oblonga atra. Scutellum atrum. Abdomen ellipticum, canum, segmento 1:mo basi lineolaque postica, atris, reliquis trifariam nigro-punctatis. *Femina:* frons vitta ferruginea. Thorax & scutellum cinerea, immaculata. Puncta abdominis parva. — Cfr *Ar. albicinta* n:o 216.

*Obs.* Nomina: *pratincola* & *pratinicola* per lapsum calami orta.

175. *A. stygia:* antennis longiusculis nigra nitida, epistomate albicante; ore fronteque non prominentibus, hac in ♀ nigra nitida, vitta angustissima, cana; alis flavis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto. ♀. (Long. 1½—1² lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 155. 127. ♀. & 7. 326. 7. *Ophyra* Macq. Buff. 2. 309. 5. ♀. *Anthomyza glabricula* var. b. ♀. Zett. Ins. Lapp. 687. 117.

Hab. in Suecia boreali rarissime; tantum 4 individua inveni, unum in Jemtlandia boreali ad diversorium Skalstugan 16 Jul. 1840, alterum in Lapponia Umensi ad Wilhelmina 20 Jul. 1832, 3:tium in Stöttingsfjellet ejusdem Lapponiæ 1 Aug. 1832, & tandem 4:tum ad Giebostäd in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ 22 Jul. 1821, capta; in Pinetis ad Lackalänga prope Lund Scaniæ exemplar unicum die 16 Jul. 1830 quoque deprehendit D. *Dahlbom.*

♀. Per frontem non prominulam, parce pilosam, nigram nitidam vitta media tenui albida, corpus nigrum nitidum, & alas flavas, a reliquis dignoscitur. Similis *Ar. leucostomæ* (46) & *fuscinervi* (48), sed a priori corpore nigro, nec cærulescenti atro, puncto supra antennas albo nullo, squamis sub alis minoribus, alis magis flavidis, &c., a posteriori fronte nitida vitta media angustissima cinerea (nec fronte opaca vitta lata atra), & ab utraque magnitudine minore, halteribus pallide flavis &c., distincta. Ab *Anthomyia carbonaria* Meig. Dipt. 5. 154. 124. ♀, cui quoque valde similis videtur, vix nisi vitta frontali albida (nec atra h. e. "mit tiefschwarzer glanzloser Stirnstrieme"). Oculi mediocres, modice remoti. Frons subconvexa, polita. Antennæ validæ, nigricantes, seta subnuda, basi graciliter & indeterminate incrassata. Epistoma breve, in medio cinereum, ad oculos album. Palpi nigri, subclavati. Thorax convexus, omnium levissime cinereo-subpollinosus. Abdomen oblongo-ovatum, parum pilosum. Alarum costa brevissime subciliata; spinula nulla. Nervus transv. ord. paullo ante medium areæ insertus. Squamæ parvæ, albæ, valvulis subæqualibus h. e. superiore inferiore fere omnino tegentem. Halteres flavi. Pedes nigri, parce setulosi.

176. *A. subpellucens:* antennis longiusculis nigricans (♂), aut cinerea (♀), opaca, capite albicante; ore fronteque minime prominentibus; abdomine fasciis tribus

interruptis flavis; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario subobliquo, recto; seta antennarum subnuda; *mas:* oculis subcohærentibus, pedum intermediorum femoribus subtus fasciculo pilorum & tibiis intus tuberculatis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ 1½ lin.).

*Anth. canicularis* v. b. Zett. Ins. Lapp. 681. 86. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali, 16 Jun.—8 Aug., passim, in copula; scilicet in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; in Jemtlandia boreali ad Undersåker, Forsa & Mullfjellet, haud raro; in Norwegia ad Næs, Garnæs & Kong Carl Johans Klev (in jugo alpino situm), frequens, D. *Dahlbom* & ipse; in Nordlandia ad Hamnvigen, raro; in alpe Dovre, D. *Boheman.*

♂♀. Affinis & similis *Ar. caniculari* (infra n:o 188), sed armatura pedum intermediorum in ♂, & squamis sub alis minoribus, valvula superiore inferiorem tegente in utroque sexu, vere dignota; ab *Anthom. ornata* Meig. Dipt. 5. 191. 188, cui pictura abdominis quoque similis videtur, pedibus totis nigris, nec femoribus flavis, differt. Pilosa. Antennæ nigræ, seta subtiliter pubescente. Alæ leviter fuscanæ, basi pallidiores, nervo transv. ord. fere perpendiculari, mox ante medium areæ inserto. Costa subtiliter subciliata. Squamæ ciliatæ, sordide albidæ. Halteres pallide flavi. Pedes nigri, setulosi. Pulvilli parvi. *Mas:* oculi magni, non arcte cohærentes, per vittam frontalem angustissimam atram & orbitas tenuissimas albas, leviter (& angustius quam in *caniculari*) sejuncti. Antennæ elongatæ (& paullo longiores quam in ♀). Thorax niger, vittis obscurioribus parum distinguendis. Abdomen spathulatum, subdepressum, subnitens, nigrum, segmentis 3 mediis maculis lateralibus 6, quarum 2 posticis minoribus. Anus non inflexus. Nervus transv. ord. subobliquus. Pedes intermedii: femoribus subtus ciliatis, versus apicem tuberculo parvo, fasciculo pilorum vestito; tibiis validis, intus ciliatis, basi subcoarctatis, nu-

dis. *Femina:* oculi mediocriter distantes, per vittam frontalem modice latam, nigram l. fuscam, & orbitas modice angustas, cinereas remoti. Thorax cinereus, immaculatus. Abdomen oblongo-ovatum, cinereum, subnitens, fasciis 1 vel 2 (raro 3) flavis, subintegris, antica latiore. Nervus transv. ordinarius subperpendicularis. Pedes simplices.

**177.** *A. armata:* antennis longiusculis nigra, capite albicante; ore fronteque minime prominentibus; abdomine cinereo, serie dorsali macularum trigonarum nigrarum; alis subhyalinis, nervis transversis subapproximatis, horum ordinario perpendiculari, subrecto; seta antennarum subnuda; *mas:* oculis magnis, cohærentibus, pedum intermediorum femoribus subtus, tibiisque basi coarctatis intus, ciliatis. ♂. (Long. fere 2 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 139. 99. & 7. 326. 20. ♂. Macq. Buff. 2. 331. 3. ♂.

Hab. in Dania, a D. *Staeger* communicata; mihi etiam in reliqua Scandinavia mense Julio passim obvia; in copula sæpe capta; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c. non raro; in Ostrog. ad Lärketorp rar.; in pratis Gottlandiæ ad Östergarn &c.; in Norwegia ad Thynæs semel. (Sub nomine *Homalomyia macrophthalma* Bouchè e Silesia a D. *Zeller* ♂ missus). ♂♂ in umbra arborum choreas ducunt, dum ♀♀ homines infestant.

♂. Similis *Ar. manicatæ* (190) & *scalari* (189). Caput argenteomicans. Oculi magni, brunnei, æneo-submicantes, supra sat arcte & longe cohærentes, linea angustissima nigra albo-marginata vix sejuncti. Antennæ nigræ, leviter cinereo-micantes. Epistoma breve, infra oculos minime descendens. Thorax niger. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, cinereum, singulo segmentorum 1, 2 & 3 macula dorsali media trigona

nigra. Anus minutus, niger, nitidus. Alæ leviter fuscanæ, basi nervis albidis; costa nuda. Squamæ albidæ, valvula superiore inferiorem haud tegente. Halteres flavi. Pedes nigri, nitentes; intermedii: femoribus subtus breviter pilosis seu hispidis, tibiis a basi fere ad medium coarctatis, deinde a medio ad apicem subincrassatis, intus breviter ciliatis. Tibiæ posticæ intus pilis sat longis, tenuibus vestitæ.

♀. Similis mari, sed tota nigricans, subnitida, vitta frontali lata, atra, abdomine ovato, pedibus simplicibus.

178. *A. sociella:* antennis longiusculis nigra (♂), aut cinerascens (♀); capite argenteo; ore fronteque minime prominentibus; abdomine cinereo, vitta dorsali subinterrupta nigra; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; seta antennarum nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine depresso, piloso, femoribus intermediis subtus hispidis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Staeger in litt. 24 Oct. 1842. ♂♀.

Hab. in Dania, Cel. D. *Staeger*, qui individuum masculum sub nomine allato mihi ad describendum benigne communicavit.

♂. Similis priori, a qua tamen magnitudine nonnihil minore, oculis vix tam arcte cohærentibus, thorace minus nigro, seu leviter cinereo-micante, abdominis maculis dorsalibus nigris angustioribus seu parum trigonis, alis basi haud albescentibus, nervis transversis modice distantibus, tibiis intermediis subsimplicibus, ut & tibiis posticis intus nudis, vere dignoscitur. Femora intermedia subtus hispidula, & spinis longioribus armata, prope apicem subito coarctata. Reliqua ut in priori.

♀. "abdomine cinerascenti micante", Staeg. l. c., a me non visa.

*Decas 2:da.* Alarum costa ciliata.

†. Nervi transversi infuscati.

**179.** *A. longula:* antennis longiusculis oblonga cinerea, capite albido; ore fronteque minus prominentibus; thoracis lineis duabus remotis, abdominisque unica dorsali interrupta, fuscis; alis subhyalinis, nervis transversis infuscatis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine cylindrico, ano cinereo; *femina:* macula frontali flava. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 72. 79. ♂♀. originaria. — (Non *Anthomyia eadem* Meig. Dipt. 5. 103. 36 & *Hylemyia* 7. 315. 16; nec *Hylemyia* Macq. Buff. 321. 23, quæ ad *Ariciam pullulam* nob. n:o 60, pertinet).

Hab. in Sueciæ meridionalis plantis silvaticis, D. *Fallén*; in Scaniæ littoribus marinis ad Raflunda & Esperöd mense Julio mihi raro obvia.

♂♀. Per colorem corporis cinereum, thoracis lineas 2 (nec 3) remotas brunneas, antennarum setam tenuissime puberulam, nec distincte pubescentem, alarum nervos transversos fuscedine cinctos, ut & costam totam præsertim in ♀ ciliatam, ab aliis subsimilibus facile dignoscitur. — Antennæ mediocres, nigricantes. Frons & os parum l. leviter tantum prominentia. Palpi nigri. Nervus transv. ord. subperpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamæ albidæ. Halteres flavi. Pedes simplices, spinosi, nigri. *Mas:* cinereus. Caput argenteo-micans. Oculi arcte cohærentes. Antennæ longiusculæ. Abdomen cylindricum, pilosum, linea dorsali interrupta brunnea; postice subangustatum, ano mediocri, inflexo, cinereo. Costa breviter ciliata, spinula parva. Pulvilli sat magni, albi. *Femina:* cana. Caput albidum. Oculi parvi, sat late distantes, per vittam frontalem modice latam nigram, antice flavam, postice cineream, & orbitas proportione sat latas, canas, sejuncti. Antennæ mediocres. Abdomen ovato-oblongum, apice acutum, totum griseum, pubescens, vestigio lineolæ dorsalis interruptæ, brunneæ. Costa distincte ciliata;

spinula distincta. Pulvilli parvi. (Cfr *Ar. pullula* supra n:o 60, & *parvula* infra n:o 219).

††. Nervi transversi non infuscati.

180. *A. antiqua:* antennis elongatis cinerea, setosa, capite albicante; ore fronteque subprominentibus; thoracis lineis tribus, abdominisque unica dorsali, fuscis; alis cinereis, nervo transverso ordinario subobliquo, recto; seta antennarum tenuiter pubescente; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine sublineari, subdepresso, ano cinereo; *femina:* macula frontali rufa. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 166. 145. ♂♀. & 7. 327. 31.

Hab. in Suecia præsertim meridionali Jun.—4 Aug., passim; e pupa cylindrica, nuda, flava utriusque sexus specimina d. 17—29 Maj. 1836 egressa; larvæ sordide albæ, subpellucidæ, utrinque serie punctorum nigrorum ornatæ, in fungis terrestribus putridis in Pinetis ad Lackalänga & Kjeflinge prope Lund Scaniæ d. 19 Sept. 1835 a Celeb. D. *Dahlbom* inventæ, quæ mox in pupas nominatas, sub hieme in terra conservatas, abierunt; in Gottlandia ad Furillen & Gothem; in Jemtlandia ad Faxelfven, Åreskutan, Skalstugan & Mullfjellet plures feminas Jun. 1840 legi; in Norwegia ad Thynæs. (In Helgoland, D. *Dahlbom*).

♂♀. Similis *Ar. florali* (147), sed fronte paullo minus prominente, nervis longit. 3 & 4 parallelis, transverso ord. paullo minus oblique ducto, ut & maris oculis arctius cohærentibus, thoracis lineis brunneis tenuioribus, nec vittis latiusculis, abdomine magis depresso, incisuris non nigris, & tandem feminæ macula frontali antica rufescente l. fulva, satis superque dignota. Ab *Ar. brunnescente* (66) thorace alisque haud brunneis differt. Antennæ, palpi breves, & pedes, nigra. Thoracis lineæ

3 dilute brunneæ. Nervus transv. ord. mox ante medium areæ insertus, subrectus l. in ♂ levissime subflexus. Tibiæ spinosæ. *Mas:* oculi sat magni. Abdomen lineare (non multo angustum), subdepressum, linea dorsali subintegra, tenui, nigricante. Alæ levissime subfuscanæ, costa breviter ciliata; spinula parva. Pulvilli magni, albi. *Femina:* oculi minores, late remoti, per vittam frontalem modice latam, rufam l. castaneam, certo situ cinereo-micantem, postice griseam, & orbitas proportione sat latas, cinereas, sejuncti. Thorax sæpe subimmaculatus. Abdomen oblongo-ovatum, apice acutum, rudimento lineolæ dorsalis interruptæ, fuscæ. Costa distincte ciliata; spinula distincta. Pulvilli parvi. — Feminæ seniores corpore magis obscure cinereo, vitta frontali in medio nigra, a feminis *Ar. striolatæ* (157) ægre dignoscuntur, nisi alarum costam distinctius ciliatam probe observes. Pedes in juvenilibus picei. Mas ab *Ar. brunneilinea* (58), cui abdominis pictura simillimus, oculis cohærentibus, nec subremotis, mox dignotus.

Var. b. *pruinosa*, ♀. Similis var. a., sed thorax & abdomen magis grisea l. flavescenti cinerea. — In Scania & Jemtlandia cum var. a. rarius inventa. — In alpibus Dalecarlicis & Lapponia Lulensi ad Quickjock, a D. *Boheman* deprehensa. (In Germania ad Neuenkirchen prope Gryphiam d. 15—20 Maj. a D. *Dahlbom* capta).

181. *A. arrogans:* antennis mediocribus cinerea, capite cano; ore fronteque prominentibus; epistomate inferne rufo; abdominis linea dorsali fusca; alis cinereis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, recto; seta antennarum subnuda: *femina:* abdomine sublanceolato, macula frontali flava. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scania rarissime; 2 specimina in Salice viminali ad Lund die 21 Maj. 1830 ab oculatissimo nostro *Dahlbom* inventa.

♀. Similis *Ar fuscicipiti* (165); sed præter differentiam sexus, differt etiam ore fronteque magis porrectis, corpore cinereo,

nec griseo, thorace vix vittato, alis albido-cinereis, ut & costa magis ciliata, spinula distincta. Caput canum, nitens, subbuccatum seu facie sat distincte prominula. Oculi parvi, sat late remoti, vitta frontali modice lata, rufo-flava, postice cinerea. Antennæ validæ, nigræ, seta basi incrassata, in medio tenuissime puberula. Regio circa os rufescenti flava. Palpi subfiliformes, nigri. Thorax vestigio linearum 3 dilute brunnearum. Lineolæ 2 approximatæ, abbreviatæ, valde tenues, nigræ in thoracis antico observantur. Abdomen oblongo-lanceolatum, cinereum, opacum, linea dorsali fusca, in altero specimine vix observanda. Alarum costa breviter, sed distincte, ciliata, spinula distincta. Nervus transv. ord. non longe ante medium areæ insertus. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres flavi. Pedes nigro-picei, pilosi, tibiis parce spinosis.

182. *A. melanogaster:* antennis breviusculis cana; ore fronteque prominentibus; abdomine atro, nitido; alis albidis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; tibiis basi rufis; seta antennarum nuda; *femina:* vitta frontali flava, abdomine ovato. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime, in unico tantum exemplo deprehensum.

♀. Similis *Ar. nigriventri* (52); sed thorace cano, immaculato (nec griseo, nec fusco-trilineato), antennis brevioribus, fronte magis prominente, cana, vitta subangustata, flava, postice cinerea (nec vitta latiuscula, atra, in medio polita), alis albis, nervis pallidis, nec infuscatis, costa breviter ciliata, spinula parva, squamis parvis, valvulis æqualibus, ut & tibiis basi rufescentibus, abunde ab illa dignota. Antennæ validæ & palpi nigra. Oculi parvi, rotundati. Nervus transv. ord. ante medium areæ insertus. Halterum petiolus testaceus, clava mutilata.

183. *A. seminitida:* antennis mediocribus obscure cinerea, capite albido; ore fronteque vix prominentibus;

abdomine ovato, acuto, atro, nitido; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, subrecto; seta antennarum nuda; *femina:* vitta frontali nigra. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel capta.

♀. Priori similis, sed magnitudine nonnihil minore, colore cinereo, nec cano, alis magis hyalinis, vittta frontali pedibusque totis nigris, ut & in primis ore fronteque haud prominulis, vere distincta. Oculi modice remoti, vitta frontali latiuscula, nigra. Antennæ validæ, nigræ, seta basi indeterminate & graciliter incrassata. Palpi breviusculi, subfiliformes, nigri. Thorax vestigio vittarum 3 fuscarum. Abdomen totum nigrum, nitidissimum. Alarum costa breviter & tenuiter ciliata; spinula parva. Nervus transv. ord. fere perpendicularis & fere rectus. Squamæ minutæ, albæ. Halterum petiolus testaceus, clava mutilata. Pedes nigri, pilosi, tibiis spinulosis.

**). Nervus transversus ordinarius inflexus.

181. *A. conifrons:* antennis mediocribus, cinereo-nigricans (♂), aut griscscens (♀); epistomate argenteo; fronte modice prominente, atra; ore leviter reflexo; thoracis vittis 3, abdominisque unica, atris; alis hyalinis, basi nigris (♂), nervis longitudinalibus versus apicem divergentibus, costa ciliata; seta antennarum nuda; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine subcylindrico, ano nigro, appendicibus ventralibus bidentatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinavia boreali, 27 Jun.—12 Aug. minus frequens; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan; in convallibus Lapponiæ Lulensis ad Quickjock (♂), D. *Boheman*;

in jugo alpino Norwegiæ ad diversorium Suul Wærdaliæ, D. *Dahlbom.*

♂. Per antennarum setam nudam, alas basi nigras, costam ciliatam, nervos long. 3 & 4 versus apicem divergentes, transversum ordin. obliquum & modice inflexum, ut & abdomen conico-subcylindricum, anumque inflexum, atrum, nitidum stylis 2 ventralibus atris, nitidis, in medio dente instructis suffultum, a confinibus facile dignoscitur. Vitta frontalis atra, opaca, postice angustissima, anterius dilatata. Antennæ suboblique porrectæ, nec exacte incumbentes, subcuneiformes, validæ, nigræ, seta basi incrassata. Palpi elongati, subfiliformes, nigri, pilosi. Abdomen pilosum, vitta dorsali nigra subinterrupta. Incisuræ certo situ tenuiter nigræ. Alarum costa mediocriter ciliata, spinula mediocri. Squamæ mediocres, ciliatæ, flavido-albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, pilosi & spinulosi, pulvillis sat longis, albis.

♀. Similis mari, sed tota grisea, vitta frontali latiuscula, antennis, palpis pedibusque, nigris. Caput flavido-album, nitens. Thoracis vittæ 3 brunnescentes. Abdomen ovatum; vitta media fusca vix conspicienda. Alæ basi ferruginantes. Pulvilli parvi. Forte hujus?

185. *A. octoguttata:* antennis longiusculis nigra, opaca, epistomate albescente; ore fronteque haud prominentibus; abdomine maculis lateralibus 8 quadratis glaucis; alis squamisque leviter fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, transverso ordinario subobliquo, leviter flexo, costa nuda; seta antennarum nuda; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depresso, ano parvo, nigro, nitido. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; in monte Thorsborg 14 Jul. 1841 specimen descriptum inveni.

♂. Similis *Ar. florali* (147) & *striolatæ* (157), sed ab illa ore fronteque minus prominulis, nervis long. 3 & 4 parallelis, costa

nuda, squamis subfuscanis &c., & ab hac magnitudine minore, thorace nigriore, squamis fuscanis &c., differt. Oculi magni. arcte & sat longe cohærentes. Frons antice angusta, nigra. Antennæ nigræ, seta basi graciliter incrassata. Epistoma cinereum, apice non reflexum. Palpi breviusculi nigri. Thorax & scutellum brunnescenti nigra. Metathorax cinereus. Abdomen glaucum, pilosulum, linea dorsali sat lata, regulari, continua, & fasciis 4 (harum una ad basin & 3 ad incisuras) sat latis, rectis, nigris; hinc exstant ad latera maculæ utrinque 4, quadratæ, glaucæ. Nervus transv. ordinarius sat longe ante medium areæ insertus. Squamæ mediocres, ciliatæ. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, hirti, vix spinulosi. Pulvilli non magni. Ab *Ar. radicum* infra (196) squamarum valvula superiore inferiorem omnino tegente præprimis differt.

186. *A. obtusa:* antennis mediocribus validis cinerea, capite albo, nitido; ore fronteque distincte prominentibus; thoracis lineis abdominisque maculis micantibus fuscis, obsoletis; alis cinereo-hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, transverso ordinario subobliquo, leviter flexo, costa nuda; seta antennarum nuda; *mas:* oculis approximatis, abdomine subovato. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 682. 95. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele unicum exemplum inveni.

♂. Statura corporis obtusa. Cinerea, opaca, parce setosa. Caput argenteo-micans, subbuccatum. Oculi non magni, oblongi, non arcte cohærentes, sed per vittam frontalem tenuissimam nigram & orbitas angustas albas, anguste remoti. Facies ante oculos distincte prominens. Antennæ nigræ, seta basi incrassata. Epistoma infra oculos sat longe descendens. Palpi breviusculi, nigri, pilosi. Thoracis lineæ 3, brunneæ, media tantum perspicua. Scutellum immaculatum. Abdomen ovatum, subconvexum, canum, maculis indeterminatis certo luminis situ fusco-micantibus; linea dorsali fusca distinctiore. Anus cine-

reus, subcompressus (an casu?). Nervus transv. ordinar. fere in medio areæ insertus. Squamæ mediocres, ciliatæ, albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, cinerascentes, pilosi, tibiis spinulosis. Pulvilli parvi.

*Manipulus 2:dus.* Squamæ sub alis mediocres l. parvæ; valvula superiore inferiorem haud tegente.

*. Nervi transversi infuscati. (Magna).

187. *A. longicornis:* antennis elongatis nigricans (♂), aut cinerea (♀); capite argenteo; ore fronteque prominentibus; thoracis lineolis 2 approximatis, nigris; alis subhyalinis, basi, squamis halteribusque flavis, nervo transverso ordinario inflexo, infuscato; *mas:* oculis appropinquantibus, ano parvo, cinereo; *femina:* oculis late remotis, vitta frontali lata, nigra, ano acuto. ♂♀. (Long. 2½ fere 3½ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 678. 74. ♂♀.

Hab. in silvis Scandinaviæ borealis, 17 Jun.—2 Aug., minus frequens; scilicet in Jemtlandia, ubi feminæ in ligno abietino recenter secato ad Forsa prope radicem Mullfjellet mense Julio deprehensæ; in silva ad Wittangi Lapponiæ Tornensis uterque sexus Junio inventus; in Norwegia ad diversorium Suul Wærdaliæ, in jugo alpino situm, unicum specimen masculum legit D. *Dahlbom.*

♂♀. Per magnitudinem magnam, antennas longas, lineares, subangustatas, caput subbuccatum, albidum, alarum basin squamasque fulvescentes, nervos transversos distincte infuscatos, horum ordinarium distincte inflexum &c., a confinibus facile distinguitur. Facies prominens, argentea. Antennæ nigræ, seta tenuiter puberula, basi incrassata. Os antice leviter prominens. Palpi elongati, cylindrici, nigri, pilosi. Thorax lineolis anticis 2 angustis approximatis, nigris. Abdomen ovatum, convexum, cinereum, certo situ maculis obscure micantibus. Ala-

rum nervus transversus ordin. paullo ante medium areæ insertus. Squamarum valvula superior inferiorem vix ad dimidium tegens. Halteres flavi. Pedes nigri, spinosi. *Mas:* obscurior. Oculi paullo remoti, per vittam frontalem modice angustam, nigram & orbitas tenues albas, non late sejuncti. Costa breviter ciliata. Pulvilli magni, albi. *Femina:* plerumque major, magis cinerea. Oculi late remoti, per vittam frontalem latam, nigram & orbitas modice angustas cinereas disjuncti. Costa ciliata, spinula distincta, nigra. Pulvilli parvi, albi.

**. Nervi transversi non infuscati. (Minores aut parvæ).

a). Abdomen basi flavo-subpellucidum.

188. *A. canicularis:* antennis longiusculis obscure cinerea, capite albido; fronte vix prominente; thorace sublineato; alis hyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, subrecto, squamis albis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine elliptico, maculis anticis flavo-diaphanis; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine ovato, basi interdum fascia testacea. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

*Musca* Linn. Fn. Su. 1841. ♂. Schrank Austr. 462. 938. ♂. Fabr. Antl. 303. 97. ♂. Fall. Muscid. 69. 72 ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 143. 101. ♂♀. & 7. 326. 22. Macq. Buff. 2. 334. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 681. 86. ♂♀.

Hab. a primo vere usque ad serum autumnum, per totam Scandinaviam, alpibus Lapponicis tantum exceptis, vulgatissima; in copula multoties capta. *Mares* lucis umbrosis sub arborum frondiferarum coma, atque etiam in cubiculis mense caniculari meridie & vespere choreas agunt. In fenestris quoque frequens. ♀ vivaciter currens, ♂ ægre serpens. 2 l. 3 generationes anno exstant. *Larvæ*

in vegetabilibus putridis etiamque in caseo antiquo vivunt. *Ova* oblonga, nivea. (Sub nomine: "*Anthomyia hilaris* Duf." specimina mascula e St. Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missa).

♂♀. Oblonga. Antennæ nigræ, seta nuda, basi incrassata. Os non reflexum. Palpi nigri. Abdomen depressum, pubescens, haud pilosum. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transversus ordinar. perpendicularis, subrectus, interdum leviter flexus; costa nuda; spinula nulla. Squamæ albæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes simplices, inermes, parce pilosi, nigri, summa geniculorum flexura testacea. Pulvilli parvi. *Mas:* caput album. Oculi magni, subcohærentes, tantum per orbitas tenues albas disjuncti. Thorax dorso sæpe brunnescens, vittis 3 obscuris, obsoletis. Abdomen ovale, cinereum, linea dorsali incisurisque utrinque abbreviatim, nigricantibus, segmentis 2:do, 3:tio & interdum etiam basi 4:ti lateribus testaceo-diaphanis. Anus parvus, depressus, cinereus, subtus rima longitudinali. *Femina:* caput griseo-cinereum. Oculi mediocres, oblongi, sat late remoti, per orbitas proportione latas, cinereas, & vittam proportione angustatam, nigram, griseo-micantem, disjuncti. Thorax vittis 3 brunneis l. obscuris, media distinctiore. Abdomen ovatum, cinereum, basi sæpe fascia testacea.

*Obs.* *Anth. canicularis var. b.* ♀. Zett. Ins. Lapp. l. c. ad *Aric. subpellucentem* n:o 176 pertinet. — *Musca canicularis* Linn. & *Musca domestica* minor Degeer. vix ejusdem speciei.

### b.) Abdomen totum cinereum aut nigrum.

### †. Venter in utroque sexu nudus aut nudiusculus.

### α. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

*Pugillus* 1. Nervus transv. ord. leviter flexus. Antennæ longiusculæ. Alarum costa nuda aut subnuda. Oblongæ. (*Larva* cujusdam speciei hujus Pugilli "acephala ovato-attenuata spinu-

losa postice declivis; spinulis pinnato-fimbriatis; dorsalibus in seriebus duabus dispositis brevibus simplicibus stigmatibus posticis subtrilobatis, anticis exsertis gracilibus octo-digitatis; long. 3—4 lin. in Boletis carnosis putrescentibus habitans" & "*pupa* larvæ consimilis & brevius ovata, segmentis duobus anticis evanidis; long. $2\frac{1}{2}$—3 lin." a Nobil. D. *Leon Dufour* in Annal. des Sc. Natur. Extr. p. 5. describuntur.

189. *A. scalaris:* nigricans, capite albescente; ore fronteque non prominentibus; thorace nigro-bivittato; alis hyalinis, squamis albis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine elliptico, glauco, vitta dorsali fasciisque nigris, tibiis intermediis intus tuberculatis; *femina:* oculis remotis, abdomine ovato, subunicolore, pedibus, simplicibus. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Fabr. Antl. 305. 106. ♂. Fall. Muscid. 69. 73. ♂♀. (sub qua plures species latent). *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 141. 102. ♂♀. & 7. 326. 19. Macq Buff. 2. 333. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 681. 87. ♂♀. *Fannia* (Faunia?) *saltatrix* Rob. Desv. n:o 1. — *Anthomyia manicata* Leon Dufour Annal. des Scienc. Natur. Extr. p. 5. n:o 2. ♂♀. videtur?

Hab. in foliis fruticum, per hortos & nemora totius Scandinaviæ, a medio mensis Maji usque ad medium Oct., ubique frequentissima; scilicet in Suecia, Lapponia (alpibus exceptis), Norwegia usque ad Nordcap, & Dania, vulgaris; in copula sæpissime capta; mares choreas in arborum umbra instituentes; feminæ in ligno recenti Pini, & in fenestris sæpe lectæ. *Larvæ* in stercore præcipue humano degunt. Plures generationes (saltem 2 l. 3) anno observantur. Pupa onisciformis. (E Glogavia a D. *Zeller*, & e Kilia a D. *Wiedemann* communicata; ad

Berolinum, D. *Dahlbom*, qui feminam a *Crabrone* prædatam observavit).

♂♀. Affinis & similis priori, sed plerumque paullo major, & antennarum seta magis nuda, abdomine minime flavo-maculato, alarum nervo transverso forte nonnihil magis flexo, ut & in ♂ tibiis intermediis tuberculatis, mox dignota. Tibiæ anticæ basi plerumque anguste testaceæ. Alæ ima basi albescentes. *Mas:* abdomen glaucum, vitta dorsali & fascia in segmentorum 2, 3 & 4 margine apicali utrinque subabbreviata, nigris. Pedes intermedii: femoribus subtus fasciculatim pilosis, tibiis pone medium intus tuberculo nigro. *Femina:* abdomine subimmaculato, sæpe nigro, nitido, pedibus simplicibus. Reliqua ut in *Ar. caniculari.*

*Obs.* Larvæ subovales,onisciformes, depressæ, nudæ, testaceæ, e 10 annulis (præter apicalem) constantes. Ad marginem lateralem singulo annulo (excepto ultimo) & dorsali & ventrali (unde ad utrumque latus duplex oritur series stylorum) adhæret dens modice longus, acutus, seu stylus (spinula) mobilis, membranaceus, uncinatus, utrinque ciliatus. Segmentum anale? (vix caput?) semirotundatum, deplanatum, disco breviter bicornutum, margine stylis 6 foliaceis, angustis, acutis, pennatis ornatum. Tales larvæ, a D. Prof. *Sparrman* in Act. Holm. 1806. p. 239. T. 6. f. A. B. discriptæ & depictæ, ex intestinis hominis egressæ. Post statum metamorphoseos puparum in terra sub 3 a 4 hebdomat. imagines declaratæ hujus speciei proventæ fuerunt. Exempla etiam quædam harum ipsissimarum & larvarum & imaginum a D. *Sparrman* observatarum acui adfixa, per benignitatem Cel. *Schönherri* communicata, jam ante oculos habeo.

190. *A. manicata:* nigricans, capite albescente; ore fronteque non prominentibus; thorace nigro-bivittato; tibiis anticis flavis, apice atris; alis hyalinis, squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine elliptico, glauco, singulo segmento in medio macula trigona nigra, tibiis

intermediis versus apicem incrassatis; *femina:* oculis remotis, abdomine ovato, subunicolore, pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

*Anthomyia* Meig. 5. 140. 100. ♂♀. & 7. 327. 71. Macq. Buff. 2. 333. 1. ♂♀. *Musca scalaris* Fall. Muscid. 69. 73. variet. — *Anth. armillata* Zett. Ins. Lapp. 679. 76. ♀.

Hab. in Scandinavia, 3 Jun.—29 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund in horto botanico 19 Aug. in copula a D. *Dahlbom* capta, ad Esperöd, ipse; in Smolandia; in Ostrogothia rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia, D. *Boheman*, qui observavit larvas in alvearibus, ubi apes exstinctæ, degentes; in Jemtlandia ad diversorium Rätan; in Lapponia Umensi in fenestra ad Lycksele ♀ semel.

♂♀. Simillima præcedenti, a qua femina vix differt nisi magnitudine paullo minori & tibiis anticis basi testaceis; mas vero oculis magis cohærentibus, tibiis anticis flavis, apice tantum atris pilosis, ut & tibiis intermediis ad apicem incrassatis, nec intus tuberculatis, facile dignoscitur. Reliqua ut in priori. — Sub nomine *Ar. fasciculifera* nov. sp. mihi e Suecia superiore ♂ missus.

*Obs.* E pupa oblonga, utrinque leviter convexa, 10-annulata, testacea, glabra, nuda, in singulo annulo (& dorsali & ventrali) denticulo laterali minuto armata, imago exclusa, teste D. *Boheman*, qui exemplar & pupæ & imaginis mihi communicavit.

191. *A. incisurata:* cinerea, capite albescente; ore fronteque non prominentibus; thorace fusco-bivittato; pedibus simplicibus, nigris; alis hyalinis, squamis albis;

*mas:* oculis subcohærentibus, abdomine elliptico, glauco, vitta dorsali fasciisque nigris; *femina:* oculis remotis, abdomine ovato, fasciis brunneis, obsoletis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 679. 79. ♂. *Anthom. impura* Zett. l. c. 683. 96. ♀.

Hab. in Scandinavia, 4 Jun.—28 Jul., passim; in copula pluries observata; scilicet in Suecia meridionali rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena, etiam ad Gusum, D. *Wahlberg*, qui sub nomine '*A. scalaris*' misit; in Gottlandia ad Nähr raro; in Bottnia boreali ad Pello in arenosis in societate cum *Ar. denticauda* (112) ♂ semel inventus; in Lapponia Umensi ad Lycksele; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad Tromsœ in fenestra domi individuum unicum femineum inventum. (Ad Gryphiam jam mense Majo a D. *Dahlbom* lecta; etiam e Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Ab *Ar. scalari*, 189, cui in ceteris simillima, differt thorace cinereo (nec nigricante), vittis fuscis, pedibus in utroque sexu simplicibus, ut & nervo transv. ordin. levissime tantum flexo. Oculi per orbitas angustas albas in ♂ paullo sejuncti. Abdomen in illæsis individuis feminarum cinereum, fasciis dilute brunneis, obsoletis. — Vix *Anth. lepida* Meig. — Sub nomine *Anth. inermi* inter Amicos meos entomologicos olim divulgata.

192. *A. lugens:* atra, capite albicante; ore fronteque non prominentibus; pedibus simplicibus; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine elliptico, cinereo, linea dorsali fasciisque abbreviatis nigris, alis fuscanis, squamis sordide albidis. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Scania & Ostrogothia rarissime, duo tantum specimina inveni.

♂. Similis *Ar. manicatæ* (190), a qua tamen magnitudine paullo minore, thorace non vittato, pedibus omnibus nigris & simplicibus ut & alis magis fuscanis, differt. Oculi magni, cohærentes l. tantum linea omnium tenuissima, nigra, sat dense nigropilosa, levissime sejuncti. Antennæ nigræ, seta nuda. Epistoma infra oculos non descendens, cinereum, certo situ argenteum. Palpi nigri, retracti. Thorax & scutellum atra, opaca. Tuberculum ani parvum, nigrum, nitidum. Abdomen subdepressum. Alarum nervi transversi subapproximati, horum ordinarius levissime flexus. Pedes simplices, parum pilosi. Halteres flavi. — Ab *Ar. serena* (208), cui similis, magnitudine nonnihil majore, corpore non nitente, & valvulis squamarum inæqualibus, dignoscitur.

193. *A. cristata:* nigra (♂), aut cinerea (♀); opaca, pilosa, capite cinerascente, puncto supra antennas albo; ore fronteque non prominentibus; alis subfuscanis, squamis sordide albidis, halteribus flavis; pedibus simplicibus; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine ovato, subconvexo, cinereo, linea dorsali interrupta, nigra; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali latiuscula, atra, abdomine ovato, acuto, cinereo, immaculato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Musca meteorica* var. 'femoribus simplicibus' Fall. Muscid. 64. 63. Descript. ♂.

Hab. in Suecia minus frequens; scilicet ♂ in Scania & Suecia media raro inventus; in Jemtlandia ad radicem alp. Mullfjellet etiam ♂ 27 Jul. 1840 semel; in Lapponia Lulensi ad lacum Randijaur d. 12 Aug. 1843 ♂♀ rarissime, D. *Boheman*, qui mihi exemplum unicum utriusque sexus ad describendum nuperrime communicavit.

♂. Ab *Anth. lepida* Wied. & Meig., cui similis videtur, differt: thorace scutelloque opacis, nec nitidis; abdomine ovato, subconvexo, nec plano, ut & linea tantum dorsali interrupta nigra, nec vitta dorsali fasciisque nigris. Oculi sat arcte cohærentes, vix linea nigra angustissima disjuncti; in illæsis individuis omnium tenuissime & parcissime puberuli. Frons antice anguste triangula & punctum verticis, distincte pilosa.. Seta antennarum subnuda. Punctum inter antennas album. Palpi breves, pilosi, nigri. Thorax ater. Abdomen cinereum, pubescens & pilosum. Anus parvus, inflexus, niger, nitidus. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli l. forte versus apicem levissime divergentes; transversus ordinarius ante medium areæ insertus, subperpendicularis & leviter flexus. Squamæ flavido-albidæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Halteres flavi. Pedes simplices, modice pilosi, nigri. — Caveas ne hanc cum *Ar. foveolata* (201) confundas.

♀. Similis mari, sed differt: toto corpore cinereo, pubescente vel parum piloso; oculis microscopice & tantum tenuissime puberulis, mediocriter distantibus, nempe per orbitas angustas cinereas & vittam frontalem latiusculam atram, antice (inter antennas) puncto distincto albo, & postice (in vertice) macula cinerea inscriptam, abdomine nudiusculo, subnitido, immaculato, acuto, ut & alis minus fuscanis, basi subflavescentibus.

♀. An etiam hujus? Tota griseo-cinerea, opaca. Oculi modice remoti. Orbitæ proportione latæ & vitta frontalis proportione angustata, griseo-cinereæ. Antennæ nigræ. Punctum inter antennas album nullum. Palpi nigri. Thoracis dorsum vestigio vittarum 3 brunnearum. Abdomen ovatum, non pilosum, rudimento lineæ dorsalis interruptæ fuscæ. Alæ subhyalinæ. Squamæ albidæ. Pedes nigri. In Blekingia in fenestra domi 15 Aug. capta.

194. *A. mutica:* nigricans (♂), aut obscure cinerea (♀); capite albicante; ore fronteque non prominentibus; alis subhyalinis, squamis albidis; pedibus simplicibus; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine elliptico, de-

presso, glauco, linea dorsali fasciisque abbreviatis nigris; pedibus intermediis subtus ciliatis; *femina:* oculis remotis, vitta frontali modice lata, nigra, abdomine ovato, obscure cinereo. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{3}{4}$, ♀ $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali & media rarius; in horto Lundensi Scaniæ 3 Jun. 1839 in copula deprehensa; in Gottlandiæ pratis ad Wamlingbo, Rhone & Slitö 5—19 Jul. 1841 tria specimina mascula inventa.

♂♀. Caput argenteo-micans. Punctum inter antennas album nullum. Antennæ nigræ, seta omnino nuda, basi graciliter incrassata. Os infra oculos non descendens. Palpi retracti, nigri. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli l. versus apicem leviter approximati; transversus ordin. fere perpendicularis, leviter flexus, paullo ante medium areæ insertus. Squamarum valvulæ inæquales. Halteres flavi. Pedes nigri, mediocriter pilosi, simplices, tibiis intermediis in ♂ leviter versus apicem incrassatis. Ab *Anth. lepida* Meig. vix nisi thorace minus nigro, neque nitido, alis maris parum fuscanis, & puncto inter antennas feminæ albo nullo, differt. *Mas:* oculi magni fere cohærentes, orbitis tenuissimis, argenteis, continue (nec ut in priori interrupte) pilosis, tantum angustissime disjuncti. Abdomen pubescens, parce pilosum. Anus parvus, niger. Pedum intermediorum femora subtus & tibiæ intus ciliata. *Femina:* oculi modice remoti. Orbitæ proportione sat latæ, cinereæ. Vitta frontalis proportione non lata, nigra, postice grisea. Abdomen immaculatum, subnitens.

Var. b. ♂. similis var. a. sed thorace atro, alis squamisque fuscanis diversus, in Jemtlandia ad Mullfjellet 27 Jul. captus. An propria species?

195. *A. albipuncta:* nigra (♂), aut cinerea (♀); capite albicante; ore fronteque non prominentibus; puncto supra antennas niveo; alis subhyalinis, squamis albidis; abdomine ovato, convexo, glauco (♂) aut cinereo (♀);

pedibus simplicibus; *mas:* oculis cohærentibus, tibiis posticis intus in medio fasciculo pilorum; *femina:* oculis remotis, vitta frontali lata nigra; tibiis posticis intus nudis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{3}{4}$, ♀ $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund 10 Jun. 1838 unicum par in copula inveni. In Jemtlandia feminam legit D. *Dahlbom.*

♂♀. Similis *Ar. cristatæ* (193), a qua abdomine immaculato, alis maris minus infuscatis, nervis longitud. 3 & 4 exacte parallelis, transversis paullo magis approximatis, ut & tibiis posticis in ♂ intus in medio fasciculo pilorum 3 l. 4 erectorum. Punctum frontale magnum, album. Pedes pilosuli. Femora postica maris subtus in medio pilis 2 brevibus, approximatis, erectis. Reliqua ut in *cristata.*

*Pugillus* 2. Nervus transvers. ordinarius rectus. Pedes simplices. Squamæ sub alis valvulis inæqualibus.

196. *A. Radicum:* antennis mediocribus nigricans (♂), aut cinerea (♀); capite albicante, ore fronteque paullo prominentibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario obliquo; squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, thorace vittis 3 nigris, abdomine elliptico, plano, glauco-cinereo, linea dorsali incisurisque atris; *femina:* oculis remotis, vitta frontali nigra, antice fulva, postice cinerea, thoracis vitta dorsali, abdominisque ovali, cinerei linea dorsali, brunneis obsoletis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Musca* Linn. Fn. Su. 1840. ♂. Fall. Muscid. 72. 78. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 168. 148. & 7. 327. 38. Macq. Buff. 2. 341. 35. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 681. 104. ♂♀. *Musca Napobrassicæ* Bjerkander Act. Holm. 1780. p. 196. *Anth. Brassicæ* Wiedem. Zool. Mag. 1. p. 78. 27. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum, Compositarum, &c., etiam in graminosis, per totam Scandinaviam, a medio mens. Maij usque ad medium Sept., vulgatissima, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania longe frequentissima; in Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia; Gottlandia (ex. gr. ad Slitö, Ahlskog &c.), Nericia, & Uplandia, passim copiose; in Jemtlandia usque ad Skalstugan parce; in Lapponiis Umensi, Lulensi (ad Quickjock) & Tornensi usque ad jugum alpinum adscendens, raro; in Dania frequens. (E Glogavia a D. *Zeller* & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missa. E Kilia a D. *Wiedemann* sub nomine: "*Anthom. Brassicæ* Hoffmgg." uterque sexus communicatus).

♂♀. Valde similis & affinis *Ar. striolatæ* 157, & *florali* 147; sed ab illa corpore paullo breviore & latiore præsertim abdomine, fronte nonnihil magis exserta, in utroque sexu ante antennas flavo-maculata (in ♀ tamen latius), abdomine maris pictura nigra distinctiore, feminæ vitta thoracis unica obsoleta & abdomine obscuriore, subimmaculato; a *florali* brevitate corporis, antennis forte paullo brevioribus, macula frontali flava, colore corporis feminæ paullo obscuriore; & ab utraque squamarum valvula superiore inferiorem non tegente, facile dignoscitur. Frons modice porrecta. Antennarum seta breviter puberula. Os distincte exsertum. Palpi longiusculi, subfiliformes, nigri, pilosi. Alarum costa nuda. Halteres flavi. Pedes pilosi. *Mas:* oculi brunnei, postice arcte cohærentes. Abdomen pilosum. *Femina:* oculi rufi, modice remoti, orbitis sat latis, cinereis & vitta frontali modice lata, sejuncti. Abdomen pubescens.

*Obs.* Larvæ in radicibus *Raphani* & *Brassicæ*, quas destruunt, habitare dicuntur. Hæ larvæ "2 lin. longæ, 10-annulatæ, apodæ, albæ, capite acuto, apice nigro, cauda truncata, nigro-bipunctata, mens. Sept. mutantes in pupas oblongas brunneas, e quibus iterum post earum in terra hibernationem imagines circi-

ter 12 Maji anni sequentis excludebantur", a D. *Bjerkander* l. c. describuntur.

197. *A. riparia:* antennis longiusculis oblique porrectis glauca, capite argenteo; ore fronteque prominentibus; oculis in utroque sexu remotis; thoracis vittis 3, abdominisque macula dorsali magna dentata, brunneis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari; squamis albis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ fere 2 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 67. 68. ♂♀. originaria. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 197. 199.

Hab. in plantis aquaticis ad ripas & litora fluminum & lacuum per Scandinaviam meridionalem & mediam, 20 Jul.—20 Aug., passim; scilicet in Scania ad Fogelsång, & Esperöd prope cisternam molarem; in Ostrogothia ad Gusum & ad litus lacus Wettern in primis ad Wadstena, frequens; in Gottlandia ad Lummelund; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad Kårböle, raro; in Norwegia ad Suul Wærdaliæ semel.

♂♀. Similis *Ar. litoreæ* (83) & *triangulæ* (92), sed a priori magnitudine nonnihil minore, seta antennarum nuda, nec pubescente, nervis transversis non infuscatis, horum ordinario perpendiculari, nec obliquo, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, nec versus apicem paullo divergentibus, & oculis in utroque sexu fereæque remotis; a posteriori magnitudine sæpe duplo majore, ore fronteque multo magis porrectis; & ab utraque colore corporis magis glaucescente, capite albidiore, antennis majoribus, oblique porrectis, nec incumbentibus, oculis minoribus, vitta frontali media oblongo-cordata argentea l. alba, utrinque linea atra marginata, ut & abdominis vitta dorsali brunnea latissima, dentata, sæpissime continua, rarissime per lineolam mediam tenuem cineream divisa, abunde dignoscitur. Antennæ nigræ. Palpi subclavati, nigri. Corpus, præsertim sub-

tus, schistaceum l. glaucum. Thoracis vittæ dorsales 3 brunneæ, approximatæ, interdum subconfluentes. Scutellum sæpe puncto utrinque brunneo. Abdominis ovati dorsum in singulo segmento macula media late trigona brunnea. Pedes validi, scistacei, pubescentes, sed parum pilosi, unguibus pulvillisque in utroque sexu parvis. Halteres pallidi. Abdomen in ♂ apice obtusum, ano parvo cinereo; in ♀ apice acutum. — Pedes in juvenilibus picei.

198. *A. infirma:* antennis longiusculis obscure cinerea, capite argenteo; fronte parum, ore non, prominentibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, plano, linea dorsali interrupta nigra. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 176. 161? & 7. 327. 49?

Hab. in Dania, in uno specimine sub nomine allato a D. *Staeger* communicata.

♂. Tota cinerea, opaca, pilosa. Caput albidum. Oculi postice arcte cohærentes. Antennæ nigræ, seta nuda. Palpi parvi, nigri. Thorax convexus, vix vestigio linearum 3 nigrarum. Abdomen angustatum, lineare, depressum, pilosum, cinereum, linea media subinterrupta nigra, sed incisuris haud nigris, unde dubium oritur de identitate *Anth. infirmæ* Meigeni. Alæ cinereo-hyalinæ, nervo transv. ordin. paullo ante medium areæ inserto. Squamæ albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Halteres albidi, clava majuscula. Pedes nigricantes, pilosi, pulvillis distinctis, albis. Anus non magnus, subinflexus, nigro-cinereus, subnitidus.

♀: fronte griseo-alba, vitta nigra, thorace supra dilutiore quam in ♂, & pedibus magis nigro-brunneis, a D. *Meigen* l. c. describitur, mihi ignota.

**199.** *A. glaucescens:* antennis longiusculis schistaceo-cinerea, subnitens, capite cano; ore fronteque non prominentibus; alis squamisque albidis, nervo transverso ordinario perpendiculari; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali subangustata, nigra aut ferruginea. ♀. (♂?) (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in foliis fruticum rarissime; in Scania ad Lund, & in pratis ad Öja & Nähr Gottlandiæ 7—20 Jul. tria specimina inveni.

♀. Colore corporis obscure glauco-cinereo, nitente, ore fronteque minime prominentibus, ut & alis albidis, ab affinibus dignoscitur. Immaculata, pilosa. Oculi mediocres, non late remoti, in viva rufi. Orbitæ proportione sat latæ, cinereæ. Antennæ angustatæ, nigræ, seta nuda. Palpi retracti, nigri. Os infra oculos non descendens. Abdomen oblongo-ovatum, subconvexum. Nervus transv. ordinarius distincte ante medium areæ insertus. Costa brevissime subciliata. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Halteres albi. Pedes validiusculi, piceo-nigri.

♂. Niger nitidus. Oculi approximati (non omnino cohærentes) per orbitas angustas argenteas & vittam frontalem tenuem atram, leviter disjuncti. Abdomen ellipticum, glaucescens, linea media & (certo situ) fasciis abbreviatis, nigris. Ani tuberculum mediocriter magnum, inflexum, nigrum, nitidum. Alæ nervi, squamæ & halteres albida. Pedes simplices. Reliqua ut in femina, cujus mas hic forte est? In Scania ad Esperöd semel deprehensus.

**200.** *A. lacteipennis:* antennis longiusculis cinereo-cana, capite concolore; ore fronteque parum prominentibus; alis squamisque lacteis, nervo transverso ordinario perpendiculari; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali latiuscula nigra, macula postica elongato-cordata cinerea inscripta. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; 2 specimina tantum lustravi, unum in Scania, & alterum in Gottlandiæ insula Stora Carlsön 16 Jun. 1819, captum.

♀. Per colorem dilute cinereum, alas lacteas & squamas sat magnas niveas, valvulam superiorem inferiorem vix ultra dimidium tegentem, ab affinibus facile distinguitur. Tota canescens, immaculata, opaca. Oculi non magni. Antennæ angustatæ, nigræ. Epistoma infra oculos paullo descendens. Palpi nigri. Abdomen oblongo-ovatum, subconvexum, pubescens. Nervi transversi non late distantes. Costá nuda. Squamæ parum ciliatæ. Halteres flavi. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes, pilosi, geniculis anticis tibiisque posterioribus in exemplo Gottlandico, obscure rufescentibus.

β. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem subdivergentes.

201. *A. foveolata:* antennis longiusculis nigra, opaca, capite cinerascente, ore fronteque non prominentibus; nervo transverso ordinario recto; *mas:* oculis cohærentibus, puncto supra antennas albo; abdomine ovato, subconvexo, glauco, linea dorsali interrupta, nigra; alis subfuscanis, squamis sordide albidis, halteribus nigris; pedibus simplicibus. ♂. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad alpem Åreskutan 1 Aug. 1840 semel deprehendi.

♂. *Ar. cristatæ* (193), ut ovum ovo, similis, cujus igitur descriptio heic etiam valet. Differt tantum alarum nervis: longitudinalibus 3 & 4 versus apicem nonnihil magis divergentibus, transversis paullo magis approximatis, halteribus nigris, nec flavis, ut & abdomine glaucescente (nec sordide cinerascente), in medio segmentorum 2, 3 & 4 (in specimine exsiccato) foveola transversa. Has vero notas tanti momenti esse puto, ut pro specificis eas jure habeas.

**202.** *A. perpendicularis:* antennis longiusculis nigricans (♂), aut obscure cinerea (♀); capite albicante; ore fronteque minime prominentibus; nervis transversis approximatis, perpendicularibus, rectis; squamis albidis; pedibus simplicibus; *mas:* oculis cohærentibus, puncto intra antennas albo, alis leviter fuscanis, abdomine cinereo, linea dorsali subinterrupta, nigra; *femina:* oculis non late remotis, vitta frontali latiuscula, atra, alis hyalinis, abdomine immaculato. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Fogelsång prope Lund unicum par copulatum inveni.

♂♀. Affinis *Ar. serenæ* (208). Subnitens. Antennæ nigræ, seta subnuda. Palpi nigri. Squamæ sub alis mediocres l. parvæ, albidæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non integram tegente. Halterum clava mutilata, petiolo remanente pallido. Pedes simplices, pilosi, piceo-nigri. *Mas:* oculi magni, arcte & longe cohærentes. Macula supra antennas alba distincta. Thorax niger. Abdomen ovato-oblongum, subdepressum, glauco-cinereum, lineola dorsali interrupta, nigra. *Femina:* oculi mediocres, oblongi, per orbitas tenues cinereas & vittam frontalem latiusculam atram, non late distantes. Punctum album supra antennas nullum. Abdomen subovatum, cinereum, vix maculatum.

**203.** *A. veterrima:* antennis mediocribus læte cinerea, capite cano; ore fronteque prominentibus; alis albidis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto, squamis albis; *femina:* fronte lata, cana, lineis 2 antice cohærentibus nigris. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$– $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd in duobus speciminibus lecta.

♀. Similis *Ar. lacteipenni* (200), a qua ore fronteque magis porrectis, alis paullo longioribus & angustioribus, ut & nervis

longit. 3 & 4 versus apicem leviter divergentibus, præcipue differt. Cana, immaculata, opaca. Oculi parvi, sat late remoti, vitta frontali nigra per maculam elongatam cineream postice divisa. Palpi & antennæ nigra, seta nuda, basi incrassata. Abdomen ovatum, pubescens. Alæ albæ, non vero lacteæ, nervis transversis non late remotis. Squamæ ut in *lacteipenne.* Halteres flavi. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes, parce pilosi.

††. Venter in ♂ fasciculatim pilosus.

**204.** *A. barbiventris:* antennis breviusculis validis nigricans, capite argenteo-micante; ore fronteque modice prominentibus; abdomine vitta dorsali nigra; alis hyalinis, basi nigricantibus, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis, transverso ordinario obliquo, levissime flexo; squamis albidis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine subcylindrico, ano inflexo nigro nitido, ventre longe piloso. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

*Anthomyia barbiventris* Bohem. in litteris 1843.

Hab. in Lapponiæ Lulensis floribus Salicis ad Tjomotis, sed præprimis in planitie alpis Walli juxta maculas nivosas una cum *Ar. frontata* (64) ad Quickjock Jul. 1843 a Dominis *Wahlberg*, *Boheman* & *Andersson* inventa, mihique in pluribus exemplis benigne communicata.

♂. Per ventrem barbatum ab omnibus sui generis mox dignota. De cetero *Ar. humerellæ* infra n:o 228 sat similis & affinis. Oculi mediocres per orbitas tenuissimas albas & vittam frontalem angustam atram leviter disjuncti. Antennæ nigræ, seta subnuda seu tenuissime puberula, basi graciliter incrassata. Epistoma infra oculos descendens, apice exsertum. Palpi subclavati, atri, pilosuli. Thorax dorso nigricans, lineis 3 nigris in fundo obscuro parum distinguendis; pilosus. Vitta humeralis cinerea. Abdomen subcylindricum, versus apicem paullo

coarctatum, totum nigricans, nitens, supra pilosum, certo situ obscure cinereo-micans, linea dorsali nigra. Venter niger, versus basin fasciculo gemino, denso, e pilis longis (fere ad apicem abdominis extensis), horizontalibus, atris, nitidis, conflato. Alæ hyalinæ, ima basi nigricantes. Nervus transv. ordinar. mox ante medium areæ insertus. Costæ segmentum 1:mum ciliatum; spinula adest. Squamæ parvæ, sordide albidæ, valvula superiore inferiorem fere omnino tegente. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, nitentes, distincte setosi. Pulvilli mediocres, albi.

*Obs.* Teste Cel *Wahlberg* est nostra *Ar. lucidiventris* n:o 168 femina ad *Ar. barbiventrem.*

*Tribus* 2. Minutæ, aut minutissimæ.

*Subd.* 1:*ma.* Frons non prominens.

a. Oculi in ♂ cohærentes, in ♀ distantes.

*). Squamæ sub alis halteresque in utroque sexu albida.

*Manipulus* 1:*mus:* costa alarum nuda.

*Pugillus* 1. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

$\alpha$. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem tegente.

205. *A. triquetra:* antennis mediocribus; abdomine cinereo, singulo segmento punctis 3 nigris; nervis transversis approximatis, ordinario subperpendiculari, recto; pedibus piceo-nigris; *mas:* oculis arcte cohærentibus, thorace atro, opaco, postice griseo, abdomine oblongo, subcylindrico, punctis nigris majusculis, alis squamisque fuscanis, femoribus intermediis subtus, in medio, spinulis 2,

tibiis posticis intus biserialim ciliatis; *femina:* vitta frontali lata, atra, thorace cinereo, abdomine ovato, punctis minutis, alis hyalinis, squamis albis. ♂♀. (Long. ♀ 1, ♂ 1½ lin.).

*Anthomyia* Wiedem. Zool. Mag. I. p. 85. ♂. Meig. Dipt. 5. 162. 139. ♂♀. & 7. 327. 26. Zett. Ins. Lapp. 685. 105. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 73. 80. ♂♀. *Musc. lepida* var. β. Fall. Muscid. p. 77 certe est etiam hujus femina.

Hab. in floribus, foliis fruticum, fenestris &c., a primo vere usque ad serum autumnum, per hortos, prata & nemora, in Scandinavia, vulgaris, in copula multoties observata; scilicet in Scania ubique copiose; in Smolandia & Ostrogothia frequens; in Gottlandia raro; in Jemtlandia passim, ex. gr. ad Faxelfven, Ristansfors, Skalstugan & ad radicem Åreskutan; in Norwegia ad Suul Wærdaliæ in jugo alpino situm; in Lapponia meridionali rarissime; in Dania non raro, D. *Staeger*. (E Kilia a D. *Wiedemann*, & e Glogavia in utroque sexu a D. *Zeller*, communicata). Mares choreas ducentes Augusto sæpe vidi.

♂♀. Caput cinereum. Antennæ & palpi nigra, seta subnuda. Nervi transversi approximati. Halteres plerumque flavi. Pedes simplices. *Mas:* oculis miniatis; thoracis limbo postico griseo. Scutellum nigrum, margine summo griseo. Abdomen pilosum, griseum (interdum in medio subpellucidum), segmento 1:mo plerumque fere toto nigro, in singulo reliquorum segmentorum punctis nigris 3, medio oblongo l. lineari, lateralibus rotundatis, discretis; fere in triangulum dispositis, interdum confluentibus, raro obsoletis. Anus parvus cinereus. Alæ totæ (basi intensius) fuscanæ, iridicolores. Femora intermedia subtus, mox ante medium, setulis 2 l. 3, exterioribus minoribus. Tibiæ posticæ intus sat longe pilosæ. Pulvilli parvi. *Femina:* tota

cinerea. Oculi per orbitas frontales angustas cinereas, & vittam frontalem proportione latam, nigram, modice disjuncti. Abdominis puncta lateralia in segmentis 1, 2 & 3 plerumque parva, rotundata, linea dorsali media obsoleta. Pedes parce pilosi. Reliqua ut in diagnosi.

206. *A. Macquarti:* antennis longiusculis; abdomine cinereo, singulo segmento punctis 3 nigris; nervis transversis subapproximatis, ordinario subperpendiculari, recto; pedibus piceo-nigris; *mas:* oculis arcte cohærentibus, thorace atro, opaco, postice griseo, abdomine oblongo, conico-cylindrico, punctis nigris majusculis, alis squamisque brunnescentibus, femoribus intermediis subtus, in medio, spinula unica, tibiis posticis utrinque ciliatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

*Atomogaster Macquarti* Staeger in litt. 24. Oct. 1842. *Atomog. triquetra* Macq. Buff. 2. 329. 1. T. 17. f. 11. ♂. (exclus. synonymis).

Hab. in Scandinavia meridionali minus frequens; scilicet in Scania ad Abusa rarius, ipse; e Dania in 2 speciminibus sub nomine allato a D. *Staeger* communicata.

♂. Simillima priori; a qua tamen magnitudine fere duplo majori, antennis paullo longioribus, nervis transversis, ni fallor, nonnihil magis remotis, abdomine forte magis depresso, & præprimis femoribus intermediis subtus in medio spinula tantum unica, ut & tibiis posticis & intus & extus longe pilosis, vere distincta. Pulvilli mediocres. Cetera omnia exacte ut in antecedente.

207. *A. Staegeri:* antennis longiusculis; abdomine cinereo, singulo segmento punctis 3 nigris; nervis transversis approximatis, ordinario subperpendiculari, recto; pedibus piceo-nigris, tibiis anterioribus tarsisque inter-

mediis fusco-testaceis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, thorace atro, opaco, postice griseo, abdomine oblongo, subcylindrico, punctis nigris majusculis, alis squamisque brunnescentibus, femoribus intermediis subtus, in medio, spinula unica, tibiis posticis extus longe ciliatis. ♂. (Long. fere 2 lin.).

*Atomogaster tibialis* Staeger in litt. 21 Oct. 1842. (non Macquarti & Meigeni eadem). Sub *Musca triquetra* Fall. & forte etiam sub *Anth. triquetra* Meig. latet. *Anthomyza triquetra* Zett. Ins. Lapp. 685. 105. ♂. (illud tantum specimen ad Wilhelmina captum).

Hab. in Scandinaviæ fruticibus & floribus passim, etiam in fenestris, mihi 26 Jun.—Jul.—7 Sept. obvia; scilicet in Scania ad Esperöd & Fogelsång; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarissime; e Dania specimen masculum a nobil. D. *Staeger* communicatum.

♂. Priori iterum simillima; sed tibiis anterioribus totis tarsorumque intermediorum articulis 3 primis testaceis; ut & tibiis posticis in ♂ externe longe pilosis,mox differt. Reliqua ut in priori.

*Obs.* *Atomogaster tibialis* Macq. Buff. 2. 330. 4. ♂: "niger, thorace subcinereo; abdomine obscure griseo, maculis 4 nigris; tibiis antice rufescentibus; alis hyalinis $1\frac{1}{2}$ lin. long.", *Anthom. tibialis* Macq. Buff. 2. 338. 22. ♂. seu Meigen Dipt. 7. 332. 74. ♂: "nigra, nitida; abdomine cinereo-micante: linea dorsali incisurisque nigris, tibiis antice testaceis", ut & *Spilogaster tibialis* Macqv. Buff. 2. 295. 5. seu *Hylemyia* eadem Meig. Dipt. 7. 321. 55. aliæ certe sunt species in Scandinavia vix obviæ, mihi saltem ignotæ. Interea nomen *tibialis*, intra eandem familiam sæpius repetitum, ansam confusionis facile præbet, ergo in meliorem mutavi.

208. *A. serena:* antennis mediocribus nigra nitida, capite argenteo; alis subhyalinis, squamis albis, nervis transversis approximatis, perpendicularibus; pedibus simplicibus, pilosis, rufo-piceis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine oblongo, depresso, maculatim subhyalinato; *femina:* oculis orbitis albis & vitta frontali mediocriter lata nigra disjunctis, abdomine ovato-oblongo, acuto, nigro, nitido. ♂♀. (Long. circit. 1—1½ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 76. 88. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 200. 206. Zett. Ins. Lapp. 685. 108. ♂♀.

Hab. in umbrosis & graminosis, libenter locis humidis, etiam in floribus Sorbi &c., per totam Scandinaviam, 10 Jun.—20 Sept., omnium vulgatissima, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Suecia tota & præsertim meridionali longe frequentissima; in Gottlandia ad Kyllej & Thorsborg; in Jemtlandia usque ad Åreskutan & Mullfjellen procedens, in regionem nivalem adscendens; in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponiis: Umensi ad Umenäs, ipse, & Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson;* in Norwegia ad Dovre, Alstahaug, Levanger, Näs, Thynäs & Suul (in jugo alpino), passim copiosissima; in inferalpinis Nordlandiæ ex. gr. ad Björkvik & Giebostad etiam frequenter occurrens; in Dania, D. *Dahlbom.* — Mares tempore sereno choreas in umbra arborum ducunt. (E Glogavia a D. *Zeller* missa, & ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Similis *Ar. scalari* (189) & *lugenti* (192), sed a priori pedibus simplicibus, a posteriori corpore magis nitente, & ab utraque magnitudine paullo minore, ut & squamarum valvula superiore inferiorem tegente, abunde differt. Antennæ angustæ, cinereo-micantes, seta subnuda. Epistoma infra oculos mini-

me descendens. Palpi nigri. Nervus transv. ord. rectus. Halteres flavi. Pedes sæpissime obscure rufescentes, pilosi, tibiis posticis tantum extus parce setosis, tarsis nigris. *Mas:* oculi magni, sat arcte cohærentes, linea tenuissima, alba angustissime disjuncti. Alæ levissime fuscanæ. Abdomen cinereo-nigricans, in mortua subcorrugatum; interdum rufescenti subpellucidum, certo situ supra in medio singuli segmenti macula trigona obscuriori. Pedum posticorum femora subtus ciliata, tibiæ intus breviter puberulæ. *Femina:* tota nigra, nitida. Caput album, vitta frontali nigra, opaca, orbitis albis. Alæ albo-hyalinæ, nervis albidis. Orbitæ oculorum sæpe detritæ sunt, & tunc nigræ (nec albæ), subnitidæ evadunt.

*Obs.* *Musca serena* var. $\beta$. ♀. Fall. l. c. ad *Ar. Trollii* infra n:o 224 pertinet.

*Obs.* Specimina Lapponica hujus speciei plerumque pedibus totis nigris & abdomine non hyalinato gaudent, vix tamen specie differunt, nam in ceteris quadrant.

209. *A. lepida:* antennis mediocribus nigricans (♂), aut cinerea (♀); capite albicante; alis subhyalinis, nervis transversis modice remotis, ordinario subobliquo, squamis albis; pedibus simplicibus, pilosis, piceo-nigris; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depresso, cinereo, linea dorsali incisurisque nigris, ano nigro, nitido; *femina:* oculis per orbitas sat latas, cinereas, & vittam frontalem mediocriter latam, nigram, modice disjunctis, abdomine ovato, immaculato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 76. 90. ♂♀. certissime. *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 686. 110. ♂♀. (Vix *Anth. lepida* Meig. 5. 140. 101., quæ describitur: longitudine 3 linear., & feminæ puncto frontali antico albo, thoracisque lineis 4 obscuris, quæ notæ nostræ *lepidæ* non competunt. *Anth. lepida* Meig. potius in vicinitate *Ar. incisuratæ* nob. (191) est quærenda).

Hab. in foliis fruticum, floribus Salicum, Umbellatarum &c., per Scandinaviæ hortos, prata & silvas, 16 Maj.—2 Sept., vulgatissima, in copula multoties inventa; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Smolandia, Ostrogothia & Gottlandia, passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia usque ad Rätan, Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan, non rara; in Dalecarlia, D. *Boheman*; in Bottnia boreali ad Selet (*Wahlberg*) & Haparanda; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Åsele & Barrsele, & Lulensi ad Quickjock; in Dania D. *Staeger*; in Norwegia ad Alstahaug, Levanger, Thynäs, Garnäs & Suul Wærdaliæ, haud parce. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Per magnitudinem parvam, frontem minime prominulam, squamarum valvulam superiorem inferiorem tegentem, & maris abdomen ut in *Ar. Radicum* (196) pictum, ab affinibus facile dignoscitur. Tota opaca. Nervi transversi recti, in ♂ magis approximati quam in ♀. Squamæ albidæ. Halteres pallidi. Tibiæ posticæ extus parce pilosæ. *Mas:* oculi sat arcte cohærentes. Thorax & scutellum nigra. Abdomen pilosum, glaucescens, linea dorsali integra, & segmentorum fascia basali plus minus distincta interdum obsoleta, nigris. Anus parvus, niger, nitidus. Alæ leviter fuscanæ. *Femina*: oculi modice remoti. Tota griseo-cinerea, immaculata, interdum vestigio abdominis lineæ dorsalis fuscæ. Alæ hyalinæ. Vitta frontalis nigra, macula verticis grisea.

*Obs.* Specimen masculum hujus speciei sub nomine: "*Musca lepida* Fall. seu *Anth. muscaria* Meig." semel etiam a D. *Staeger* obtinui. An hæ eædem sunt? Cfr. *Ar. muscaria* nob. n:o 162. *Musca* vero *lepida* var. *β.* Fall. l. c. ♀. "abdomine utrinque punctis 3 distantibus nigris" ad *Ar. triquetram* nob. 205 certe referenda.

210. *A. lugubrina*: antennis breviusculis nitida,

nigra (♂), aut cinerea (♀); capite albicante; alis subhyalinis, nervis transversis subapproximatis, ordinario subobliquo, squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine elliptico, nigro-glauco, linea dorsali fasciisque nigris, ano aculeato, pedum intermediorum femoribus subtus pilosis tibiisque versus apicem subincrassatis intus ciliatis; *femina:* oculis per orbitas latas cinereas & vittam frontalem angustatam atram disjunctis, abdomine ovato, nigricante, nitente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 687. 115. ♂.

Hab. in floribus Salicis & foliis fruticum, per Scandinaviam borealem, 27 Jun.—30 Jul., passim, in copula capta; scilicet in Jemtlandia boreali ad Mullfjellet, Stalltjernstugan & Skalstugan, non raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele parcissime; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi semel; in Norwegia ad Alstahaug & Suul in jugo alpino, passim, atque in inferalpinis Nordlandiæ ad Björkvik, rarissime.

♂♀. Similis *Ar. muticæ* 194, & *serenæ* 208, sed ab illa corpore subnitido, nec opaco, nervo transv. ordin. subobliquo, nec subperpendiculari, valvulis squamarum subæqualibus l. superiore inferiorem fere tegente; & ab hac magnitudine paullo majore, nervo transv. ord. subobliquo, ut & maris abdomine nonnihil latiore, minime pellucente, pedibus nigrioribus, intermediorum structura & pubescentia, satis superque dignota. Antennæ mediocres l. breviusculæ, seta subnuda, basi graciliter incrassata. Os infra oculos non prominens. Palpi retracti, nigri. Squamæ sub alis parvæ, albidæ, valvula superiore inferiorem vix tota tegente. Halteres flavidi l. lividi. Pulvilli parvi. *Mas:* linea frontali angustissima, nigra, tota ab antennis ad occiput sat dense pilosa. Thorax subnitens. Abdomen late ellipticum, pilosum, nitidum, plumbeum, linea dorsali subinter-

rupta, & in medio singuli segmenti macula ad marginem posticum, nigris; totum depressum, in mortua supra subinæquale. Ani tuberculum parvum inflexum nigrum, apice aculeo inflexo nigro. Alæ leviter fuscanæ. Pedes pilosi; intermedii: femoribus validis, apice subcoarctatis nudis, subtus totis sat longe nigro-ciliatis, tibiis a medio ad apicem subincrassatis, intus pube brevi erecta dense vestitis; postici graciliores, femoribus versus apicem utrinque ciliatis, tibiis intus nudis, extus longe, sed parce setosis. *Femina:* oculis modice remotis, orbitis cinereis proportione latis, vitta media atra proportione angusta. Thorax obscure cinereus. Abdomen ovatum, subconvexum, acutum, depresso-pubescens, nigricans, nitidum. Alæ hyalinæ, basi albicantes. Pedes simplices, pilosi.

**211.** *A. inermella:* antennis brevissimis obscure cinerea, immaculata, opaca, capite albido, macula frontali supra antennas lunata fulva; alis squamisque albis, nervo transverso ordinario perpendiculari; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine ovato, subnitido. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; mihi a D. *Deutsch* in uno specimine missa.

♀. Per colorem corporis obscure cinereum, maculam frontalem lunatam fulvam, antennas brevissimas & alas albas, ab affinibus dignoscitur. Frons minime prominens. Orbitæ oculorum angustæ, cinereæ. Vitta frontalis latiuscula, nigricans. Palpi minuti. Thorax subgibbus. Abdomen ovatum, subdepressum, nudiusculum, nigricans, nitens. Nervi longitudinales 3 & 4 sat late distantes, transversi modice remoti. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem omnino tegente. Halteres pallide flavi. Pedes validiusculi, nigri, parce setulosi. — Cum *Ar. Trollii* 224 non confundenda. Ab *Ar. lepida*, 209, antennis brevioribus &c. differt.

**212.** *A. latifrons:* antennis brevissimis cinerea immaculata, opaca, capite canescente, macula supra anten-

nas subquadrata ferruginea (♀); alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, squamis albis; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine ovato, subnitido. ♀. (Long. 1 lin.).

Wahlberg in litt. 1813.

Hab. in Ostrogothia ad Gusum forte rarissime; a D. *Wahlberg* detecta mihique in uno specimine communicata.

♀. Affinis & similis priori, a qua vero magnitudine minore, colore corporis lætius cinereo fere in griseum vergente, oculis rotundioribus, fronte leviter prominula, orbitis oculorum cinereis latioribus, vitta frontali angustiore, anticeque subquadratim flava, ut & alis non albidis, facile dignoscitur. Punctum verticis cinereum. Antennarum seta nuda, basi incrassata. Abdomen obscurum, parum depressum, nitens. Alæ præsertim ad costam leviter fuscanæ, basi dilutiores. Nervus costalis niger. Nervi transversi modice remoti. Squamæ minutæ. Halteres flavo-albi. Pedes nigri, parce pilosi. Antennis brevioribus &c. ab *Ar. lepida* 209, dignota.

213. *A. stigmatella:* antennis mediocribus nigra opaca, capite albicante; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depresso, cinereo, linea dorsali punctisque in singulo segmento duobus, nigris. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Lund a Stud. D. *Ingem. Pettersson* Jul. 1812 semel inventa.

♂. Similis videtur *Anth. stigmaticæ* Meig. Dipt. 5. 167. 147. ♂., sed præter magnitudinem minorem differt etiam abdomine lineari, nec elliptico, incisuris non nigris, puncto supra antennas albo nullo, ut & alarum basi magis obscura quam flava.

Oculi magni, arcte cohærentes. Frons minime prominula. Antennæ subangustæ, nigræ, seta subnuda. Palpi mediocres, atri. Thorax vix vittatus. Pleuræ cinerascenti nigræ. Abdomen angustum, pilosum, cinereum.

214. *A. Macula:* antennis mediocribus cinerea, opaca, capite canescente, macula supra antennas flava; (♀); thorace lineis 3 brunneis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, squamis albis; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine oblongo, acuto. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Sueciæ pratis 24 Jun.—16 Jul., minus frequens; scilicet in Gottlandia ad Öja & Gothem, rarissime; in Jemtlandia ad Åreskutan & Skalstugan, parce.

♀. Similis *Ar. inermellæ* 211, & *latifronti* 212, sed a priori alis cinereo hyalinis, fronte leviter prominula, a posteriori magnitudine paullo majore, & ab utraque, antennis paullo longioribus, thorace lineis 3 dilute brunneis, ut & abdomine haud nitido, recedit.

215. *A. parvicornis:* antennis brevissimis cinerea, immaculata, opaca, capite canescente; abdomine nigro, nitido; alis hyalinis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, squamis albis; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine ovato, acuto. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Gottlandia rarissime; specimen descriptum in prato ad Öja 7 Jul. 1841 inveni.

♀. Similis *Ar. brevicorni* 146, & *seminitidæ* 183, sed ab illa ore fronteque haud prominentibus, ab hac antennis brevioribus, & costa magis nuda, & ab utraque, magnitudine paullo minore, dignoscitur. Ab *inermella* 211, cui etiam similis, fronte non flavo-maculata differt.

*β* Squamæ mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente.

216. *A. albicincta:* antennis breviusculis atra (♂), aut cinerea (♀); opaca, capite albicante; alis hyalinis, squamis albis, nervis transversis subapproximatis, ordinario subperpendiculari; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine elliptico, fasciis tridentatis atris; *femina:* oculis remotis, abdomine ovato, griseo, punctis in basi singuli segmenti tribus nigris. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 73. 81. ♂♀. *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 161. 138. ♂♀., & 7. 327. 28. Macq. Buff. 2. 338. 20. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 685. 106. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum &c., per hortos & prata Scandinaviæ, 2 Jul.—26 Aug., passim, in copula etiam aliquoties deprehensa; scilicet in Scania ad Esperöd, Lund, & Fogelsång, non raro; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum (in floribus Angelicæ sylvestris) &c., haud parce; in Gottlandia ad Nähr, Gothem, Hoburg &c., sat frequens; in Westrogothia, D. *Dalman*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, rarissime.

♂♀. Similis & affinis *Ar. pluviali* 173, & *praticolæ* 174, sed in variis diversa ut ex comparatione pateat. Antennæ nigræ, seta tenuissime puberula. Palpi subfiliformes, nigri. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, mediocriter pilosi. *Mas:* oculi magni. Thorax ater, humeris cinerascentibus; postice maculis 2 albis. Scutellum atrum. Metathorax canus, linea media nigra. Abdomen depressum, pilosum, albidum, singulo segmento fascia basali tridentata, atra. Anus parvus, cinereus. Alarum squamæ valvula superiore inferiorem non tegente. Alæ interdum leviter fuscanæ ut in var. β. *Femina:* tota læte cinerea. Oculi non late remoti, per orbitas angustas cinereas & vittam frontalem latiusculam nigram, sejuncti. Thorax lineis 3 dilute

brunneis, media plerumque distincta. Abdominis fasciæ ut in ♂, sed singula e maculis 3 trigonis majoribus aut minoribus, basi plus minus cohærentibus, interdum discretis, constat. Alæ hyalinæ, squamis ut in ♂.

*Pugillus* 2. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes.

**217.** *A. aërea:* antennis mediocribus atra (♂), aut cinerea (♀); capite albicante; nervis transversis subapproximatis, perpendicularibus, squamis albidis; abdomine ovato; *mas:* oculis cohærentibus, abdominis incisuris tenuissime cinereis, alis fuscanis, basi nigricantibus; *femina:* oculis remotis, vitta frontali modice lata atra, macula oblonga nigra nitidissima inscripta, abdomine griseo, subnitente, alis hyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca aërea* Fall. Muscid. 76. 89. ♂♀. originaria. *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 686. 109. ♂♀. ad partem (exclus. syn. Meigeni, quod ad *Ar. æream* 220 pertinet).

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum, per hortos & prata Scandinaviæ, etiam in litoribus marinis, 4 Jul.—29 Aug., passim, in copula capta; scilicet in Scania ad Esperöd &c., non rara; in Jemtlandia ad Skalstugan, parce; in Lapponia Lulensi ad Quickjock ♀, D. *Boheman*; uterque sexus in Norwegia ad Thynæs. (E Glogavia ♀ a D. *Zeller* missa).

♂♀. *Ar. 7-notatæ*, 80, valde similis, sed nigredine abdominis in ♂ totum dorsum tegente, nec in maculas dilatatas digesta, dignota, ut & ♀ longe diversa. Frons & os leviter prominentia. Antennæ nigræ, seta subnuda. Palpi subfiliformes, nigri. Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes simplices, subpilosi, nigri. *Mas:* oculi magni, non arctissime cohærentes, linea tenuissima

nigra disjuncti. Thorax & scutellum atra, opaca. Abdomen rotundato-ovatum, parum convexum, pilosum, atrum, opacum, incisuris angustissime cinereis. Summus margo posticus etiam cinereo-micat, sed vix maculæ laterales cinereæ distinctæ. In speciminibus mortuis linea dorsalis tenuissima cinerea segmentum 3:tium transit. Alæ basi nigricantes. Squamæ sordide albidæ, sed vix brunnescentes. *Femina:* cinereo-grisea, opaca. Orbitæ oculorum proportione sat latæ, cinereæ. Vitta frontalis modice lata nigra, macula media oblonga antice attenuata & fere ad antennas extensa, nigra, polita ornata. Abdomen ovatum, subconvexum, breviter pubescens, griseum, immaculatum, subnitens. Alæ cinereo-hyalinæ, squamis albidis. — In specimine Quickjockensi nervus transv. ordinar. leviter flexus; alias non discrepat. Sub specie Fallenia etiam *Ar. ærea*, 220, & *aterrima*, 221, latent. — Femina cum ♀ *Ar. occultæ* 95, non confundi debet.

218. *A. globuliventris:* antennis mediocribus atra, nitidissima, capite albido; pleuris abdominisque orbiculati basi albo-squamosis; alis hyalinis, squamis albis, nervis transversis non late remotis, perpendicularibus; *femina:* oculis modice distantibus, vitta frontali nigra. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ fere 1 lin.).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; ad villam Esperöd in paroecia Mellby Scaniæ australis specimen unicum mense Julio ante plures annos inveni; e Dania in Dyrhaven 31 Jul. 1842 capta sub nomine: "*Coenos. nigra* Meig. *Coen. palustris* Macq." nuper etiam a D. *Staeger* missa. (Individuum unicum ad Travemünde d. 1 Jul. 1838 quoque legit oculatissimus *Dahlbom;* & exemplum unicum sine synonymia e Silesia etiam communicavit D. *Zeller*).

♀. Minuta. Per corpus atrum, nitidissimum, glabriculum s. parce setosum, abdominis formam, pectoris abdominisque baseos al-

bedinem, ab omnibus aliis *Ariciis* facillime dignota. Forte no, vi generis? Frons non prominens. Oculi sat magni, oblongi, non late remoti. Orbitæ oculorum tenues, albidæ. Vitta frontalis latiuscula, nigra, opaca. Epistomatis albidi apex antice leviter reflexus. Antennæ subangustatæ, nigræ, seta subnuda, basi graciliter incrassata. Palpi breves, subfiliformes, nigri. Abdomen rotundatum, supra convexum, subtus planum, apice breviter acutum, totum atrum, nitidissimum, segmento 1:mo basi macula laterali cana, opaca (in specimine Silesiaco imprimis perspicua). Alæ albo-hyalinæ. Nervi longit. 3 & 4 fere paralleli, versus apicem tantum leviter divergentes; transversi modice remoti, perpendiculares, recti, sed horum medius ante medium alæ retractus, & ordinarius sat longe a margine interiore remotus. Nervi omnes tenues. Squamæ proportione mediocres, albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Pedes mediocres, simplices nigri, nitidi.

*Obs.* An *Coenosia nigra* Meig. Dipt. 5. 216. 12.? Color autem corporis niger nitidissimus, pleuræ cinereæ, & epistoma maculaque ad abdominis basin, sunt majoris momenti notæ, quam ut silentio omnino pæteriri debuissent, si identica fuisset. Tunc *Coen. atra* Meig. Dipt. 6. 377. 29. ♂. nostræ *globuliventri* propior mihi videtur, licet etiam dubium de ejus identitate in omissa commemoratione abdominis maculæ albæ satis distinctæ, maneat.

## *Manipulus* 2:*dus*. Costa alarum breviter ciliata.

219. *A. parvula:* antennis mediocribus cinerea, immaculata, opaca, capite albicante; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis, subperpendicularibus, infuscatis, costa leviter ciliata, spinula parva, squamis albis, antennarum seta pubescente; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine subcylindrico, ano cinereo; *femina:* oculis late remotis, vitta frontali modice lata, nigra, abdomine conico. ♂♀. (Long. $1-1\frac{1}{4}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 75. 85. ♂♀. vera. — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 200. 205.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in Scaniæ silva Esperödensi a Cel. *Fallén* detecta; deinde, & eodem loco, & simul in littore maris ad Raflunda prope eundem Esperöd d. 18—30 Jul. in utroque sexu etiam a me lecta. — In Gottlandia semel quoque inventa erit.

♂♀. Valde similis & affinis *Ar. pullulæ* 60, & *longulæ* 179; sed a priori nervo transverso ord. forte paullo magis perpendiculari & omnino recto, atque maris ano obtuso, cinereo, opaco, nec nigro nitido; a posteriori magnitudine minori & feminæ macula frontali nulla l. obsoleta; & ab utraque corpore immaculato, differre videtur. Frons leviter prominens. Antennæ nigræ. Palpi breves, subclavati, nigri. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi long. 3 & 4 paralleli. Costæ segmentum 1:mum ciliatum. Spinula adest. Squamæ parvæ, albæ, valvulis æqualibus. Halteres flavo-albidi. Pedes simplices, pilosi, nigri l. picei.

**). Squamæ sub alis halteresque in mare saltem nigricantia, illæ sæpissime, hi interdum in femina, albida.

220. *A. ærea:* antennis mediocribus atra (♂), aut nigricans (♀); capite albicante; nervis transversis approximatis, perpendicularibus; *mas:* opacus, scutello anoque nitentibus, oculis arcte cohærentibus, abdomine elliptico, plano, nigro, maculis lateralibus cinerascentibus, alis fuscanis, squamis halteribusque nigricantibus; *femina:* nitens, oculis mediocriter remotis, fronte cinerea, vitta modice lata, cano-micante, abdomine anguste ovato, acuto, alis hyalinis, squamis halteribusque albis. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 157. 131. ♂♀. & 7. 326. 11. *Musca aërea* Fall. Muscid. 76. 89. variet. in descript. — *Anthomyza aërea* Zett. Ins. Lapp. 686. 109. ♂. specimen Lyckselense.

Hab. in Scandinaviæ fruticibus & floribus, Jul. Aug., passim, in copula pluries deprehensa; scilicet in Scania ad utrumque Esperöd (& in paroecia Mellby & in paroecia Tranås). non rara; in Ostrogothia ad Wadstena, parce; in Norwegia ad Alstahaug prope Levanger in paroecia Skogn bis capta.

♂♀. Similis *Ar. triquetræ* 205, & *aëreæ* 217, sed ab illa abdominis pictura, & ab hac magnitudine nonnihil minore, nervis long. 3 & 4 parallelis, maris squamis halteribusque, nigris, nec albidis, & femina vitta frontali cana, nec nigra nitida, præcipue differt. Frons & os minime prominula. Antennæ nigro-cinereæ, seta nuda. Palpi nigri. Alarum costa nuda, ima basi ciliata. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem tegente. Pedes simplices, nigri, pilosuli. *Mas:* totus ater, epistomate albicante. Thorax postice nitens. Scutellum etiam certo situ nitet. Abdomen disco opacum, limbo subnitens, totum plerumque nigrum, incisuris tenuiter, & maculis lateralibus subtrigonis, cinereis; vel si mavis cinerascens, segmento singulo macula fasciformi magna, nigra. Ani tuberculum nigrum, nitidum. *Femina:* tota nigra, levissime cinereo-micans, nitens. Frons cinerea, vitta certo situ albo- l. plumbeo-micante.

*Obs.* In museo Falleni specimina hujus speciei cum *A. aërea* mixta occurrunt.

221. *A. aterrima:* antennis breviusculis opaca, atra (♂), aut cinerea (♀); capite obscure cinerascente; nervis approximatis, perpendicularibus; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine elliptico, plano, incisuris tenuissime cinereis, alis brunnescentibus, squamis halteribusque nigri-

cantibus; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali latiuscula nigra, abdomine ovato, maculis in segmento singulo tribus nigris, alis hyalinis, squamis halteribusque albidis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

*Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 157. 130. ♂. & 7. 326. 8. *Chortophila* eadem Macq. Buff. 2. 327. 13? ♂. — *Musca aërea* Fall. Muscid 76. 89. variet.

Hab. in Scandinavia meridionali, 10 Jul.—15 Aug. rarius, etiam semel in copula capta; scilicet in Scania ad Fogelsång, Esperöd (& in paroecia Mellby & Tranås), &c., minus frequens; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: '*Chortoph. aterrima* Macq.', & altera vice sub nomine: '*Anthom. ærea* (aërea) Fall. Zett. Ins. Lapp. *Anth. aterrima* Meig.' individua 2 mascula mihi communicata.

♂♀. Simillima priori, a qua magnitudine nonnihil minore, maris corpore toto intensius atro, holosericeo, opaco (nec thorace postice nitente), abomine subangustiore, tantum incisuris (seu lineis 3 transversis angustissimis) tenuissime cinereis, ano minore, opaco, nec nitente, alis paullo fuscioribus, fere brunnescentibus, ut & feminæ corpore non nitente, vitta frontali latiori, atra (nec cano induta), macula tantum verticis cinerea, & abdomine fere ut in feminæ *Anth. triquetræ* 205 picto, satis superque dignoscitur. Oculi in viva in utroque sexu obscure ferruginei. Pedes interdum obscure rufescentes l. picei.

Var. b. ♂. alis hyalinis, de cetero in omni puncto varietati a. simillima; an juvenilis? In Ostrogothia ad Fredensborg prope Wadstena 10 Jun. 1840 in uno specimine a D. *Dahlbom* lecta.

222. *A. melanaria:* antennis longiusculis, nigra, nitida, pilosa, capite obscure cinereo; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis perpendicularibus, squa-

mis parvis halteribusque nigris; *femina:* oculis subapproximatis, interstitio nigro. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Norwegia rarissime; ad Alstahaug prope Levanger in paroecia Skogn, d. 8 Jul. 1840 specimen unicum inveni. (E Glogavia a D. *Zeller* etiam in uno exemplo missa).

♀. Ab *Ar. occulta* 95, cui subsimilis, differt: magnitudine multo minore, colore intensius nigro, magis nitido, squamis multo minoribus, nigris, valvulis æqualibus, antennis nonnihil longioribus, oculis multo minus distantibus, ut & fronte subangustata, nigra opaca. Abdomen ovatum, parum acutum. Alæ basi subfuscanæ.

b. Oculi in utroque sexu remoti. (*Coenosia* Auct.).

223. *A. agromyzina:* antennis elongatis cinerea, immaculata, opaca, fronte nigra, epistomate albo; alis hyalinis, nervis transversis fere ante medium alæ approximatis, perpendicularibus, rectis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—1 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 74. 81. ♂♀. typica. — *Anthomyia* Meig. Dipt. 5. 199. 204.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, rarius; in Scania tamen in litore maris ad villam Esperöd a D. *Fallén* sat frequenter lecta; in foliis Alni ad eandem villam specimina utriusque sexus 15—25 Sept. ipse etiam legi; in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, a D. *Wahlberg* quoque deprehensa erit; ex Hafnia specimen femineum a D. *Staeger* missum.

♂♀. Antennis elongatis, angustis, epistomate subcoarctato, albo, corpore cinereo, nervis transversis in disco approximatis & oculis in utroque sexu distantibus, ab aliis affinibus mox

dignoscitur. Oculi magni, oblongi, non late remoti, fronte atra, opaca, macula verticis cinerea. Antennæ (præsertim in ♂) longitudine epistomatis, nigræ, seta nuda. Frons & os antice minime prominentia. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; transversus ordin. longe a margine remotus; nervi ad marginem interiorem obsolescunt. Costa omnino nuda. Squamæ minutæ, albæ, valvulis æqualibus. Halteres pallidi. Pedes simplices, nigri, saltem tibiis plerumque obscure rufescentibus. *Mas:* abdomine subcylindrico, ano rotundato; *femina:* obscura, abdomine anguste ovato, nitente.

224. *A. Trollii:* antennis breviusculis obscure cinerea, immaculata, subopaca, fronte nigra, lunula supra antennas fulva, orbita oculorum & epistomate albis; alis albo-hyalinis, nervis transversis modice remotis, perpendicularibus, rectis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca serena* var. *β.* ♀. Fall. Muscid. 76. 88.

Hab. in floribus Trollii europæi, intra corollam occulta, 20 Maj—21 Jun., in Scania ad Lund certis annis copiose, in copula sæpe lecta, nec alibi inveni. Ova oblonga, proportione magna, alba, 30 Maj. parientem vidi. In unoquoque flore sæpe 5—15 individua in societate reperiuntur.

♂♀. A priori, cui subsimilis, differt: magnitudine paullo majore, antennis in primis in mare multo brevioribus, macula supra antennas lunulata, fulva, in ♂ minuta, in ♀ plerumque perspicua, alis albidioribus, nervis transversis præprimis in ♀ paullo remotioribus, ut & longitudinalibus 3 & 4 parallelis. Frons etiam nonnihil latior, quam in præcedente, & abdomen in ♂ forte minus cylindricum. Anus in ♂ rotundatus, inflexus, niger, appendicibus 2 parvis ventralibus suffultus. Abdomen in ♀ ovatum, obscurum, nitens. Palpi parvi, nigri. — Affinis & similis *Ar. inermellæ* n:o 211.

225. *A. albitarsis:* antennis mediocribus cinerea, immaculata, opaca, fronte nigra, orbita oculorum & epistomate albis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis modice remotis, perpendicularibus, rectis; *mas:* tarsorum anticorum articulis 3 basalibus albis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Hab. in pratis Gottlandiæ rarissime; ad Stenkyrka 30 Jul. 1841 uterque sexus captus.

♂♀. Magnitudo & corporis color ut in *Ar. agromyzina* 223, nervi transversi ut in *Ar. Trollii.* Frons leviter prominens. Oculi non magni, rotundati, modice remoti, vitta frontali modice lata, nigra, immaculata, opaca. Orbita oculorum & epistoma argenteo-micantia. Palpi nigri. Antennæ mediocriter longæ, latiusculæ, nigræ, seta subnuda. Abdomen in ♂ cylindricum, ano rotundato, cinereo, ventre tuberculis 2 parvis, nigris versus anum appendiculato; in ♀ conicum. Alæ cinereo-hyalinæ, in ♂ leviter subfuscanæ, basi in utroque sexu albidæ, nervis longit. 3 & 4 parallelis. Squamæ & halteres ut in *agromyzina.* Pedes simplices, nigri, pilosuli, articulis 3 primis tarsorum anticorum in ♂ albis. Pulvilli parvi. — Cfr. *Anthomyza albimana* n:o 106, quæ huic valde similis videtur; an eadem?

*Subd. 2:da.* Frons prominens.

a. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

*). Costa alarum nuda.

226. *A. albula:* antennis breviusculis cana, subimmaculata, opaca, capite subbuccato, albo; alis squamisque albis, nervo transverso ordinario subperpendiculari, recto; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine coarctato, subdepresso; *femina:* oculis modice remotis, macula frontali flava, abdomine ovato. ♂♀. (Long. 1—1⅓ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 74. 83. ♂♀. genuina. — (*Anth. albula* Meig. Dipt. 5. 102. 35 non est *Musca* eadem Falleni, sed est *Musca buccata* Fall., cujus femina ad *Ariciam albescentem* nob. n:o 130 pertinet).

Hab. in Suecia meridionali & media rarissime; in Scania in horto Esperödensi a D. *Fallén*, & in Westrogothia a D. *Gyllenhal*, inventa.

♂♀. Similis *Ar. arenosæ* n:o 121, sed duplo minor & alarum costa magis nuda & inermi, differre videtur. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, seta nuda, ima basi incrassata. Palpi nigri. Alæ albæ, nervis transversis modice distantibus. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi. Pedes simplices, nigri, cinereo-micantes, mediocriter pilosi, tibiis interdum, & geniculis summis plerumque, obscure ferruginantibus. *Mas:* frons & facies longe prominentes. Epistoma infra oculos descendens. Oculi oblongi, per orbitam elevatam albam non late disjuncti, linea frontali tenui, fusca, tantum supra antennas observanda. Abdomen lineare, subdepressum, ad latera præsertim pilosum, totum cinereum, linea dorsali fusca plus minus perspicua. Anus inflexus, cinereus, opacus, appendicibus 2 parvis ventralibus suffultus. *Femina:* frons nonnihil minus prominens. Oculi minores, per orbitas sat latas, & vittam frontalem modice latam, fuscam, antice flavam, sejuncti. Abdomen ovatum, cinereum, subimmaculatum, parum pilosum.

*Obs.* Hanc speciem in copula deprehendere frustra quæsivi. Mihi igitur tantum verisimiliter est feminam allatam ad marem descriptum pertinere.

227. *A. cinerella:* antennis mediocribus obscure cinerea, opaca, capite argenteo-micante; ore fronteque subprominentibus; alis cinereo-hyalinis, nervis pallescentibus, transverso ordinario subobliquo, recto, squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine subcylindrico,

linea dorsali interrupta, nigra, ano inflexo, cinereo; *femina:* oculis remotis, macula frontali flava, abdomine conico, subimmaculato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 77. 91. ♂♀. vera. — *Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 686. 111. ♂♀. (Vix *Anthomyia* eadem Meig. Dipt. 5. 100. 30).

Hab. in floribus præsertim Umbellatarum, per Scandinaviam, 1 Jun.—25 Sept., passim frequens; locis & aridis & humidis mihi quoque obvia; in copula aliquoties deprehensa; scilicet in Scania frequens; in Gottlandia ad Ruthe & Hoburg; in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam, teste D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Åreskutan, raro; in Bottniæ borealis floribus Salicis ad Haparanda verno tempore lecta; in foliis Betulæ albæ ad Lycksele & Stensele Lapponiæ Umensis, rarius; in Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Per colorem corporis obscure cinereum, os & frontem non longe prominula, alas cinereo-hyalinas, nervos subtenues subferrugineos, nec nigros, transversum ordinarium saltem in ♂ subobliquum, costam nudam, maris oculos postice cohærentes, abdomen conico-cylindricum, linea dorsali interrupta, nigra, anum inflexum cinereum, ut & feminæ orbitas oculorum proportione latas, cinereas, vittam frontalem modice latam, nigram, antice flavam ut & abdomen oblongum, acutum, vestigio lineæ dorsalis fuscæ, ab *Ar. longula* (179), & aliis affinibus similibusque, non quidem sine difficultate, certe tamen dignoscitur. Antennæ nigræ, seta subnuda. Palpi subfiliformes, nigri. Squamæ, halteres & pedes ut in priori. In feminæ thoracis dorso sæpe vestigium lineolæ mediæ dilute brunneæ. Femina similis *Ar. radicum*, 196, sed minor. Costa in ♀ brevissime subciliata.

*Obs. Anth. cinerella* Meig. l. c. & Ejusdem *Hylemyia cinerella* "alis flavicantibus, seta antennarum breviter plumata.

alarum costa spinula nulla", ut & abdomine maris magis cylindrico quam "depresso", differt.

*Obs.* "*Musca cinerella* var. *β.* ♂♀." Fall. l. c. ad *Ar. humerellam* nob. 228 pertinet.

228. *A. humerella:* antennis breviusculis nigricans (♂), aut cinerascens (♀); capite albido; ore fronteque modice prominentibus; alis hyalinis, basi fuscanis, nervis: costali & longitudinali 1:mo crassiusculis, atris, ordinario subobliquo, recto; squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, pleuris cinereis, abdomine lineari, subdepresso, piloso, obscure cinereo, vitta dorsali nigra, apice subincrassato, ano inflexo, cinereo-micante; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali latiuscula nigra, antice interdum anguste flava, abdomine ovato, subnitente, ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 686. 113. ♂♀. *Musca cinerella* var. *β.* ♂♀. Fall. Muscid. 77. 91.

Hab. in floribus; etiam in foliis fruticum Salicis, Betulæ &c., per Scandinaviam, 2 Jun.—28 Sept., vulgaris, in copula pluries capta; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia parce; in Gottlandia ad Östergarn, Nähr, Furillen, Hoburg &c.; in Dalecarlia ad Rörsbyttan; in Jemtlandia ad Åreskutan & Mullfjellet usque ad Skalstugan, sat copiose; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Umenäs, passim; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*; in Norwegia ad Alstahaug, Thynæs, Suul Wærdaliæ, valde frequens, & in Nordlandia ad Björkvik, rarius; in Dania, D. *Dahlbom.* (In Germania ad Gryphiam, Eldenam & Neuenkirchen jam mense Majo a Cel. *Dahlbom* inventa; & e Glogavia a D. *Zeller* quoque missa).

♂♀. Per antennas parvas, breves, frontem paullo, & oris marginem anticum distincte, prominentia, epistoma breve, retusum, alas basi plus minus fuscanas, nervos: costalem & longitudinalem 1:mum subcrassiores, atros, longitudinales 3 & 4 parallelos, transversum ordinarium paullo ante medium areæ insertum subobliquum rectum, squamas albas ciliatas, valvulis subæqualibus, maris caput supra subdepressum l. anterius declivum & abdomen lineare, subplanum, ut & feminæ vittam frontalem latiusculam atram, & abdomen ovatum subnitens, ab affinibus dignoscitur. Antennæ nigræ, seta puberula. Tuberculum intra antennas cinereum. Palpi breves, subfiliformes, nigri, pilosi. Haustellum elongatum, proboscide reflexa. Costa nuda & spinula nulla. Valvula squamarum superior inferiorem fere tegens. Halteres albidi. Pedes simplices, nigri, pilosi. *Mas:* oculi postice arcte cohærentes. Frons antice triangula, macula supra antennas nigra, interdum ferruginea. Thorax nigricans, pleuris schistaceis, & in illæsis individuis macula humerali albescente. Abdomen cinereum, lineare, modice latum, in mortuis plerumque corrugatum, vitta dorsali, per incisuras quasi interrupta maculiformi, nigra. Anus non magnus, inflexus, cinereus; at apex abdominis sæpe niger, nitidus. Pulvilli perspicui, albi. *Femina:* caput rotundatum, oculis rotundatis, orbitis cinereis. Macula supra antennas lunulata flava sæpe adest. Palpi subclavati. Thorax cinereus, disco dorsali plerumque leviter fusco, humeris dilutioribus. Abdomen plus minus nitens. Pulvilli minuti. — Ab *Ar. transversali* 149, antennis brevioribus mox dignota.

Variat magnitudine, variat etiam colore plus minus intense nigro. Specimina Lapponica plerumque majora & obscuriora & præprimis alæ maris leviter fuscanæ. Alæ in exemplis Scandinaviæ inferioris sæpissime hyalinæ, basi tantum fusciores, vix tamen specie diversis, nam in ceteris exacte congruunt. — Ab *Ar. intersecta*, 161, cui quoque similis, magnitudine paullo minore, nervo transv. ord. minus oblique flexo, ut & pedibus nigris, nec piceis, hæc species differt.

229. *A. morionella:* antennis mediocribus tota atra, pilosa, capite obscure cinereo; ore fronteque minus prominentibus; alis fuscanis, basi obscurioribus, nervo transverso ordinario obliquo, subrecto; squamis sordide albidis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine sublineari, subdepresso. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 687. 114. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in alpe Brattiksfjell 8 Jul. 1832 unicum exemplum legi.

♂. Similis priori, sed antennis paullo longioribus, ore fronteque minus exsertis, corpore toto nigriore, immaculato, alis obscurioribus &c., distincta. Oculi arcte cohærentes. Abdomen subellipticum l. sublineare, depressum, distincte pilosum, nigrum, certo situ nigro-cinerascens, vitta dorsali atra. Anus inflexus, niger, stylis ventralibus, ni fallor, suffultus. Costa nuda. Squamæ parvæ. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, pilosi.

230. *A. frontella:* antennis longiusculis atra (♂), aut cinerea (♀); capite albido; fronte minus, ore non, prominentibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depresso, alis leviter fuscanis, squamis balteribusque nigricantibus; *femina:* oculis remotis, vitta frontali latiuscula atra, abdomine oblongo, acuto. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anthomyza* Zett. Ins. Lapp. 687. 116. ♂♀.

Hab. in Sueciæ borealis floribus Salicis, etiam in arena ad ripas fluminum, mense Jun. in copula capta, rarius; scilicet in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi. (E Glogavia a D. *Zeller* in duobus exemplis missa).

♂♀. Priori valde similis, sed nervis transversis paullo magis approximatis, horum ordinario subobliquo, nec perpendiculari, maris alis minus infuscatis, squamis halteribusque obscurioribus, distincta. ***Mas:*** abdomine & pedibus sat dense pilosis. Anus parvus, inflexus, niger, nitidus. ***Femina:*** cinerea, subimmaculata, rudimento tantum linearum fuscarum trium in thorace, & unius in abdomine. Orbitæ oculorum cinereæ. Vitta frontalis atra, postice macula cinerea, & antice interdum macula parva flava.

231. *A. cordifrons:* antennis mediocribus, validis, plumbea, opaca, capite albicante; ore fronteque parum prominentibus; alis subpallescentibus, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto, squamis albidis; *femina:* macula frontali cordata, fulva. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem alp. Mullfjellet 24 Jul. semel inventa.

♂. In hac subdivisione major. Tota cinerea, immaculata. Caput albidum. Oculi mediocres, oblongi, modice remoti, per orbitas cinereas & vittam frontalem latiusculam, in medio atram, antice supra antennas macula magna, cordata fulva ornatam & postice macula cinerea notatam, sejuncti. Thorax setosus. Abdomen ovatum, pubescens. Alæ præsertim basi pallidæ, costa subnuda l. breviter tantum ciliata. Nervi transversi sat late remoti, ordinarius tamen mox ante medium areæ insertus. Squamæ ciliatæ, sordide albæ, valvula superiore inferiorem totam tegente. Halteres pallidi. Pedes validi, nigri, setosi. Præterea antennæ nigræ, seta subnuda. Palpi longiusculi, subcylindrici, atri.

232. *A. mucronatella:* antennis longiusculis apice mucronatis, griseo-cinerea, opaca, subimmaculata, capite albicante; ore fronteque parum prominentibus; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso perpendiculari, recto, squa-

mis albidis; *femina:* vitta frontali didyma, nigra. ♀ (Long. 1 lin.).

Hab. in Scandinavia media & boreali, 27 Jun.—30 Jul., minus frequens; scilicet in Gottlandia ad Gothem in uno specimine deprehensa; in Jemtlandia ad Mullfjellet, rarissime; in Norwegia ad Alstahaug, Levanger & Thynäs paullo frequentius.

♀. Parva, angusta. Oculi modice remoti, vitta frontali latiuscula, nigra, postice macula cordata cinerea. Antennæ longitudine fere epistomatis, angustæ, nigræ, apice superne mucrone minuto; seta subnuda, ima basi graciliter incrassata. Palpi parvi, filiformes, fusco-nigri. Thorax dorso vestigio linearum 3 dilute brunnearum. Abdomen oblongo-ovatum, cinereum, certo situ rudimento punctorum fuscorum duplici serie dispositorum. Alarum costa nuda. Nervi: longitudinales 3 & 4 fere paralleli l. forte ad apicem alæ levissime subdivergentes; transversi modice remoti, horum medius sat longe ante medium alæ retractus, & ordinarius longe ante medium areæ insertus. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres pallidi. Pedes simplices, parce pilosi, nigri, geniculis anticis albis.

♂, mihi ignotus, forte oculos etiam distantes habet. Auctorum *Cœnosiæ* generi igitur hæc species subjecta erit.

233. *A. parva:* antennis brevibus nigricans (♂), aut cinerascens (♀), capite albicante; ore fronteque subprominentibus; alis hyalinis, basi subfuscanis, nervo transverso ordinario perpendiculari, recto; squamis albis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depresso, piloso; *femina:* oculis remotis, vitta frontali mediocriter lata, nigra, abdomine oblongo-ovato. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$—1 lin.).

*Anthomyia* Macq. Buff. 2. 343. 12. ♂♀. *Anth. lepida* var. b. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 686. 110.

Hab. in floribus & foliis Salicis, per Scandinaviam, 20 Maj.—Jul.—11 Aug., passim minus frequens; in copula semel capta; scilicet in Scania ad Lund, Räften &c., non rara; in Bottnia boreali juxta flumen Râneå; in Lapponia Umensi ad Lyckselе; e Dania sub nomine: "*Anth. parva* Macq.", etiam in utroque sexu a D. *Staeger* benigne communicata.

♂♀. Minuta, opaca. Similis omnino *Ar. humerellæ* 228, a qua tamen magnitudine duplo & ultra minore, nervis: costali non atro, transverso ordinario perpendiculari, nec recto, ut & maris abdomine nigricante, vix cinerascente, certe distincta. Caput secundum utrumque sexum omnino ut in *humerella*. Squamæ parvæ, albæ, valvulis æqualibus. Halteres albidi. Pedes nigri, aut picei. *Mas:* abdomine lineari, depresso, opaco, piloso, linea dorsali atra in fundo obscuro parum perspicua, ano parvo, nigro, alis basi saltem subfuscanis pedibus distincte pilosis; *femina:* abdomine oblongo, cinereo, immaculato, alis hyalinis.

**). Costa alarum ciliata.

234. *A. curvicauda:* antennis mediocribus, validis, obscure cinerea, capite albo-nitente; fronte prominente, ore non reflexo; alis hyalinis, basi infuscatis, nervis: costali ciliato, atro, transverso ordinario perpendiculari; squamis albidis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine subcylindrico, nigricante, ano magno, inflexo, nigro, nitido, alarum nervis obscuris; *femina:* oculis remotis, vitta frontali modice lata, nigra, abdomine oblongo ovato, nigro, nitido, apice compresso. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

*Anth. curvicauda* Wahlb. in litt.

Hab. in Scandinaviæ graminosis & floribus, 27 Jun.—30 Jul., minus frequens, in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Lund semel; in Ostrogoth. ad Wadstena rarissime; in Uplandia ad Holmiam uterque sexus a D. *Wahlberg* lectus, mihique communicatus; in Gottlandia ad Wamlingbo rariss.; in alpibus Darlecarlicis in copula a D. *Boheman* capta; in Bottnia boreali ad Råbäcken &c.; in Jemtlandia ad Mullfjellet parcissime, ipse; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock ♂♀, D. *Andersson*. (Ad Eldena prope Gryphiam 28 Maj. 1842 etiam a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Simillima *Ar. sepiæ* (148); sed duplo minor, & ano maris paullo longius inflexo, atque abdomine feminæ magis nigro, nitido anoque stylato, ut videtur distincta. Caput argenteo-micat. Frons porrecta. Antennæ nigræ, seta nuda. Nervi: transversi præsertim in ♂ subapproximati; longitudinales 3 & 4 paralleli. Squamæ parvæ valvulis æqvalibus. Halteres flavi. Pedes simplices, nigri, pilosi. Thorax cinerascens, vestigio linearum 3 fuscarum. *Mas:* oculis non arcte cohærentibus. Alæ ad nervos saltem infuscatæ, basi nigricantes. Abdomen pilosum, parum nitens, obscurum, linea dorsali atra. Venter versus anum styli 2 armatus. *Femina:* oculi modice distantes, orbitis cinereis. Vitta frontalis nigra, interdum brunnea. — Reliqua ut in *Ar. sepia*.

Var. b. ♀. alarum nervis omnibus distincte fuscedine cinctis; de cetero varietati a. simillima; in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg* inventa.

Var. c. ♂. similis var. a., sed duplo major, & abdomine in medio subdepresso, pedibus crebrius pilosis, differt. Palpi breves, filiformes, longe pilosi. In Jemtlandia ad Skalstugan, & in Norwegia ad Thynäs lecta.

235. *A. remotella:* antennis mediocribus, validis, obscure cinerea. capite argenteo; fronte prominente, ore

non reflexo; oculis in otroque sexu late remotis; alis subhyalinis, basi infuscatis, nervis transversis subapproximatis, ordinario subperpendiculari recto; squamis albis; *mas:* abdomine subcylindrico, ano inflexo, nigro, nitido; *femina* abdomine ovato, nitente. ♂♀. (Long. ♂ fere $1\frac{1}{2}$ ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad diversorium Forsa juxta radicem Mullfjellet unicum ♂ unicamque ♀ (non tamen in copula) 27 Jun. 1840 inveni.

♂♀. Simillima priori, a qua tamen capite forte magis argenteo, abdomine feminæ leviter cinereo-micante, ut & præprimis oculis in utroque sexu late remotis, nempe per orbitas albas & vittam frontalem latiusculam nigram disjunctis, certe diversa. *Coenosiæ* species Auctorum. — Thorax in ♂ vestigio linearum 3 fuscarum.

236. *A. albidella:* antennis longiusculis albo-cinerea, opaca, capite argenteo; fronte subprominente, ore vix reflexo; alis albidis, nervis transversis subapproximatis, ordinario subperpendiculari, recto, squamis albis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine subcylindrico, ano inflexo, nigro; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali nigra, antice flava, abdomine oblongo-ovato. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in floribus Salicis & foliis fruticum, per Sveciam borealem, rarius, 16 Jun.—20 Jul. mihi obvia, in copula etiam semel deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Stensele. — Varietatem pedibus discoloribus seu rufescentibus ut marem in copula cum femina pedibus nigris ad Lycksele inveni, forte juvenilem.

♂♀. Antennæ nigræ, seta pubescente. Palpi parvi, nigri. Thorax & abdomen albo-induta. Alæ albæ, costa distincte ciliata. Spinula adest. Squamæ parvæ, albæ, valvulis æqualibus. Halteres albi. Pedes nigri l. rufescentes, setosi in primis in ♂. *Mas:* oculi mediocres, per orbitas subelevatas, tenuissimas, albas, & lineam tenuissimam nigram, angustissime disjuncti. Thorax rudimento lineæ mediæ dilute brunneæ. Abdomen angustum, subcylindricum, pilosum, certo situ linea dorsali fusca obsoleta. Tuberculum anale inflexum, nigrum, nitens. Styli ventrales adsunt. Pulvilli albi distincti. *Femina:* orbitæ oculorum cinereæ. Vitta frontalis nigra antice macula parva l. mediocri flavida, postice macula verticis cinerea. Abdomen cinereum l. album, parum nitens, puberulum, acutum. Pulvilli parvi. — Var. ♀ monstrosa alis apice emarginatis, nervo longitud. 4:to ad marginem interiorem alæ distincte recurvato.

237. *A. confidella:* antennis mediocribus cinerea, opaca, capite albicante; fronte parum, ore non, prominentibus; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, ordinario perpendiculari, recto; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali nigra, abdomine oblongo-ovato. ♀. (Long. 1—1$\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem alpium Mullfjellen & Åreskutan 27 Jun., et 30 Jul., 2 specimina inveni.

♀. Similis priori, sed magnitudine paullo minore, corpore non albido, sed plumbeo, capite albicante, vix argenteo, fronte forte nonnihil minus prominente, alis minus albidis, costa paullo brevius ciliata, ut & vitta frontali nigra tantum in medio leviter subbrunnescente, distincta.

238. *dissitinervis:* antennis mediocribus obscure cinerea, opaca, capite grisescente; fronte paullo, ore vix, prominentibus; alis hyalinis, nervis transversis longe re-

motis, perpendicularibus, rectis, squamis albis; *femina:* vitta frontali lata, obscura, abdomine oblongo. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Norwegia media rarissime; ad diversorium Thynäs in parœcia Skogn d. 4 Jul. 1840 specimen descriptum deprehendi.

♀. In hac subdivisione major, setosa. Plumbea. Caput sordide griseum. Oculi parvi, rotundi. Vitta frontalis lata, sordide fusca, opaca. Antennæ nigræ, seta nuda. Thoracis dorsum vestigio vittarum 3 brunnearum subconfluentium. Abdomen oblongum, immaculatum. Alæ hyalinæ, nervo costali crasso, breviter ciliato, nigro. Spinula adest. Nervus transv. ordinar. fere in medio areæ insertus. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvulis æqvalibus. Halteres albi. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes.

239. *A. longisquama:* antennis mediocribus cinerea, opaca, capite albo; fronte paullo, ore vix, prominentibus; alis albidis, nervis transversis modice remotis, ordinario perpendiculari, recto, squamis niveis, valvula superiore inferiorem vix ad dimidium tegente; *femina:* vitta frontali modice lata, nigra, abdomine ovato. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in Betula ad Lycksele 1 Jul. semel inveni.

♂. Per structuram squamarum sub alis ab affinibus facillime dignoscenda. Valde quoque similis & affinis *Ar lacteipenni,* 200, sed costa ciliata & nervis transversis paullo remotioribus differt. Tota setosa. Oculi mediocres, orbitis albidis. Vitta frontalis nigra, postice macula verticis ordinaria cordata, cinenerea. Antennæ nigræ. Palpi parvi, atri. Thorax & scutellum læte cinerea, immaculata. Abdomen oblongo-ovatum, convexum.

acutum, cinereum, immaculatum. Alæ cum nervis albidæ, extus latiusculæ, rotundatæ. Nervus costalis breviter, sed sat dense nigro-ciliatus. Spinula parva. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem levissime subdivergentes; transversus ord. paullo ante medium insertus. Squamæ niveæ, haud ciliatæ, valvula superiore tantum inferioris basin tegente. Halteres albi. Pedes nigri.

b. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem subdivergentes. Costa subnuda. Squamæ albæ.

240. *A. pilifera:* antennis mediocribus nigra, subopaca, undique pilosa, capite nigro, albo-micante; fronte distincte, ore paullo, prominentibus; alis subhyalinis, basi nigricantibus, nervis transversis subapproximatis, ordinario subperpendiculari, recto, halteribus pallidis; *mas* oculis subcohærentibus, abdomine elliptico, subdepresso, ano inflexo, nigro, nitido. ♂. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem Åreskutan 21 Jun. & Skalstugan 16 Jul. bis lecta.

♂. Affinis *Ar. piligeræ* 47, sed multo minor & oculis non arcte cohærentibus, squamis sub alis minoribus, valvulis æqualibus, halteribus flavis, nec nigris, &c., abunde distincta. Ab *Ar. curvicauda*, 234, cui etiam similis præsertim ejus var. b., colore nigriore, abdomine magis depresso, pedibus adhuc hirsutioribus, costa nudiore &c., differt. Oculi per orbitas angustissimas obscuras & lineam frontalem tenuissimam nigram disjuncti. Facies distincte porrecta. Antennæ nigræ, seta fusca, puberula, ima basi incrassata. Palpi breves, filiformes, nigri, distincte pilosi. Pleuræ schistaceæ. Abdomen ellipticum, depressum, pilosum, atrum, opacum, lateribus certo situ nigro-cinereo-micans. Anus crassiusculus, tuberculo majusculo, inflexo, nigro, nitido. — Alæ leviter fuscanæ, basi nigriores, costa brevissime ciliata, spinula parva. Nervi long. 3 & 4 versus

apicem levissime divergentes. Pedes nigro-picei, simplices, hirsutissimi. Pulvilli distincti, albi.

241. *A. alpica:* antennis mediocribus obscure cinerea, opaca, capite canescente; ore fronteque subprominulis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, ordinario perpendiculari, recto; halteribus nigris; *mas:* oculis subappropinquantibus, abdomine elliptico, subdepresso, ano parvo, inflexo, cinereo; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali latiuscula, nigricante, abdomine rotundato-ovato. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in alpibus Jemtlandicis in regionem nivalem 3500 ped. supra mare adscendens, in ipsa nive ambulans, 2—30 Jul., minus frequens; in Jemtlandiæ alpibus Åreskutan & Mullfjellet, atque in alpe Kälahög in Wærdalia Norwegica prope Suul, 5 specimina inveni.

♂♀. *Ar. lepidæ* 209, subsimilis, sed halteribus nigris atque maris oculis paullo distantibus, & ab hac & ab aliis affinibus mox dignota. Antennæ subvalidæ, nigræ, seta nuda. Palpi mediocres, nigri. Alæ cinereæ, nervo costali nudo & longitudinali 1:mo subcrassioribus, nigricantibus. Nervi long. 3 & 4 versus apicem paullo divergentes. Squamæ albæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes, parce setulosi. *Mas:* oculi per orbitas tenuissimas albidas & vittam angustatam cinereo-nigram, opacam, sejuncti. *Femina:* oculi per orbitas mediocres cinereas & vittam frontalem latiusculam, nigro-cineream, distantes.

242. *A. atomaria:* antennis breviusculis obscure cinerea, opaca, capite albicante; ore fronteque parum prominulis; alis cinereis, nervis infuscatis, transversis approximatis, ordinario perpendiculari, recto; halteribus albidis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine lineari, depres-

so, ano parvo, inflexo, cinereo; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali nigra, abdomine oblongo-ovato. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Sub *Anth. lepida* var. b. Zett. Ins. Lapp. 686. 110. latet.

Hab. in Suecia boreali & Lapponia valde rara; in Bottnia boreali ad flumen Råneå in floribus Salicis, & ad Lycksele Lapponiæ Umensis, Majo & Junio aliquot specimina inveni.

♂♀. Minutissima. Antennæ parvæ, seta nuda. Palpi subclavati, nigri, basi fusci. Alarum costa nuda. Nervi longitudinales: 3 & 4 versus apicem paullo divergentes; 6:tus mox infra basin alæ abruptus, & ne quidem in rudimento ad marginem interiorem continuatus. Squamæ minutæ, albæ, valvulis æqualibus. Halteres subfusci l. sordide albidi. Pedes nigri, parum hirti, in ♂ picei. *Mas* paullo obscurior, oculis cohærentibus. Abdomen angustum, lineare, depressum, in mortua transversim sulcatum, linea incisurali tenuissima in ipso sulco elevata. Alæ albidæ, nervis omnibus fuscedine cinctis. *Femina* cinerea. Orbitæ oculorum cinereæ, vitta frontali modice lata, nigra. Abdomen anguste oblongum, acutum, obscurum. Alæ albicantes, nervis infuscatis.

*Obs.* In museo meo exstant præter descripta adhuc varia *Ariciæ* specimina feminea minora, in variis provinciis Scandinaviæ collecta, quorum quædam novas species forte constituere debent; sed cum alter sexus deest, ideoque interdum ne quidem subdivisionem, cui subjecta erint, pro certo determinare possum, & multo minus eorum differentiam specificam eruere valeo, eorum quoque descriptionem ad interim omittere coactus fui.

*Obs. Musca mutata* Fall. pedibus nigris instructa, ad *Ariciam* quidem pertinet; sed ob magnam cum *rufina* aliisque *Anthomyzæ* speciebus affinitatem, ad *Anthomyzam* relata fuit & sub n:o 143 quærenda. De *Anth. albimana* 106 idem valet.

# 135. ANTHOMYZA *) Zett. (ANTHOMYIA Auct.).

*Corpus* majoris aut mediæ, interdum minoris magnitudinis, ovatum interdum cylindricum; setosum. Antennæ incumbentes, epistomate sæpissime paullo breviores, modice latæ l. subangustatæ, compressæ, articulo ultimo 2:do duplo l. triplo longiore, basi seta dorsali biarticulata, longe plumata, aut pubescente, aut nuda. Oculi nudi, raro hirti; obscure ferruginei; in ♂ sæpe cohærentes aut saltem approximati; raro distantes. Frons rarius prominens; series setarum utrinque simplex ad antennarum basin continuata. Epistoma subperpendiculare, infra oculos nonnihil descendens, ore leviter reflexo; nudum. Vibrissæ nullæ aut spuriæ. Setæ mystacinæ plures, validæ. Genæ, & os subtus, pilosa. Palpi cylindrici, pilosi. Thorax sutura transversa. Abdomen 4-annulatum, ovatum, segmentis: 1:mo breviusculo, inermi, 2:do & 3:tio margine apicali subsetulosis, 4:to toto parce setoso. Alæ subdivaricatæ, abdomine paullo longiores; inermes, nervis ut in *Aricia* directis. Spinula costæ aut abest aut adest. Squamæ aut mediocres, inferior superiore normaliter major, prominula; aut parvæ; utraque breviter ciliata. Pedes pilosi & spinulosi, numquam dentati l. aculeati, tarsis semper inermibus; nigri aut rufescentes, tibiis semper testaceis l. rufis, interdum obscure ferrugineis (in *Anthom. mutata*, 147, tibiis tantum posticis in ♂ flavis. *Anth. albimana* pedibus fere totis nigris ob magnam cum *Anth. meante* affinitatem ad hoc genus quoque relata & sub n:o 106 invenienda). *Color* corporis sæpissime obscurus, nigricans aut cinerascens, interdum flavescens l. testaceus. *Motu* plus minus agilis. *Volatus* haud rapidus. *Habitatio* imaginum in foliis fruticum, floribus, graminosis, fenestris &c., larvarum in stercoratis, fungis, herbis putridis &c.; pupæ in terra degunt. *Differentia sexus; mas:* oculis plus minus cohærentibus, interdum modice

---

*) ab ἄνθος, flos, & μυζάω, sugo. Hinc quoque nomen familiæ rectius scribitur *Anthomyzides*, quam *Anthomyides*, quod vocaretur, si nomen genericum a μυῖα derivaretur.

remotis, ungvibus pulvillisque plerumque majusculis; *femina:* oculis late distantibus, ungvibus pulvillisque minoribus. Ab *Aricia*, cui valde similis, sæpe ægre distingvitur, nisi pedes interdum totos, sed tibias semper, testacea l. rufescentia consideres.

Species sequenti modo dispesci possunt:

*Divis. 1:ma.* Species nigricantes, cinerascentes l. grisescentes. (*Anth. hæmorrhoum* var. a. ano, & var. b. abdomine toto, rufescentibus, sub n:o 62 quærenda; *Anth. cincta* & *uliginosa*, utraque corpore cinereo abdominis basi flavo-subpellucido, in Divisione 2:da sub n:ris 127 & 128 inveniendæ).

*Sect.* 1. Corpus ovatum aut oblongum (nec cylindricnm). Oculi masculorum in fronte cohærentes l. saltem appropinqvantes (in *A. spinicosta* 6, & *A. magnicorni* 31, oculi maris sat late remoti). Majores l. mediæ, raro minores.

A. Femora l. omnia l. antica saltem basi nigricantia. Tibiæ testaceæ. (In feminis *Anth. errantis* 1, var. b., *Angelicæ* 8., & *urbanæ* 17., femora omnia testacea).

*). Seta antennarum distincte & sæpe longe plumata.

†. Oculi hirti (in femina interdum tenuissime & vix nisi microscopice pubescentes). Majores. *Aricia* Macq. & Meig.

1 *errans* Meig. (*Musca erratica β.* Fall.) ♂♀. 2 *signata* Meig. ♂♀. 3 *vagans* Fall. ♂♀. 4 *perdita* Meig. ♂♀. 5 *scutellata* Zett. ♂. 6 *spinicosta* Zett. ♀. (♂). 7 *læta* Fall. ♂♀.

††. Oculi (in utroque sexu) nudi. *Hylemyia* Meig.

a). Abdomen aut linea dorsali angusta, vel maculis irregularibus, fuscis, micantibus, sed nullis punctis l. maculis determinatis ornatum; aut immaculatum.

α. Alarum nervus transvers. ordinarius rectus aut subrectus.

8 *Angelicæ* Scopol. ♂♀. 9 *tincta* Zett. ♂. 10 *coarctata* Fall. ♂♀. 11 *nigricolor* Fall. ♂. 12 *fuscipes* Zett. ♀. 13 *ignobilis* Zett. ♀. 14 *subtessellata* Zett. ♀. 15 *immatura* Zett. ♀. 16 *vittipes* Wahlb. ♀.

β. Alarum nervus transv. ordin. plus minus sursum flexus. Corpus oblongum, abdomine saltem maris subconico (in *A. urbana* 17, ovato). Alæ sæpissime immaculatæ: nervis transversis fuscedine non cinctis (in *A. æqvali* 175, quæ etiam sub hac subdivisione militat, infuscatis).

17 *urbana* Meig. (*Musc. Angelicæ β. rustica* Fall.) ♂♀. 18 *conica* Wied. (*Hydrophoria* Macq.) ♂♀. 19 *dubitata* Fall. ♂♀. 20 *strigosa* Fabr. (*Musc. vagans* Panz. *M. conica* var. Fall.). ♂♀. 21 *nigrimana* Meig. ♂. 22 *operosa* Meig. ♂♀. 23 *coronata* Zett. ♀. 24 *linogrisea* Meig. ♂♀. 25 *vetula* Zett. ♂. 26 *brunneifrons* Zett. ♀.

b). Abdomen punctis l. maculis fuscis plerumque 2 l. 4 in disco locatis (in variet. *A. Qvadrum* 27, interdum obsoletis, rarissime nullis). Frons vix l. parum prominens. Antennæ longiusculæ, angustatæ, seta distincte plumata. Squamæ sub alis mediocres: valvula superiore inferiorem non tegente. Oculi maris approximati, non autem cohærentes; feminæ per vittam frontalem nigram, macula postica elongato-trigona cinerea divisam, sat late disjuncti. Oblongæ.

27 *Quadrum* Fabr. (*Hylemyia* Meig. *Spilogaster* Macq. Musca *subpuncta* Fall.) ♂♀. 28 *anceps* Zett. (*Musc. quadrum* Fall. *Coenosia tigrina* Meig.?) ♂♀. 29 *depuncta* Fall. ♂♀. 30 *fuscata* Fall. (*Hylemyia* Meig.) ♂♀.

**). Seta antennarum aut breviter plumata, aut pubescens, aut nuda.

I. Antennarum seta breviter plumata. (*Anth. incerta* Zett. Ins. Lapp. vide *Cordyluram*).

†. Oculi hirti.

31 *magnicornis* Zett. ♂.

††. Oculi nudi. Frons non prominens. Alarum nervus transv. ordin. rectus. Abdomen sæpe nigro-punctatum. Species parvæ.

32 *flavo-tibiella* Zett. ♀. 33 *troglodytes* Zett. ♂♀. 34 *vilis* Zett. ♀.

II. Antennarum seta pubescens. Species mediæ aut minores.

a. Abdomen nigro-punctatum (in ♀ *Anth. binotatæ* 38, immaculatum. — *Ar. Stægeri* nob. seu *Atomogastrem tibialem* Stæg.: tibiis obscure ferrugineis, ob summam cum *Aric. triquetra* affinitatem ab *Anthomyza* remotam & in *Ariciæ* genere collocatam ibique sub n:o 207 invenies). *Spilogaster* Macq.

35 *consimilis* Fall. (vix *Anthom. compuncta* Meig.) ♂♀. 36 *pertusa* Meig. ♂♀. 37 *fratercula* Zett. ♂♀. 38 *binotata* Zett. ♂♀. 39 *sororia* Zett. ♀. 40 *consors* Zett. ♀. 41 *protuberans* Zett. (*Anth. consimilis* Ins. Lapp. ♀. exclus. syn.) ♂♀. 42 *lineatipes* Zett. ♀. 43 *apicalis* Zett. ♀. 44 *cineraria* Zett. ♀. 45 *obscuripes* Zett. ♀. 46 *pallipalpis* Zett. ♀. (♂).

b. Abdomen non nigro-punctatum.

47 *Sundewalli* Zett. ♂♀. 48 *socia* Fall. ♂♀. 49 *grandæva* Zett. ♀. 50 *deserta* Zett. ♂. 51 *denudata* Zett. ♂. 52 *socculata* Zett. ♂. 53 *verticella* Zett. ♀.

III. Antennarum seta nuda. Abdomen non nigro-punctatum. Oblongæ.

54 *frigida* Zett. ♂. 55 *rugulosa* Zett. ♀. 56 *fuscula* Fall. ♂. 57 *atricolor* Fall. ♂. 58 *depressiventris* Zett. ♂. 59 *atritarsis* Zett. ♂. 60 *tergina* Zett. ♀. 61 *dorsalis* Zett. ♀. 62 *hæmorrhoum* Zett. ♀. 63 *palliceps* Zett. ♀. 64 *niveipennis* Zett. ♀.

B. Femora & tibiæ omnia & tota flavo-ferruginea. (Feminæ *Anth. Angelicæ* & *urbanæ* femoribus omnibus ferrugineis sub n:ris 8 & 17 inveniuntur). Tarsi nigri.

a. Seta antennarum distincte plumata. Majores.

*). Squamæ sub alis magnæ aut majusculæ: valvula superiore inferiorem non tegente. Ovatæ.

†. Oculi saltem maris hirti; in femina plerumque nudi aut subnudi. *Aricia* Meig.

65 *erratica* Fall. ♂♀. 66 4-*notata* Meig.? ♂♀. 67 *basalis* Zett. ♂♀.

††). Oculi in utroque sexu nudi. *Hylemyia* Meig. *Aricia* Macq.

α). Scutellum flavum.

68 *pagana* Fabr. ♂♀.

β). Scutellum concolor: cinereum.

69 *impuncta* Fall. ♂♀. 70 *demigrans* Zett. (*Musc. depuncta β.* ♂. Fall.). 71 *modesta* Meig. ♂♀. 72 *villifera* Zett. ♂. 73 *detrita* Zett. ♀. 74 *olivacea* Zett. ♀.

**). Squamæ sub alis minusculæ: valvula superiore inferiorem tegente.

75 *præpotens* Wied. (*Hylemyia* Meig. Macq.) ♂♀. 76 *ferrugineo-vittata* Zett. ♀.

b. Seta antennarum pubescens aut nudiuscula. Oculi nudi. Mediæ aut minores.

*). Squamæ sub alis parvæ: valvula superiore inferiorem tegente.

†. Nervus transv. ordin. subperpendicularis, rectus. Costa inermis. (*Anth. Hyoscyami* vide 176).

77 *conformis* Fall. ♀. 78 *calceolata* Zett. ♀. (♂). 79 *laticornis* Fall. ♀. 80 *deprimata* Zett. ♂♀. 81 *flavipalpis* Zett. ♂. 82 *mimula* Zett. ♂. 83 *maculipes* Zett. ♀. 84 *lunatifrons* Zett. ♀.

††. Nervus transvers. ordin. subobliquus, leviter inflexus.

85 *Salicis* Zett. ♂.

**). Squamæ sub alis mediocres l. majusculæ: valvula superiore inferiorem non tegente.

86 *viduata* Zett. (*Musca rufipes* Fall.) ♀. 87 *punctiventris* Zett. ♂. 88 *pubiseta* Zett. ♂.

*Sect.* 2. Corpus præsertim in masculis cylindricum aut subcylindricum. Antennarum articulus ultimus elongatus, linearis, compressus. Oculi oblongi, nudi in utroque sexu fere æqvaliter & modice (raro late) subparalleliterque distantes. Squamæ sub alis minusculæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Nervus transversus ord. omnino rectus & sæpissime non infuscatus. Pulvilli in utroque sexu longiusculi. Mediæ aut plerumque minores. *Coe-*

*nosia* Auctorum *). (*A. spinicosta* oculis in utroque sexu remotis sub n:o 6 invenienda).

A. Antennarum seta plumata.

89 *tigrina* Fabr. (vix Meig.) ♂♀. 90 *ciliatocosta* Zett. (an *Coenos. tigrina* Meig.?) ♂♀. 91 *flavicornis* Fall. ♂.

B. Antennarum seta pubescens aut brevissime puberula. Mediæ aut minores.

*) abdomine punctis 4—8 nigris per paria dispositis.

†. Palpi nigri.

a. Femora omnia in utroque sexu nigricantia.

92 *meditata* Fall. ♂♀. 93 *exsul* Zett. ♂. 94 *nana* Zett. ♂♀. 95 6-*maculata* Meig. ♂♀.

b. Femora saltem in ♂ l. tota l. ad partem flava; in ♀ raro nigra.

96 6-*notata* Meig. ♂♀. 97 *bilineella* Zett. ♂♀. 98 *geniculata* Fall. ♂♀. 99 *pygmæa* Zett. ♂.

††. Palpi albi (*A. troglodytes* & *pallipalpis* in Sect. 1:ma sub n:ris 33 & 46 quærendæ).

100 *verna* Fabr. ♂♀. 101 *lacteipennis* Zett. ♂♀.

**) abdomine punctis nullis. Palpi nigri.

α. femoribus flavis.

102 *intermedia* Fall. ♂♀. 103 *biocellata* Zett. ♀. 104 *trilineella* Zett. ♀.

β. femoribus nigricantibus.

105 *mecus* Meig. ♂♀. 106 *albimana* Wahlb. ♂♀. 107

---

*) Species hujus Sectionis *Cordyluris* affines sunt; sed oculis magis oblongis, abdominis segmentis 4 (nec 6), squamis sub alis distinctioribus, valvulis inæqualiter magnis, &c. a *Cordylura* mox discernuntur.

*genarum* Zett. ♀. 108 *fulvicornis* Zett ♀. 109 *flavimana* Zett. ♂.

C. Antennarum seta nudiuscula aut nuda. Palpi nigri. Species minutæ.

a. Abdomen nigro-punctatum l. nigro-maculatum.

*). Femora l. tota l. saltem basi flava.

110 8-*punctata* Zett. (*strigella* Ins. Lapp. ♀.) ♂♀. 111 *pumila* Fall. (*albicornis* Meig.?) ♂♀. 112 *nigrifemur* Zett. (*nigrimana* Meig.?) ♂♀.

**). Femora nigricantia, basi interdum angustissime flava.

113 *humilis* Meig. ♂♀. 114 *pulicaria* Zett. ♂♀.

b. Abdomen immaculatum.

115 *pedella* Fall. ♀. 116 *decipiens* Meig. ♂♀. 117 *tarsella* Zett. ♂♀. 118 *dealbata* Zett. ♂. 119 *metallipennis* Zett. ♀. 120 *ambulans* Meig. ♀.

*Divis. 2:da.* Species pallescentes. *).

A. Antennarum seta sat longe & distincte plumata. Majores aut mediæ.

*). Oculi in utroque sexu distantes, nudi. *Coenosia* Auctorum recentiorum.

121 *Fungorum* Degeer ♂♀. 122 *Graminum* Zett. ♂.

**). Oculi in mare cohærentes aut subcohærentes.

---

*) Ad hanc Divisionem refero omnes *Anthomyzæ* species, quæ aut totæ aut ad partem flavescunt, h. e. thorace plus minus, sæpe toto, cinereo. Inter has exstant species: aut thorace toto cinereo vel nigricante, abdomine toto flavo; aut thorace plus minus cinereo, abdomine flavo; aut denique corpore obscuro, abdomine basi tantum plus minus (ex. gr. in *A. cincta* 127, *uliginosa* 128 & *alma* 140) pallescente.

a. Oculi in mare dense, in femina tenuiter hirti. *Aricia* Macq. Meig.

123 *pallida* Fabr. ♂♀. 124 *Populi* Meig. ♂. 125 *scutellaris* Fall. ♂♀. 126 *abdominalis* Stæg. ♂. 127 *cincta* Zett. ♂.

b. Oculi in utroque sexu nudi. *Hylemyia* Meig. 128 *uliginosa* Fall. (*Spilogaster* ead. Macq.) ♂♀. 129 *graminicola* Zett. ♀.

B. Antennarum seta breviter plumata aut pubescens. Mediæ aut minores.

130 *postica* Zett. (an *Anth. posticata* Meig.?) ♂. 131 *maculiventris* Zett. ♂♀. 132 *mollicula* Fall. (*Coenosia nemoralis* Meig.) ♂♀.

C. Antennarum seta nudiuscula aut nuda. Oculi nudi. Mediæ aut minores.

*Tribus* 1:*ma* thorace obscuro: nigricante aut cinerascente, interdum lateribus anguste scutelloque flavicantibus (in ♀. *A. transversæ* 134 thorace griseo-rufescente. — *A. Winthemi* forte huic tribui subdita, infra sub n:o 177 invenienda).

*α*). Frons non prominens.

*. Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente.

133 *rufipes* Fall. ♂. 134 *transversa* Fall. ♂♀. 135 *capucina* Zett. ♂. 136 *latitarsis* Stæg. ♂♀. 137 *consobrina* Zett. ♀. 138 *invisa* Zett. ♂. 139 *pallicornis* Zett. ♀. 140 *alma* Meig. (*Musc. uliginosa* var. Fall. *Anth. spuria* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 141 *litoralis* Zett. ♀. 142 *pinguicula* Zett. ♂. 143 *rufina* Fall. (non *Coen. rufina*

Meig. — *Anth. ocreata* Zett. Ins. Lapp. ♀.) ♂♀. 144 *hamata* Zett. (*Limnophora hamata* Macq. est ♂ hujus) ♀. 145 *impar* Zett. ♂♀. 146 *hians* Zett. ♂♀. 147 *mutata* Fall. ♂♀.

**. Squamæ sub alis parvæ: valvula superiore inferiorem totam tegente.

†). Palpi flavi, summa apice interdum obscuri.

148 *flavipes* Fall. ♂. 149 *flavo-scutellata* Zett. ♂♀. 150 *tenera* Zett. ♂♀. 151 *zonata* Zett. ♀. (♂). 152 *tricolor* Zett. (*Coenos. bicolor* Stæg.) ♂.

††). Palpi l. toti l. ad maximam partem nigri, basi sæpe flavi.

153 *ruficeps* Zett. ♀. 154 *transgressa* Zett. ♀. (♂?). 155 *guttifrons* Zett. ♀. 156 *rotundicornis* Zett. ♂.

*β*). Frons plus minus distincte prominens. Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem tegente. Nervus transversus ordinarius rectus. Oblongæ.

*. Palpi toti flavi.

157 *bicolor* Wied. Meig. (*Pegomyia* Macq.? Forte etiam *Anth. mitis* Meig.) ♂♀. 158 *strigipes* Zett. ♀. 159 *calyptrata* Zett. ♀. 160 *scapularis* Zett. ♀. 161 *pubipes* Zett. ♀.

**. Palpi l. toti l. saltem apice nigricantes.

162 *nigritarsis* Zett. (*Musca bicolor* Fall. var. — Vix *Anth. fulgens* Meig.?) ♂♀. 163 *stupida* Zett. ♀. 164 *lurida* Zett. ♂♀. 165 *notabilis* Zett. ♀. 166 *limbatella* Zett. ♂♀.

*Tribus 2:da* thorace pallido, interdum vitta dorsali obscura. Antennarum seta nudiuscula. Oculi nudi. Alarum costa inermis.

a). Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. Majores.

†. Alarum nervus longitudinalis 1:mus versus apicem setulosus. Oblonga.

167 *inanis* Fall. (*Pegomyia* Macq.) ♂♀.

††. Alarum nervus longitud. 1:mus inermis. Ovatæ.

168 *varians* Zett. ♂♀. 169 *flaveola* Fall. (non Fabr.) ♂♀. 170 *diaphana* Wied. (*Pegomyia* Macq.) ♂♀.

b). Squamæ sub alis parvæ, valvula superiore inferiorem tegente. Nervus transv. ordinarius rectus l. subrectus. Mediæ. Oblongæ.

171 *tunicata* Zett. ♀. 172 *vittigera* Zett. ♂♀. 173 *gilva* Zett. ♂♀. 174 *ephippium* Zett. ♂♀.

*Species omissæ:*

175 *æqvalis* Meig. (*Hylemyia eadem* Meig.) ♀. 176 *Hyoscyami* Panz. Meig. Wahlb. (*Musca* Reaum. *Pegomyia* Macq.) ♂♀. 177 *Winthemi* Meig. (*Pegomyia* Stæg.) ♀.

*Divis.* 1:*ma.* Species obscuræ.

*Sect.* 1. Corpus ovatum. Oculi ♂ conniventes (in *A. spinicosta*, 6, paullo distantes).

A. Femora saltem antica plus minus late nigricantia.

*) Seta antennarum plumata.

†. Oculi hirti. (Majores).

1. *A. errans:* cinerea, antennis, thoracis lineis 4, abdominis maculis micantibus, femoribus anticis basi, tarsisque omnibus & totis, nigricantibus; pedibus scutellique apice rufo-testaceis; alis hyalinis, nervis transversis infuscatis, ordinario incurvo; squamis pallescentibus; oculis maris subcohærentibus. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Meig. Dipt. 5. 112. 50. ♀. Zett. Ins. Lapp. 688. 119.

♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 287. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 314. 17. *Musca erratica* Fall. Muscid. 77. 92. var. *β.* ♂♀.

Hab. in truncis arborum viventium, etiam in ligno Pini sylvestris & Abietis recenter secato, &c., per Scandinaviam, 1 Jun.—Jul.—25 Aug., passim; in copula capta; scilicet in Scania ad Lund rarius; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum &c., non raro; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Åreskutan, Forsa, Mullfjellellet & Skalstugan, vulgaris; in Lapponia Umensi ad Stöttingsfjellet, in Lulensi ad Qvickjock, & in Tornensi ad Muonioniska, parce; in Dania freq., D. *Staeger.* (E Glogavia etiam ♀ a D. *Zeller* missa).

♂♀. Sat magna, cinerea, opaca. Caput læte cinereum. Facies paullo ante oculos prominens. Oculi in ♂ distincte-hirti, per orbitas albidas tenues & lineam frontalem angustam nigram parum distantes; in ♀ minus hirti, per orbitas latiusculas cinereas & vittam frontalem latissimam nigram, late remoti. Antennæ longiusculæ, totæ nigræ. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, margine antico subreflexo. Proboscis crassa & palpi subcylindrici, pilosi, nigra. Thoracis lineæ 4 nigræ, quarum mediæ tenuiores, integræ. Abdomen ovatum, griseum, maculis irregularibus, micantibus, fuscis, plus minus conspicuis, sæpe obsoletis. Alæ totæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis fuscedine cinctis, ordinario distincte curvo, ante medium areæ inserto. Nervi longitudinales versus apicem paullo divergentes, 3:tius nonnihil ante, & 4:tus paullo pone apicem alæ excurrentes. Nervi præterea ut in *Aricia* directi. Costa nuda. Squamæ magnæ, valvula superiore inferiorem ad medium tegente; flavido-albidæ l. pallescentes. Halteres nudi, pallidi. Pedes mediocres, spinosi & pubescentes; ferrugineo-flavi. Coxæ cinerascentes. Femora antica in ♂ fere ad apicem, in ♀ basi, obscure cinerea. Tarsi omnes inermes & atri. Ungues & pulvilli in ♂ elongati. — Ab *Anth. erratica,* 65,

cui valde similis, differt: magnitudine paullo minore, antennis totis nigris, femoribus anticis plus minus late obscuris, ut & oculis ♂ minus cohærentibus.

Var. b. ♀. femoribus omnibus rufis, alias var. a. simillima; frequens etiam in copula cum ♂ var. a.

2. *A. signata:* cinerea, antennarum articulo ultimo, thoracis vittis 4, abdominis maculis micantibus & linea dorsali interrupta, femoribus anticis basi, tarsisque omnibus & totis, nigricantibus; pedibus scutellique apice rufo-testaceis; alis hyalinis, nervis transversis infuscatis, ordinario incurvo; squamis albidis; oculis maris cohærentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 113. 52. ♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 288. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 314. 19.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, Jul.—Oct., passim; scilicet in Scania ad Lund, & in Ostrogothia ad Wadstena &c., varia specimina utriusque sexus obtinui; e Dania ut ibi frequens incola a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Similis priori, a qua tamen magnitudine minori, fronte & facie minus prominulis, antennarum articulis 1 & 2 rufis, thoracis vittis nigris nonnihil latioribus, abdomine præter maculas irregulares fuscas micantes etiam linea media interrupta nigra ornato, squamis sub alis albidioribus, ut & oculis maris magis cohærentibus, facile dignoscitur.

3. *A. vagans:* obscure cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali, femoribus anticis basi, tarsisque omnibus & totis, nigricantibus; pedibus rufo-testaceis; alis basi squamisque lutescentibus, nervis transversis subinfuscatis, ordinario subcurvo; oculis maris appropinquantibus. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$ – 4 lin.).

Meig. Dipl. 5. 112. 51? Zett. Ins. Lapp. 688. 118. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 78. 93. ♂♀. typica. — *Aricia* Macq. Buff. 2. 288. 9? ♂♀. — Meig. Dipt. 7. 314. 18?

Hab. in silvis, foliis fruticum, graminosis, floribus Umbellatarum, etiam in ligno recenter secato, per Scandinaviam, 20 Maj.—2 Sept., haud raro; scilicet in Scania ad Abusa, Tranås, Esperöd &c., non parce; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Lärketorp, sat frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Forsa juxta radicem Mullfjellet (in ligno Abietis) Jul. frequens; in Lapponia meridionali Umensi ex. gr. in alpe Stöttingsfjellet, rarius; in Norwegia ad Evenäs Nordlandiæ freq.; e Dania a D. *Staeger* missa. (Ad Sedinum Germanorum 8 Jul. 1812 a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Valde similis & affinis *Anth. erranti* n:o 1; sed magnitudine paullo majore, scutello toto obscure cinereo, nec apice rufescente, alis basi magis flavicantibus, abdomine linea tantum media obscura, nec quoque maculis fuscis micantibus, ut & oculis tenuius hirtis maris paullo magis distantibus, dignota. Frons & facies modice prominulæ. Caput albido-micans. Abdominis linea dorsalis fusca in segmentis 1, 2 & 3; sæpe subinterrupta. Nervus transv. ordinar. modice l. minus incurvus. Oculi ♂ per orbitas albas & lineam frontalem nigram paullo remoti. Punctum supra antennas albidum. Variat ♂ femoribus etiam intermediis basi obscuris.

*Obs.* Palpi in nostris speciminibus, iisque plurimis, semper toti nigri, & interstitium frontale in ♂ non tenue, unde dubium oritur de identitate speciei Fallenianæ & Meigenianæ.

4. *A. perdita:* cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali interrupta pedibusque nigricantibus; scutelli summo apice, genubus tibiisque rufo-testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis infuscatis,

ordinario incurvo, squamis albidis; oculis maris appropinquantibus. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 6. 376. 216. ♂. *Aricia* Meig. Dipt. 7. 314. 14.

Hab. in foliis fruticum &c., per Scandinaviam, 1 Jun.—1 Aug., passim, in copula etiam semel capta; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum a Cel. *Wahlberg* lecta mihique communicata; in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet parce; in Lapponia Umensi ad Frederica raro; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: "*A. exoleta* Meig. l. nov. spec.?" in utroque sexu communicata. (E Glogavia a D. *Zeller* individuum masculum sine synonymia missum).

♂♀. Ab antecedentibus mox dignoscitur femoribus omnibus cinerascenti nigris (in ♀ femorib. posticis interdum ferrugineis), & præterea ab *Anth. signata* (2), cui de cetero similis, antennis totis nigris, oculis ♂ magis remotis ut & abdomine præter maculam oblongam fuscam in medio segmentorum 1, 2 & 3, immaculato, certe diversa. Caput albo-cinereum, micans. Frons & facies modice prominulæ. Oculi ♂ mediocriter, ♀ tenuiter hirti. Palpi toti nigri. Genæ infra oculos descendentes. Punctum supra antennas album nullum. Vittæ thoracis nigræ 4, quarum 2 mediæ tenuiores. Scutelli margo apicalis plerumque rufescens. Abdomen postice setosum. Alæ basi parum stramineæ. Coxæ anticæ testaceo-cinereæ.

*Obs. Anth. exoleta* (*Aricia* nob.) Meig. major est & pedibus totis nigris gaudet.

5. *A. scutellata:* cinerea, antennarum articulo ultimo, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali, femoribus anticis basi, tarsisque omnibus & totis, nigricantibus; antennis basi, scutelli margine pedibusque, rufo-testaceis; alis cinereo-hyalinis, basi squamisque sordide pallescenti-

bus, nervis transversis infuscatis, ordinario incurvo; oculis maris arcte cohærentibus. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. in Suecia rarissime; in Ostrogothia ad Wadstena 2 specimina mense Julio inveni.

♂. Simillima *A. signatæ* (2), sed magnitudine paullulum majore, antennis basi obscurius testaceis, abdomine præter lineam dorsalem fuscam in segmentis 1, 2 & 3, subimmaculato seu maculis lateralibus fuscis micantibus vix ullis l. obsoletissimis, alis basi subpallescentibus ut & squamis sordide flavidis, nec albis, satis distincta. Frons & facies haud prominentes. Oculi magni, perspicue hirti. Palpi nigri. Scutellum testaceum, macula basali cinerea. Abdomen postice setosum. Nervi longitudinales 3 & 4 apice leviter tantum divergentes. Reliqua ut in *Anth. signata.*

6. *A. spinicosta:* cinerea, antennis, thoracis vittis subqvatuor, pedibusque, nigricantibus; geniculis tibiisque rufo-testaceis; alis cinereo-hyalinis, subimmaculatis, nervo transverso ordinario subflexo, costa ciliata, spinula distincta, squamis pallescentibus; *femina* puncto supra antennas albo. ♀. (♂). (Long. 3 lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi rarissime; ad Qvickjock mense Jul. a D. Prof. *Boheman* inventa, mihique ad describendam in uno specimine benigne mutuo communicata.

♀. Abdomine immaculato, alarum costa a basi ad medium nigrociliata, spinula nigra perspicua ut & puncto supra antennas niveo, a præcedentibus præcipue dignoscitur. Similis *A. signatæ* (2), sed præter notas nuper allatas differt etiam: antennis totis nigris, thoracis lineis nigris fere tenuioribus, lateralibus obsoletis, scutello immaculato, abdomine oblongo-cylindrico, acuto, subflavido-griseo (nec cinereo), alarum nervis transversis vix

l. parum infuscatis, ordinario leviter inflexo, squama sordide flavida, nec albida, ut & femoribus omnibus nigricantibus.

*Mas*, paullo minor & angustior, oculis sat late distantibus paullo tamen propioribus quam in ♀, cum femina ad Qvickjock, deprehensus erit, mihi ignotus.

7. *A. læta:* albo-cinerea, capite argenteo, antennis, thoracis lineis 4, lateralibus interruptis, abdominis fasciis 3 undulatis pedibusque, nigricantibus, tibiis obscure testaceis; alis aqveis, nervis transversis fuscedine cinctis, ordinario inflexo, squamis albis; oculis maris appropinquantibus. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 106. 40. (immerito ad subdiv. oculis nudis relata) ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 664. 14. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 56. 42 ♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 292. 30. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 314. 15.

Hab. in succo stillante Qvercus & Betulæ, etiam in truncis arborum, 2—30 Jul., passim; scilicet in Scania ad Lindholmen, Esperöd, Beckaskog &c.; in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)*, Wadstena, Lärketorp sat freqvens; in Lapponia Umensi ad Åsele raro; in Nordlandia Norwegica ex. gr. ad Hackstén parce.

♂♀. *Ariciæ hilari* (n:o 33) subsimilis. Oblonga, læte cinerea, pulchre nigro-picta. Frons subprominens. Caput argenteum, vitta frontali nigra, in ♂ angustata, in ♀ lata. Oculi tenuiter hirti. Antennæ longiusculæ, nigræ, seta distincte plumata. Epistoma apice reflexum & infra oculos descendens. Palpi cylindrici, nigri. Thoracis lineæ 4, harum 2 mediæ angustiores ultra medium dorsi productæ, & 2 laterales interruptæ, adjacente utrinque extus ante alas macula oblonga ejusdem coloris; macula antescutellaris fusca. Scutellum cinereum, macula basali fusca. Abdomen cinereum, segmentis basi fasciis un-

dulatis fuscis, & maculis dorsi 4 oblongo-trigonis in lineam mediam dispositis, brunneis. Alæ hyalinæ, nervis transv. distincte infuscatis. Nervi longitudinales 3 & 4 apice divergentes. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ magnæ, albæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Pedes ut in diagnosi. Halteres flavi.

†† Oculi nudi.

a). Abdomen aut leviter l. indeterminate fusco-submaculatum; aut immaculatum.

α. Nervus transversus ordinarius rectiusculus.

8. *A. Angelicæ:* fronte haud prominente cinerascens, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali tenui, femoribus anticis (in ♂) basi, tarsisque omnibus, nigricantibus; pedibus rufescentibus; alis basi squamisque pallescentibus, nervis transversis non infuscatis, ordinario subrecto; oculis maris subcohærentibus. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Meig. Dipt. 5. 117. 59? ♂♀. Ahrens. Fn. 10. T. 25. Zett. Ins. Lapp. 688. 120. ♂♀. *Musca* Scopol. Ent. Carniol. 881? Fall. Muscid. 78. 94. ♂♀. certe. — *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 61. *Musca deceptoria* Schrank Austr. 458. 932.

Hab. in floribus Umbellatarum &c., plerumque locis sylvaticis, per Scandinaviam, 15 Jun.—17 Aug., passim frequentissima; in copula; scilicet in Scania vulgaris; in Ostrogothia frequens; in Gottlandia ad Fårön, Sanda &c. parce; in Uplandia ad Holmiam & in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Lapponia Tornensi ad Muonioniska rarissime. (E Kilia a D. *Wiedemann* missa; & ad Hamburgum lecta a D. *Dahlbom* communicata).

♂♀. Similis *Anth. vaganti* (3), paullo minor, & differt: colore minus obscuro, alis basi & squamis minus intense flavidis, nervo transverso ordinario magis recto seu leviter tantum flexo, vix infuscato, oculis nudis, in ♂ propioribus, ut & femoribus omnibus in ♀ plerumque rufo-testaceis. Oculi maris magni sat approximati, non vero arcte cohærentes, per lineam tenuissimam nigram, orbitasque angustissimas albas, angustissime disjuncti; feminæ per orbitas mediocres cinereas & vittam frontalem latissimam, late remoti. Scutellum cinereum. Abdomen ovatum, convexum, cinereum l. flavido-cinereum l. griseum, linea dorsali tenui in segmentis 1, 2 & 3 nigra, interdum obsoleta. Alarum nervi ut in prioribus directi, sed transversus ordinarius minus flexus, interdum subrectus. Var. ♂ femoribus intermediis basi etiam obscuris. — Cfr. *A. urbana* n:o 17.

9. *A. tincta:* fronte haud prominente cinerascens, antennis, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali tenui, femoribus anticis (in ♂) basi, tarsisque omnibus, nigricantibus, scutelli limbo postico late, pedibusque fufescentibus; alis basi squamisque pallescentibus, nervis transversis non infuscatis, ordinario subrecto; oculis maris subcohærentibus. ♂. (Long. 3 lin.).

An *Anthomyia Angelicæ* Meig. Dipt. 5. 117. 59? (sed non Falleni eadem).

Hab. in Scania rarissime; ad Abusa prope Lund semel capta.

♂. Priori ut ovum ovo simillima, differt solummodo scutello rufo-testaceo, basi macula media subtriangulari indeterminata cinerea.

10. *A. coarctata:* fronte parum prominente cinerascens l. flavescenti cinerea, antennis pedibusque nigro-fuscis, tibiis testaceis; alis flavicantibus, nervis transversis rectis, non infuscatis, squamis parvis pallidis; *mas:* ocu-

lis subcohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* macula supra antennas femoribusque posterioribus ferrugineo-flavis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Var. a. ♂♀. tibiis testaceis.

Meig. Dipt. 5. 130. 85. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 690. 127. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 81. 108. ♂♀. *Hylemyia* Macq. Buff. 2. 322. 26. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 316. 41.

Hab. in floribus Umbellatarum, foliis fruticum, graminosis &c., per Scandinaviæ hortos, prata & silvas, 10 Jul.—15 Sept., vulgaris, in copula capta; scilicet in Scania ubique frequens; in Blekingia, D. *v. Borck;* in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c.; in Gottlandia ad Gothem, Stenkyrka, Furillen, Ruthe (in Pimpinella nigra), &c., passim; in Uplandia ad Holmiam, Upsaliam &c.; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Ristansfors; in Bottnia boreali ad Haparanda; in Lapponiis Umensi ad Lycksele & Tornensi ad Karesuando, rarius; in Norwegia ad Næs Wærdaliæ; in Dania, D. *Staeger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg* & e Glogavia a D. *Zeller* communicata).

Var. b. ♂. tibiis saltem apice obscure testaceis, interdum fere nigricantibus.

*Anthom. leptogaster* Zett. Ins. Lapp. 666. 23. ♂.

Hab. cum var. a. passim; in Scania ad Esperöd, in Helsingia ad Kårböle, in Jemtlandia boreali ad Säther, Ristansfors, Åreskutan & Mullfjellet, in Lapponia ad Lycksele & Åsele, atque in Norwegia ad Næs, specimina hujus varietatis præsertim inveni.

♂♀. Valde affinis *Ariciæ lascivæ* (30) & *flavipenni* (31), præsertim quoad magnitudinem, habitum & formam abdominis maris similis, sed pedum colore differt. Corpus cinerascens, subimmaculatum. Frons leviter prominula. Os parum exsertum. Antennæ mediocres, nigræ, seta distincta, sed non longe plumata. Palpi mediocres, filiformes, nigri, pilosi. Nervi longitudinales: 3:tius in apice alæ excurrens, & 4:tus versus apicem subparalleli. Nervus transv. ordinarius ante medium areæ insertus, subrectus l. leviter tantum flexus. Costa subciliata, spinula præsertim in ♀ distincta. Squamæ parvæ, sordide albidæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres flavi. Pedes spinulosi. *Mas:* oculi subcohærentes, linea frontali atra angustissima, antice nonnihil latiore & interdum macula flava supra antennas. Abdomen angustum & supra & subtus sat longe pilosum, cinereum, incisuris obscurioribus, ano inflexo, cinereo, appendice terminato & stylis 2 ventralibus nigris suffulto. Pulvilli longiusculi, albi. *Femina:* oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem latiusculam, antice flavam, distantes. Abdomen lanceolatum, parum pilosum, cinereum, immaculatum. Pulvilli parvi, albi. — Variat etiam ♀ femoribus quoque posterioribus obscuris; ad Randijaur Lapponiæ Lulensis, 12 Aug. rarius, D. *Boheman.*

11. *A. nigricolor:* fronte non prominente nigricans, subnitida, femoribus posterioribus tibiisque omnibus flavis; alis maris fuscanis, nervis transversis rectis, squamis subfuscescentibus; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine ovato. ♂. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 195. 195 (secundum Fall. transscripta). — *Musca* Fall. Muscid. 81. 101. ♂.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania in unico specimine a D. *Fallén* inventa.

♂. Obtuse ovata, subnitida, nigra. Oculi magni, arcte cohærentes, in mortua obscure ferruginei. Antennæ longiusculæ, an-

gustatæ, seta distincte plumata. Frons & facies non prominentia. Epistoma infra oculos non descendens, nec apice reflexum; totum obscure cinereum. Palpi subfiliformes, nigri, pilosi. Thorax ater, pilosulus. Abdomen ovatum, subconvexum, pubescens & pilosulum; obscure cinereum, linea dorsali interrupta & obsoleta, nigra. Anus non appendiculatus. Alæ præsertim ad costam leviter fumatæ. Nervi ut in priori directi. Nervus transv. ordinarius omnino rectus; & costa nuda, & spinula vix ulla. Squamæ mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente; totæ sordide albidæ. Halteres flavi. Pedes mediocres, pilosi, ferrugineo-flavi, anteriorum coxis femoribusque obscure cinereis. Tarsi omnes nigri. Pulvilli mediocres, albi.

12. *A. fuscipes:* fronte non prominente obscure cinerascens, thoracis lineis subquatuor abdominisque unica dorsali, fuscis; antennis linearibus pedibusque nigris, tibiis fusco-testaceis; alis hyalinis, nervis transversis rectis, squamis albidis; *femina:* fronte macula didyma, atra. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad villam Esperöd in paroecia Mellby 2 specimina inveni.

♀. Ovata, obscure cinerea, opaca. Caput griseum. Oculi sat late distantes, vitta frontali lata nigra, macula verticis trigona grisea. Antennæ longiusculæ, angustatæ, nigræ, seta distincte plumata. Epistoma infra oculos non descendens. Palpi subcylindrici, nigri. Thoracis lineæ 4 fuscæ, quarum laterales obsoletæ. Abdomen ovatum, convexum, cinereum, posterius pilosulum, linea dorsali fusca, in segmentis 1 & 2 perspicua, in 3:tio obsoleta. Alæ hyalinæ, nervis basi sordide albescentibus. Nervi ut in præcedente directi. Costa nuda. Squamæ & halteres ut in priore. Pedes nigri, tibiis obscure testaceis.

13. *A. ignobilis:* fronte non prominente obscure cinerascens, subnitens, immaculata, antennis linearibus, fe-

moribus anterioribus tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis; alis hyalinis, nervis transversis rectis, squamis albidis; *femina:* fronte vitta didyma, atra. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia ad Gusum forte rarissime, mihi in uno tantum individuo a Cel. Prof. *Wahlberg* communicata.

♀. Tota nigrescenti cinerea, subnitida. Caput ut in priore constructum, cinereum, vitta frontali lata nigra per maculam verticis elongato-trigonam cineream divisa. Antennæ cum seta, epistoma & palpi omnino ut in antecedente. Thorax antice rudimento linearum 4 tenuium fuscarum. Abdomen ovatum, convexum, immaculatum. Alæ etiam quoad directionem nervorum ut in præcedente, sed costa leviter subciliata, & nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem nonnihil divergentes. Squamæ & halteres ut in priore. Pedes ut in diagnosi.

14. *A. subtessellata:* fronte subprominente cinerascens, antennis validiusculis, thoracis vittis 4, abdominis linea dorsali maculisque obsoletis, pedibusque, nigris, tibiis testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis rectis, squamis albidis; *femina:* vitta frontali mediocriter lata, atra. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; ad Lund Scaniæ 2 specimina inveni.

♀. Oblonga, cinerea, opaca. Caput albidum. Frons nonnihil prominens. Oculi non magni, orbitis albis. Vitta frontalis modice lata, atra, antice subbrunnescens, macula ocellorum cinerea. Epistoma subperpendiculare, infra oculos leviter descendens, apice haud reflexum. Antennæ latiusculæ, nigræ, seta longe plumata. Palpi tenues, filiformes, nigri. Thoracis vittæ 4 parum determinatæ, nigræ. Abdomen subconicum, griseum, postice pilosum, vitta dorsali fusca in segmentis basalibus continuata. In segmentis mediis maculæ submicantes fuscæ inde-

terminatæ etiam observantur, sed valde obsoletæ & tantum certo situ conspiciendæ. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis præsertim basi pallidis. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli, horum primus fere in apice alæ excurrens. Nervus transv. ordinarius rectus, subobliquus, mox ante medium areæ insertus. Costa subnuda. Spinula parva. Squamæ parvæ, sordide albidæ, valvulis subæqualibus. Halteres flavi. Pedes nigri, setulosi, geniculis summis & tibiis totis testaceis.

Var. b. ♀. alis vix flavicantibus, abdomine vitta tantum dorsali obscura, maculis fuscis micantibus nullis, tibiis apice nigricantibus, alias var. a. simillima, e Lapponiæ Lulensis Quickjock a D. *Wahlberg* missa; hujus videtur.

15. *A. immatura:* fronte parum prominente carneo-canescens, antennis validiusculis tarsisque nigris; pedibus flavescenti-testaceis, femoribus anticis læte cinereis; alis cinerascentibus, nervis transversis rectis, infuscatis, squamis parvis, albidis. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Esperöd semel capta.

♀. Parva, ovato-oblonga, tota rufescenti cinerea (an nuper exclusa?), opaca, setosa. Frons lata, concolor. Oculi parvi, late distantes. Antennæ latiusculæ, nigræ, seta distincte, sed subtiliter plumata. Epistoma breve, apice subreflexum. Palpi subclavati, lividi, apice nigri. Corpus immaculatum. Abdomen subconicum. Alæ cinereæ, nervis præsertim basi pallidis l. albidis. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transversi recti, subperpendiculares, infuscati, horum ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Costa breviter ciliata. Spinula mediocris. Squamæ minutæ, albidæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres pallidi. Pedes rufescentes, tarsis nigris. Femora antica latere exteriore cinereo-micantia.

16. *A. vittipes:* fronte subprominente cinerea, antennis longiusculis, thoracis linea media maculisque late-

ralibus hamiformibus, scutelli lateribus, abdominis maculis, femorum vittis supernis tarsisque, nigricantibus; pedibus rufo-testaceis; alis hyalinis, nervis transversis subrectis, squamis albidis; *femina:* vitta frontali nigra, postice bifida. ♀. (Long. circiter 3 lin.).

Wahlb. in litteris 1843.

Hab. in Suecia media rarissime; in trunco Betulæ albæ loco umbroso ad Gunnebo in paroecia Fåssberg prope Gothoburgum Westrogothiæ d. 21 Jun. 1841 a Prof. *Wahlberg* inventa.

♀. Cum speciem ipse non vidi, descriptionem plenam & adcuratam, quam mihi benigne communicavit eximius Detector, heic allegare volui. "*Ariciæ hilari* (n:o 33) proxima, pedibus rufo-"testaceis &c. facile tamen distincta. Magnitudine fere *Anth.* "*strigosæ* (infra 20), oblonga, cinerea. Caput totum sordide "argenteum. Oculi nudi, sat late remoti, brunnei. Vertex linea "(vitta frontali) latiuscula nigra, postice abbreviata, bifida, setis "longis, remotis, vix ad basin antennarum descendentibus. "Frons paullo prominens. Epistoma descendens, (apice) subre-"flexum, setis mystacinis pluribus, quarum una utrinque sat "longa, genis rigide pilosis. Antennæ epistomate parum brevio-"res, nigræ, spathulato-lineares, articulo ultimo basalibus simul "sumtis duplo longiori, 2:do dense nigro-hirto & spina longio-"ri divergente munito. Seta basi tantum subincrassata, longis-"sime plumata. Thorax octofariam setosus, serie tertia a late-"re utrinque antice abbreviata, linea media angusta, obscure "brunnea, basi apiceque abbreviata & macula hamiformi utrin-"que supra radicem alæ lata, atro-velutina; pleuris & pectore "immaculatis. Pectus ante alas utrinque serie transversa seta-"rum mediocrium, & sub illo vel supra pedes intermedios se-"tis utrinque 2 longissimis. Scutellum setis 4 longis, 2 apice "& una utrinque laterali; medio cinereum, lateribus nigrum. "Abdomen anguste conicum, pilosum, segmentis 3, 4 & 5 "utrinque macula basali transversa, nigro-fusca, sub segmento

"antecedente fere retracta, segmentis 2 & 3 setis 3 apicalibus "& una utrinque laterali, sequentibus setis pluribus. Pedes "longiusculi, coxis anticis cinereo-testaceis, posterioribus cine-"reis, anterioribus præsertim setosis. Trochanteres testacei. Fe-"mora spinosa, rufo-testacea, superne vitta longitudinali subapi-"cali, nigro-fusca, anticorum totam fere partem superiorem "occupante. Spinæ femorum anticorum latere exteriori præser-"tim obviæ, intermediorum apice utrinque & medio lateris an-"terioris, posticorum superne frequentiores. Femora tamen "omnia subtus parcius spinosa. Tibiæ rufo-testaceæ, spinosæ. "Tarsi omnes toti atri, pulvillis parvis, albis. Alæ basi quoque "hyalinæ, nervis fuscis, costa spinula minuta; nervo 3:tio lon-"gitudinali in summum apicem excurrente, nonnihil versus "4:tum curvato; transverso ordinario subrecto, paullo ante me-"dium areæ inserto; transverso medio nervi auxiliaris præcise "opposito; auxiliari paullo ante medium costæ desinente. Squa-"mæ & halteres albida". *Wahlb.*

*β.* Alarum nervus transversus ordinarius flexus. Oblongæ plerumque. Alæ sæpissime immaculatæ.

17. *A. urbana:* fronte haud prominente cinerascens, antennis, thoracis vittis 4, abdominis ovati linea dorsali tenui, femoribus anticis (in ♂) basi, tarsisque omnibus, nigricantibus; pedibus rufescentibus; alis basi squamisque pallescentibus, nervis transversis non infuscatis, ordinario inflexo; oculis maris subcohærentibus. ♂♀. (Long. 3—$3\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 118. 60. *Aricia* Macq. Buff. 2. 292. 27. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 62. *Musca Angelicæ* var. *β. rustica* ♂♀. Fall. Muscid. pag. 79.

Hab. in foliis fruticum & floribus, locis umbrosis sylvaticis, 1 Jun.– 30 Aug., per Scandinaviam meridiona-

lem & mediam, vulgaris; scilicet in Scania tota, Smolandia, Ostrogothia (ad Lärketorp, Wadstena &c.). Gottlandia (ad Ruthe, Nähr &c.), Nericia &c., frequenter visa; e Dania a D. *Staeger* missa.

♂♀. *Anth. Angelicæ* (8) ut ovum ovo simillima, nec differt ab illa nisi nervo transverso ordinario distinctius flexo & ita in utroque sexu. Abdomen quoque in ♂ magis cinereum, nec flavido-cinerascens, & in ♀ maculis irregularibus fusco-micantibus, sed valde obsoletis & certo tantum situ in rudimento observandis ornatum. Reliqua exacte ut in *A. Angelicæ*.

18. *A. conica:* fronte subprominente griseo-cinerascens, antennis, thoracis lineis 4, lateralibus latioribus, abdominisque conici unica, pedibusque, nigris, tibiis obscure testaceis; alis squamisque flavicantibus; *mas:* oculis subcohærentibus, ano appendiculato; *femina:* vitta frontali lata, atra. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 97. 25. ♂♀. Wiedem. Zool. Mag. 1. 1. p. 79. 29. ♂♀. Ahrens. Fn. 10. T. 23. Zett. Ins. Lapp. 689. 121. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 83. 107. var. a. ♂♀. — *Hydrophoria* Macq. Buff. 2. 298. 1. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 42.

Hab. in floribus Umbellatarum & truncis arborum locis silvaticis, per totam Scandinaviam, 5 Jun.—Jul.—Aug.—16 Sept., vulgatissima, in copula capta, etiam e pupa cylindrica, nuda, ferruginea exclusa; mihi in Scania, Smolandia, Ostrogothia, Gottlandia, Nericia, Uplandia, Jemtlandia usque ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, in Lapponia Umensi, Lulensi & Tornensi per regionem silvaticam, Norwegia ad Næs & Suul Wærdaliæ, præsertim frequenter obvia; e Dania ut ibi non rara incola in utroque sexu a D. *Staeger* missa. (E Kilia a D. *Wiede-*

*mann*, ex Hamburgo a D. *Dahlbom*, & e Glogavia a D. *Zeller*, etiam communicata).

♂♀. Statura oblonga, thoracis lineis 4 nigris, quarum lateralibus latioribus, alis elongatis angustis, &c., ab affinibus dignoscitur. Subflavido-cinerea, opaca. Caput argenteo-micans. Frons paullo prominens. Antennæ mediocres, nigræ, seta distincte plumata. Epistoma breviter infra oculos descendens, apice parum reflexum. Palpi subfiliformes l. cylindrici, nigri. Scutellum cinereum. Abdomen conicum, griseo-flavidum, linea dorsali nigra, segmentis margine apicali setulosis. Alæ præsertim basi flavescentes. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli l. versus apicem tantum leviter subdivergentes; transversus ordinarius obliquus, modice l. distincte inflexus, fere in medio l. mox ante medium areæ insertus. Costa subnuda. Spinula parva adest. Squamæ mediocres, flavescentes, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes mediocres, setosi, nigri, tibiis testaceis l. obscure ferrugineis. *Mas*: oculi subcohærentes, linea frontali nigra tenuissima, antice latiore, & orbitis angustissimis albidis, valde anguste disjuncti. Abdomen conicum, griseo-flavidum, linea media nigra. Anus tuberculo longe inflexo. Segmentum penultimum ventrale stylis 2 nigris munitum. Pulvilli elongati, albi. *Femina:* oculi per vittam frontalem latam atram, macula ocellorum cinerea inscriptam, & orbitas modice latas, albidas, remoti. Abdomen ovato- l. oblongo-conicum, flavo-griseum, maculis micantibus fuscis. Pulvilli parvi.

Var. b. ♂♀. paullo minor, abdomine in utroque sexu immaculato.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♂♀.

Hab in Lapponia rarissime; in alpium Tornensium ju o, in ipsa nive d. 12 Jul. 1821 in copula semel capta; ad Åreskutan Jemtlandiæ 2 specimina 21 Jun. 1840 etiam inveni; in Lapponia Lulensi ♂ Jul. 1843 a D. *Boheman* lectus.

Var. c. ♂. simillima var. a. sed paullo minor, & differt abdomine cinereo, nec flavido-cinereo, linea media nigra. Valde affinis videtur *Anth. virgineæ* Meig. Dipt. 5. 96. 22. ♂. Duo tantum individua hujus vidi, unum in Ostrogothia & alterum ad diversorium Næs Norwegiæ 8 Jul., capta.

*Obs.* *Anth. conica* var. c. ♀. nob. Ins. Lapp. ad *Anth. depunctam* (29) pertinet; & Falleni *Muscæ conicæ* varietates: *β. γ.* & *ε.* ad *Anth. strigosam* (20) referendæ.

*Obs.* Varietatem femineam macula supra antennas parva, fulva, in alpib. Dalecarlicis legit D. *Boheman.*

19. *A. dubitata:* fronte subprominente nigra, nitida, capite albicante; thoracis antico vittis subquinis inchoantibus cinereis; tibiis obscure testaceis, alis squamisque flavicantibus; *mas:* oculis cohærentibus, ano appendiculato; *femina:* vitta frontali latiuscula, atra. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 195. 196. ♀. (secund. Fallén transscripta). *Musca* Fall. Muscid. 82. 102. ♀. typica.

Hab. in Suecia meridionali & media, rarius; in Scania ad Lund & Esperöd uterque sexus inventus; in Gottlandia ad Ejsta specimen masculum 2 Jul. 1841 legi.

♂♀. Valde similis & affinis priori, præsertim ejus varietati b.; sed differt: corpore toto nigro, nitido, in thoracis antico tantum maculis 4 l. 5 cinereis initium vittarum totidem indicantibus. Abdomen conicum, vix cinereo-micans. Squamæ sub alis parvæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Reliqua omnia exacte ut in præcedente, cujus tamen varietas detrita vix existimanda.

20. *A. strigosa:* fronte parum prominente cinerascens, opaca, thoracis lineis 3, abdominisque unica dorsali, fuscis; antennis pedibusque nigris; femoribus poste-

rioribus & macula supra antennas in ♀, tibiisque omnibus in utroque sexu, flavis; alis cinereis, squamis parvis, albidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdominis segmento ventrali penultimo appendiculato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 131. 87. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 689. 125. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 296. 61. ♂. *Hylemyia* Macq. Buff. 2. 317. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 316. 41. *Musca vagans* Panz. Fn. 59. f. 18. ♀. var.? *Musca conica* var. β. ♂♀., γ. ♀. & ε. ♀. Fall. Muscid. pag. 84

Hab. in foliis fruticum, graminosis, floribus Achilleæ, Chrystanthemi &c., locis sylvaticis & nemoralibus, per totam Scandinaviam, 1 Jun.—20 Sept., ubique vulgatissima; nempe in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Gottlandia (ad Rhone, Stenkyrka &c.), Nericia, Uplandia, Jemtlandia (in Frösön & Åreskutan), mihi copiose obvia; in Bottnia boreali ad Haparanda & in Lapponia, rarius; in Norwegia ad Dovre, Alstahaug, Næs, Thynæs &c., iterum frequenter occurrens; e Dania ut ibi etiam frequens incola a D. *Staeger* communicata. (Ad Neuenkirchen Germaniæ jam 20 Maj. & iterum Septemb. a D. *Dahlbom* lecta; & e Glogavia atque Reinerzi Silesiæ plura individua mascula a D. *Zeller* missa; mares quoque e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* 1844 obtinui). Larvæ in stercore bovino mens. Septemb. inveniuntur. Ova etiam in Fungis deponuntur, teste D. *Robineau Desvoidy.* In statu pupæ hybernant & mense Majo in imagines declarantur.

♂♀. *Anth. conicæ* (18) simillima, magnitudine vero plerumque nonnihil minore, fronte paullo minus prominente, thoracis lineis tantum 3, alis & squamis vix flavicantibus, his valvulis

subæqualibus, ut & in ♂ oculis arctius cohærentibus & tuberculo anali non inflexo, segmento tantum ventrali penultimo stylis 2 munito, atque in ♀ femoribus saltem posterioribus maculaque supra antennas fulvo-flavis, satis superque distincta. Thoracis linea media brunnea lateralibus evidentior, vittiformis, in scutelli basin sæpe continuata. Inter has lineas series punctorum fuscorum ad radicem setarum etiam plerumque observantur. Alæ basi vix pallescentes. Nervi longit. 3 & 4 paralleli, horum 3:tius in summo apice excurrens. Transversus ord. distincte inflexus. Costa subnuda; spinula adest. Squamæ albidæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albidi. *Mas:* abdomen anguste conicum, cinereum, linea media incisurisque fusco-nigris. *Femina:* orbitæ oculorum cinereæ. Vitta frontalis latiuscula atra, antice macula fulva, postice macula ocellorum cinerea. Abdomen oblongo-conicum, flavo-griseum, maculis micantibus fuscis obsoletis.

Variat ♂ tibiis anticis etiam obscuris; & ♀ femoribus omnibus ferrugineis. Variat quoque uterque sexus abdominis apice nigricante, nitente, detrito, quæ est *Musca conica* var. ε. Fall. l. c.

*Obs.* Femina hujus speciei sub nomine: "*Hylomyia strigosa* Macq." e S:t Sever a D. *Leon Dufour* missa.

21. *A. nigrimana:* fronte parum prominente cinerascens, opaca, thoracis lineis 3, abdominisque unica dorsali, fuscis, antennis, femoribus anticis in ♂, tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, squamis parvis, albidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdominis segmento ventrali penultimo appendiculato. ♂. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 132. 88. ♂. & Ejusd. Dipt. 7. 316. 43.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, rarius; in Scania ad Abusa, & in Ostrogothia ad Wadstena tria exempla inveni; e Dania specimen unicum mense Aug.

captum sub nomine allato mihi communicavit D. *Staeger.*

♂. Præcedenti ut ovum ovo simillima, & differt tantum magnitudine nonnihil majore, & femoribus posterioribus in ♂ ferrugineis, nec nigris.

*Obs.* An femina hujus speciei, mihi non rite cognita, inter varietatis *Anthomyzæ conicæ* Fall. (*Anth. strigosæ* nob.), ut opinatur D. *Meigen* l. c., quærenda, pro certo dicere non audeo. Pedum color affirmat, magnitudo major negat; observationes & præsertim copulatio individuorum observata in posterum decident.

22. *A. operosa:* fronte parum prominente cinerascens, opaca, antennis, thoracis lineis 4, intermediis tenuissimis, abdominisque unica dorsali, pedibusque, nigris, tibiis testaceis; alis cinereis, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus, ano appendiculato; *femina:* vitta frontali atra. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 102. 33? ♂. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 45?

Hab. in Scandinavia rarissime; ♂ e Dania sub nomine indicato a D. *Staeger* missus; ♀ in Scania semel capta.

♂. Simillima *Anth. conicæ* (18), sed magnitudine duplo & ultra minore, fronte nonnihil minus prominente, thoracis lineis intermediis subtilioribus, alis minus flavicantibus, squamis albidis, nec flavidis, &c., distincta videtur. Structura ani etiam ut in illa, tuberculum nempe anale nigrum inflexum, apice hamatum, & præterea styli 2 nigri conico-cylindrici, pilosi (pilis subtus in denticulum brevem subtus condensatis), versus anum vergentes & genitale inter se excipientes.

♀ forte hujus. Similis mari, sed oculi remoti per orbitas cinereas & vittam frontalem mediocriter latam, nigram, macula supra antennas parva, fulva.

23. *A. coronata:* fronte leviter prominente cinerascens, opaca, antennis, thoracis lineis 4, intermediis per lineolam brunneam divisis, abdominisque unica dorsali, pedibusque, nigris, tibiis testaceis; alis cinereis, squamis mediocribus, albidis; *femina:* vitta frontali latiuscula, atra, antice fulva, abdomine ovato. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}-2\frac{3}{4}$ lin.).

*Musca conica* var. δ. ♀. Fall. Muscid. p. 81.

Hab. in Suecia meridionali & media non frequens; in Scaniæ fluvio Höjeå ad Kjellby prope Lund in foliis Potamogetonum & Nymphææ in societate cum *Hydromyza (Cordylura) livente* Fall. medio mensis Julii 6 specimina inveni. Sub nomine: *A. brunneifrons* ex Holmia a D. *Wahlberg* missa. (E Glogavia sub nomine: "*Anth. densa* Bouch." a D. *Zeller* etiam communicata).

♀. Ab *Anth conica* (18), cui de cetero similis, differt: statura corporis magis ovata, præsertim abdomine latiore, subdepresso, macula supra antennas fulva, thoracis dorso præter lineas 4 ordinarias nigras etiam lineola media utrinque abbreviata brunnea l. ferruginea, alis magis hyalinis, immaculatis, nec flavidis, ut & squamis albidioribus. Caput albicans. Frons subprominens. Orbitæ oculorum cinereæ postice (in vertice) levissime brunneæ l. griseæ, unde ad *Anth. brunneifrontem* (26) accedit. Vitta frontalis mediocriter lata, atra, antice ferrugineofulva, postice macula ocellorum trigona, grisea. Antennæ mediocres, nigræ, seta distincte plumata. Epistoma apice subreflexum. Palpi longiusculi, cylindrici, atri. Thoracis lineæ mediæ tenues. Abdominis lineola obscura vix nisi in segmentis mediis perspicua. In individuis bene conservatis maculæ irregulares micantes fuscæ observantur, at obsoletissimæ. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli l. versus apicem levissime divergentes; transversus ordin. distincte inflexus, fere in medio areæ insertus. Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres albi-

di. Pedes nigri, setosi, tibiis obscure testaceis, anticis apice fuscis.

24. *A. linogrisea:* fronte leviter prominente flavescenti cinerascens, opaca, antennis, thoracis lineis 4, intermediis tenuissimis, abdominisque subconici unica dorsali, femorum anticorum vitta superna, tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, squamis mediocribus, albidis; *mas:* oculis cohærentibus, tuberculo anali inflexo, nigro, segmento ventrali penultimo appendiculato; *femina:* vitta frontali modice lata, atra. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$— fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 129. 82. forte. — *Hylemyia* Ejusdem 7. 317. 80?

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali & media rarius; in Scania & Ostrogothia marem & feminam rarissime inveni; in Lapponia Lulensi ad Quickjock femina a D. *Boheman* mense Julio 1843 lecta; ex Hafnia Danorum uterque sexus cum pupis cylindricis, glabris, ferrugineo-brunneis, e quibus egressus, sub nomine: "*A. linogrisea* Meig.", a D. *Staeger* benevole communicatus. (E Lubeca (Lybeck) a D. D. *Jac. Behrens* & *C. J. Milde* specimina feminea 1843 etiam missa).

♂♀. Valde affinis & similis *A. conicæ*, cujus varietatem olim putavi; sed vere differt: fronte forte paullo minus prominente, alis squamisque minus flavicantibus, ut & femoribus in utroque sexu flavo-ferrugineis, anticis tantum superne vitta nigro-cinerea. Oculi etiam maris arctius cohærentes. Structura ani & segmenti ventralis penultimi appendices omnino ut in *Anth. conica* (18) & *operosa* (22) descripta.

25. *A. vetula:* fronte non prominente cinerascenti nigra, nitida, capite argenteo; alis cinereis, squamis majus-

culis, albis; pedibus flavis, femoribus anticis fuscis, tarsis omnibus nigris; *mas:* oculis appropinquantibus, abdominis segmento ventrali penultimo appendiculato. ♂. (Long. $2\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Suecia rarissime, mihi viva non obvia, sed e Suecia superiore in uno specimine a D. *Marklin* ante plures annos communicata.

♂. Similis *Anth. nigricolori* (11), a qua tamen corpore minus atro h. e. nigro, levissime cinereo-micante, abdomine magis oblongo, oculis non cohærentibus, alis cinereis, nec fuscanis, nervis longit. 3 & 4 in apice alæ paullo divergentibus, transverso ordinario leviter inflexo aperte ante medium areæ inserto, ut & squamis albis, abunde distinguitur. Antennæ elongatæ, angustæ, nigræ, leviter recurvatæ, seta distincte, sed non longe plumata. Oculi per orbitas mediocriter angustas, albas, & vittam frontalem angustam nigram, non late distantes. Epistoma apice non reflexum. Thorax antice cinereo-micans, lineis 4 abbreviatis nigris. Abdomen leviter cinereo-micans, segmentis posticis setulosis. Tuberculum ani parum determinatum, sed styli 2 breves, cylindrici, nigri, pilosi in segmento penultimo ventrali observantur. Nervorum transversorum præsertim medius fuscedine subcinctus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ albæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Pedes flavi, femoribus anterioribus fere ad apicem indeterminate, tarsisque omnibus, fuscis.

26. *A. brunneifrons:* fronte subprominente obscure cinerascens, opaca, capite griseo; antennis pedibusque nigris, tibiis obscure testaceis; fronte, vittis thoracis 3, abdominisque unica dorsali, brunneis; alis cinereis, squamis albescentibus; *femina:* oculis late remotis, vitta frontali modice lata, atra. ♀. (Long. circiter $2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 690. 126. ♀.

Hab in Lapponia Tornensi rarissime; in silva abietina ad Wittangi 2 specimina d. 16—17 Jun. 1821 inveni. In succo exstillante Betulæ albæ tempore vernali in Uplandia ad Holmiam, & in ripa arenosa humida fluvii Kama prope Quickjock Lapponiæ Lulensis ad finem mensis Julii, a D. Prof. *Wahlberg* quoque capta erit.

♀. Similis *Anth. conicæ* (18), sed capite flavido-griseo, nec argenteo-micante, fronte latiore, brunnescente, antennis nonnihil brevioribus & latioribus, epistomate paullo breviore, apice subreflexo, thoracis dorso obscuriore, ut & alis squamisque minus flavicantibus, dignota. — Oblonga. Frons & facies prominentes. Oculi per orbitas latas obscure brunneas & vittam frontalem atram disjuncti. Macula ocellorum grisea. Seta antennarum distincte plumata, apice nuda. Palpi elongati, cylindrici, nigri. Thorax dorso in fundo cinereus, lineolis nigris revera 4, tenuibus, sed per interstitia præsertim medium brunnea parum perspicuis, ita ut lineolæ duæ mediæ cum interstitio quasi unam forment vittam mediam latam obscuram. Scutellum griseo-cinereum. Nervi longitud. 3 & 4 paralleli; transversus ord. distincte flexus. Costa nuda. Squamæ non magnæ, albidæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Pedes nigri, tibiis ferrugineis, anticis apice obscuris.

*Anth. æqualis* huic subdivisioni inserenda, vide n:o 175.

b.). Abdomen in disco bi- vel quadri-punctatum. Oblongæ. Frons haud prominens. Antennæ angustatæ. Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. Oculi ♂ appropinquantes, ♀ per vittam frontalem didymam nigram late disjuncti.

27. *A. Quadrum:* cinerea, antennis, thoracis lineis 4 obsoletis, abdominis punctis 2 l. 4, pedibusque, nigris, geniculis tibiisque ferrugineis; alis cinereis, basi squamisque pallescentibus, nervo transverso ordinario subrecto,

haud infuscato; *mas:* oculis appropinquantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 93. 18. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 689. 121. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 297. 67. *Spilogaster* Macq. Buff. 2. 295. 7. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 18. *Musca subpuncta* Fall. Muscid. 80. 97. ♂♀. *Mydina dispar* Rob. Desvoid. n:o 4.

Hab in graminosis & foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem vulgaris, per borealem parcius, 1 Jul. —30 Sept. obvia; in copula quoque capta; scilicet in Scania ubique frequens, præsertim ad littora marina vulgaris; in Blekingia, Ostrogothia & Gottlandia, parce; in Lapponia rarissime; in Norwegia ad Alstahaug & Levanger, rarius; in Dania non infrequens, D. *Staeger.* (Ex Hamburgo a D. *Dahlbom* missa.).

♂♀. Ab *Anth. Angelicæ* (8), cui subsimilis, differt: colore paullo dilutiore, thoracis lineis nigris obsoletioribus, alis basi vix flavicantibus, femoribus omnibus & punctis abdominis nigricantibus, & quod paullo minor. Seta antennarum mediocriter longe plumata. Epistoma subperpendiculare, apice non reflexum. Palpi cylindrici, nigri. Scutellum immaculatum. Abdominis segmenta 2 & 3 punctis aut 4, aut 2, aut nullis; plerumque subtriangularibus (in ♂), l. rotundatis (in ♀); nigris aut fuscis. Segmenta margine apicali setosa. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; transversi parum infuscati, horum ordinarius subobliquus, subrectus l. leviter tantum flexus, ante medium areæ insertus. Costa subnuda; spinula vix nisi in ♀ adest. Squamæ ciliatæ & halteres, albida. Pedes nigri, setosi, genubus saltem posterioribus & tibiis omnibus rufis. *Mas:* caput argenteum. Oculi per orbitas tenues albas & vittam frontalem atram postice angustam, antice supra antennas dilatatam, non late disjuncti. Abdomen oblongum, subconicum. Anus parvus, cinereus, apertura subtus nullis stylis ventralibus

in segmento penultimo prædita. Pulvilli elongati, validi, albi. *Femina:* caput læte griseo-cinereum. Oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem latam macula postica elongata trigona divisam, late distantes. Abdomen ovato-oblongum, acutum. Pulvilli minuti, albidi.

Var. ♀ femoribus posterioribus obscure ferrugineis, in copula cum var. a. ♂, aliquoties capta.

28. *A. anceps:* cinerea, aut obscure cinerea, antennis, thoracis lineis 4, abdominis punctis 2 l. 4, pedibusque, nigris, geniculis tibiisque ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis subinfuscatis, ordinario subflexo, squamis albidis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 689. 123. ♂♀. *Musca quadrum* Fall. Muscid. 80. 99. ♂♀. (exclus. forte synon. Fabr.). *Musca meditata* var. *β.* Fall. Muscid. 87. 111. ♂♀. *Musca subpuncta* var. *β. confinis* Mas. Fall. Muscid. 80. 97. var. "thorace obscuro." *Musca tigrina* Fabr. Antl. 297. 66. var. ♀. Vix *Coenosia tigrina* Meig. Dipt. 5. 212. 2.?? & eadem Macq. Buff. 2. 314. 1. T. 17. f. 14??

Hab. in graminosis & foliis fruticum, etiam in Umbellatis, per Scandinaviam meridionalem & mediam vulgatissima, borealem parce; 21 Jun. usque ad 21 Sept. obvia, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania copiose; in Smolandia & Ostrogothia (ad Wadstena, Gusum &c.), passim; in Ölandia; in Gottlandia ex. gr. ad Nähr, Gothem, Stenkyrka, Kellunge, Fårön, Furillen, Slitö, Wamlingbo, Carlsön &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* sed supra hanc provinciam non nisi rarissime mihi visa; in Dania non rara, D. *Staeger.* (Sub nomine: "*Spilogaster quadrum* Macq." femina a

Nobiliss. D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ communicata 1844).

♂♀. Simillima priori, sed plerumque paullo minor, & differt præterea: nervo transverso sæpissime paullo magis flexo & infuscato, alis basi squamisque minus pallescentibus, seta antennarum forte nonnihil longius plumata, ut & oculis maris arctius cohærentibus. Reliqua, etiam quoad differentiam sexus, omnino ut in antecedente. — Spinula in alarum costa sat distincta.

Variat ♂ thorace paullo obscuriore, & hæc est Falleni *Musca subpuncta* var. *confinis* genuina.

*Obs.* *Coenosiam tigrinam* Meigeni & Macquarti genuinam, etiam nomine: "*Coen. tigrina* Macq." insignitam, nuperrime Nobilissimus D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ in utroque sexu communicavit. Hæc vero per magnitudinem minorem, oculos in ♂ remotos, &c., a nostra *Anth. ancipite* distincta, vix in Scandinavia occurrit, mihi saltem non obvia, sed in Pineto ad Neuenkirchen prope Gryphiam a Cel. *Dahlbom* Sept. 1844 lecta,

29. *A. depuncta:* cinerea, antennis, thoracis lineis subquatuor, abdominis punctis 2 l. 4, femoribus anticis, tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; alis pallescentibus, nervis transversis subinfuscatis, ordinario subrecto, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 194. 191 (secund. Fall. descripta). Zett. Ins. Lapp. 689. 122. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 80. 98. ♂♀. var. *α*.

Hab. cum præcedente, Jul.—Sept., passim frequens, feminæ præsertim versus autumnum vulgares; scilicet in Scania ubique; in Smolandia & Ostrogothia etiam frequens; in Gottlandia ad Wamlingbo, Gothem &c., passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; sed in provin-

ciis borealioribus ut in Bottniis & Lapponiis non nisi rarissime obvia; e Dania in utroque sexu a D. *Staeger* missa. (E Wienna a D. *Zeller* specimen femineum obtinui).

♂♀. Priori iterum simillima; femoribus vero posterioribus flavo-ferrugineis mox dignota. Nervus quoque transvers. ordinar. plerumque magis rectus. Antennarum seta distincte plumata. Thoracis lineæ obscuræ intermediæ angustæ, laterales obsoletæ. Puncta abdominis variant: 4, vel 2, vel nulla; in ♂ plerumque subtrigona, nigricantia, in ♀ sæpius rotundata, brunnea. Alæ præsertim basi pallescentes. Nervi transversi plus minus fuscedine cincti, ordinarius rectus, interdum leviter flexus. Pedes flavo-ferruginei, setosi, coxis omnibus, femoribusque anticis l. totis, l. saltem ad medium, cinereo-nigricantibus, tarsis omnibus & totis atris. — Variant: *mas* coxis saltem posterioribus fusco-testaceis; & *femina* femoribus intermediis basi etiam obscuris.

30. *A. fuscata:* læte cinerea, capite argenteo-micante, antennis, thoracis lineis 4, abdominis maculis dorsalibus trigonis una serie dispositis, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto; squamis albis; *mas:* oculis appropinquantibus. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipl. 5. 126. 78. ♂♀. Tab. 44. f. 8. ♂. *Musca* Fall. Muscid. 85. 109. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 77.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, 8 Maj.—15 Sept., passim, truncis arborum viventium sæpe insidens; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. sat frequens; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c.; in Uplandia ad Holmiam,

D. D. *Haeffner* & *Wahlberg*; e Dania, D. *Staeger*. (E Reinerzi & Glogavia mascula a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Pictura abdominis a prioribus affinibus dignota. Antennarum seta longe plumata. Epistoma apice leviter reflexum. Palpi nigri. Thoracis lineæ 4 fuscæ; laterales latiores, obsoletæ. Thorax postice macula dilute brunnea, quæ in scutelli basi continuatur, omnino ut a D. *Meigen* de *Anthom. trigonali* dicitur. Abdomen in singulo segmentorum 1, 2 & 3 macula media magna triangulari angulo acuto versus basin ducto & ad marginem antecedentis segmenti continuato, fusca l. brunnea. Anus ut in *Anth. quadrum* (27). Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem divergentes, transversus ordinarius subrectus aut leviter flexus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ ut in prioribus constructæ; albæ. Pedes ferruginei, setosi, femoribus anticis plus minus late fuscis. Tarsi omnes nigri. Femora postica ad apicem postice setis 2 vel 3 majoribus. *Mas:* caput argenteum. Oculi per orbitas tenues albas & vittam frontalem angustatam nigram, non late distantes. Abdomen conicum. Anus parvus, muticus. Pulvilli longi, albi. Pedes longiusculi. *Femina:* caput canum. Oculi per orbitas cinereas & vittam latam griseonigram, late disjuncti. Abdomen oblongo-ovatum, irregulariter maculatum. Pedes mediocres. Pulvilli parvi.

*Obs.* In speciminibus masculis bene conservatis oculi microscopice seu subtilissime & brevissime hirtuli. — Valde affinis *Anth. trigonali* Meig.

**). Antennarum seta subplumata, pubescens, aut nuda.

I. Seta antennarum breviter plumata.

†. Oculi hirti.

31. *A. magnicornis:* fronte prominente cæsio-cinerascens, capite argenteo-micante; antennis magnis, thoracis vittis subquatuor, abdominisque unica dorsali, tarsis-

que, nigris; pedibus ferrugineis, femoribus ultra medium fuscis; alis cinereis, nervis pallescentibus, transverso ordinario recto; squamis albis; *mas:* oculis paullo distantibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime, in Scania ad Esperöd specimen unicum legi.

♂. Per faciem porrectam, antennas grossas & oculos remotos ab aliis affinibus dignota. Nec *Coenosiæ* generis, nam abdomen ovatum, subdepressum seu parum convexum, minime cylindricum. Ovata, cæsio-cinerea. Frons distincte prominens. Oculi mediocres, hirti, per orbitas tenues albas & vittam frontalem latiusculam nigram, modice distantes. Antennæ longitudine fere epistomatis declivi, validæ, latæ, nigræ, apice truncatæ. Epistoma apice parum reflexum, infra oculos nonnihil descendens. Palpi cylindrici, nigri. Thoracis vittæ nigræ parum discernendæ. Scutellum cæsium. Abdomen cinereum, vitta dorsali fusca in segmentis 1, 2 & 3 minus perspicua; segmentis posticis apice setosis. Anus occultatus. Nervi: longitudinales 3:tius prope apicem alæ nonnihil versus 4:tum flexus, 4:tus rectissimus, subparalleli; transversus ordinarius subperpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ mediocres, albæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres nudi, flavi. Pedes mediocres, setosi, flavo-ferruginei, coxis nigris, femoribus ultra medium brunneis, tarsis atris. Pulvilli parvi, albi. — Ni valde fallor specimen descriptum masculum est.

††. Oculi nudi. Frons non prominens. Nervus transversus ordinarius rectus.

32. *A. flavo-tibiella:* cinerea, antennis validiusculis, thoracis lineis subquatuor obsoletis, abdominisque unica dorsali, pedibusque, nigris, tibiis flavis; alis cinereo-hyalinis, squamis albis. ♀. (Long. fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Dania forte rara, circa Hafniam a D. *Dahlbom* semel lecta.

♀. Parva, cinerea. Oculi per orbitas tenues albidas & vittam frontalem latiusculam atram, maculam ocellorum cineream includentem, modice remoti. Antennæ validæ, nigræ, seta breviter plumata. Palpi nigri. Scutellum cinereum. Abdomen ovatum, griseum, linea media fusca in segmentis 1, 2 & 3. Alæ, nervi, costa, squamæ & halteres ut in priori. Pedes nigricantes, tibiis solum flavo-ferrugineis.

33. *A. troglodytes:* cinerea, thoracis lineis 2, abdominis punctis 6, femoribusque, nigris; palpis albis; antennis angustatis basi, tibiis tarsisque flavo-testaceis; alis cinereis, squamis parvis, albidis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 691. 131. ♀.

Hab. in Scania, Smolandia & Lapponia rarius; in copula; tantum sex individua Scandinavica lustravi; nempe unum ad Skärsjö Smolandiæ captum, alterum in Abiete ad Karungi Bottniæ borealis 29 Maj 1821 lectum, tertium in paludosis ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis 25 Jun. ejusdem anni inventum, 4:tum ad Thynäs Norwegiæ 4 Jul. 1840 deprehensum, & quintum ad Quickjock Lappon. Lulensis collectum; nuperrime etiam 6:tum ut Scaniæ incolam communicavit D. *Boheman.*

♂♀. Antennæ basi, & tarsi, rufa, palpi albi & abdomen 6-punctatum, speciem distingvunt, cum *A. pallipalpi* (46) non confundendam. Cinerea, opaca. Frons & facies minime prominentia. Frons lata, utrinque serie simplici valide setosa. Oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem latiusculam nigram, maculam posticam magnam trigonam griseam bisetosam includentem, disjuncti. Epistoma angustum, cinereum, infra oculos non descendens. Antennæ longiusculæ, angustatæ, obscure testaceæ, basi rufescentes, seta tenuiter, non longe, sed distincte plumu-

lata. Seta utrinque mystacina valida, & setulæ sub ore plures. Palpi graciles, penduli, proboscidi nigræ incumbentes, albi, non pilosi. Thoracis lineæ 2 dorsales obscuræ, obsoletæ. Abdomen ovale, punctis 6 oblongo-rotundatis late distantibus nigris in segmentis 2, 3 & 4; postice setulosum. Alarum nervi subpallescentes, longitudinales 3 & 4 paralleli. Costa nuda, spinula parva. Squamæ parvæ, albæ, valvula superiore inferiorem vix tegente. Halteres flavi. Pedes setosi, coxis cinereis, femoribus nigris, trochanteribus, geniculis, tibiis tarsisque ferrugineis. — *Obs.* In Ins. Lapp. l. c. longitudo corporis "$4\frac{1}{4}$" & palpi "nigri" immerito dicuntur.

**34.** *A. vilis:* cinerea, antennis mediocribus, thoracis lineis 4, abdominis punctis totidem, pedibusque, nigris; tibiis obscure ferrugineis; alis cinereis, squamis parvis, albidis. ♀. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Smolandia cum præcedente, rarissime.

♀. Similis priori, sed epistomate latiore, margine apicali reflexo, antennis validioribus, totis, palpisque porrectis pilosis, nigris, alarum spinula costali distinctiori, pedibusque, exceptis tibiis testaceis, totis nigris, abunde dignota. Frons ut in antecedente. Thoracis lineæ 4 fuscæ, obsoletæ. Abdomen ovatum, acutum, punctis tribus paribus nigris, quorum ultimum vix observandum. Nervi transversi levissime infuscati. Reliqua ut in priore vel in diagnosi.

*Obs.* *Anth incerta* Zett. Ins. Lapp. 690. 128 ad *Cordyluræ* genus potius referenda.

II. Seta antennarum pubescens.

a. Abdomen punctis nigris notatum (in ♀ *A. binotatæ* immaculatum).

**35.** *A. consimilis:* fronte haud prominente canescens, capite argenteo-micante; antennis cum seta subtili-

ter pubescente, thoracis lineis subbinis, abdominis punctis 6, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus rufo-ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis rectis, infuscatis, spinula costa minutissima; squamis albis; *mas:* oculis appropinquantibus; *femina:* oculis late remotis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 201. 209. ♂. *Musca* Fall. Muscid. 85. 110. ♂. typica. — Zett. Ins. Lapp. p. 690. *Mas* Obs. sub *A. consimili.*

Hab. in Suecia meridionali & media, rarius; in Scania, D. *Fallén;* mascula in Babusia, & in Götheborgs skärgård ex. gr. in Brännö, Winge, &c., 14—15 Jul. a Prof. *B. F. Fries* inventa, atque ad Marstrand & in Koön a Prof. *Wahlberg* lecta; femina vero ad Holmiam capta sub nomine "*A. depuncta!*" ab eodem Cel. *Wahlberg* mihi communicata.

♂♀. Similis *Anth. depunctæ* (29), sed antennarum seta tantum breviter & subtiliter pubescente, nec plumata, ut & oculis maris minus cohærentibus, dignota. Antennæ longiusculæ, non validæ, nigræ, basi sæpe fusco-rufescentes. Epistoma subperpendiculare, parum infra oculos descendens. Palpi nigri, pilosi. Thoracis lineæ subquatuor, laterales obsoletissimæ, intermediæ in ♂ nigræ, in ♀ brunneæ. Scutellum cinereum, immaculatum. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter subdivergentes; transversus ordinarius distincte ante medium areæ insertus, subobliquus, omnino rectus. Spinula costæ vix ulla. Squamæ mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres flavi. Pedes pilosi, fusco-ferruginei, femoribus anticis obscurioribus, tarsis omnibus atris. *Mas:* oculi per orbitas tenues argenteas & lineam frontalem angustam, antice paullo dilatatam, non late disjuncti. Abdomen conicum, setosum, canum, maculis 6 majusculis, subapproximatis, trigonis.

atris, nempe 2 in singulo segmentorum 1, 2 & 3. Anus muticus. Pulvilli majusculi, albi. *Femina:* oculi per orbitas mediocres, cinereas, & vittam frontalem latissimam macula ocellorum trigona cinerea inscriptam, late disjuncti. Abdomen subovatum, cinereum, maculis 6 mediocribus, subrotundatis, nigris, eodem ordine ac in ♂ locatis. Pulvilli minuti.

*Obs.* Vix *Anthomyia compuncta* Meig. Dipt 5. 147. 111? ♂♀, ubi *Musca consimilis* Fall. ut synonym. refertur; dum pedes in specie Meigeniana "nigri" dicuntur.

*Obs.* *Anth. consimilis* nobis Ins. Lapp. ♀ ad *Anth. protuberantem* infra n:o 41 pertinet.

36. *A. pertusa:* fronte haud prominente cinerea, capite argenteo-micante; antennis cum seta subtiliter pubescente, thoracis lineis subquatuor, abdominis punctis 4, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto, spinula costæ vix ulla, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin. & ultra).

Meig. Dipt. 5. 119. 64? ♂. — *Spilogaster* Macq. Buff. 2. 294. 3. ♂. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 83? — Sub varietatibus *Muscæ depunctæ* Fall. latet.

Hab. in Dania & Suecia rarius; in Dyrhaven prope Hafniam 11 Aug. 1812 a D. *Staeger* inventa mihique sub nomine descripto communicata; in Scania ad Esperöd & in Ostrogothia ad Wadstena 4 Aug.—5 Sept. a me quoque lecta.

♂♀. Similis priori, a qua magnitudine plerumque nonnihil majore, oculis maris magis cohærentibus per orbitas tenues argenteas tantum angustissime disjunctis, antennis nonnihil longioribus plerumque totis nigris, colore corporis cinereo in flavidum levissime sæpe vergente, abdomine interdum cano, maculis

ejusdem nigris tantum 4 (in segmento 1 nempe nullis), nervo transv. ordinario plus minus flexo, nec exacte recto, squamis minus albis, seu sæpe albo-flavidis, femoribus posterioribus tibiisque omnibus flavis, nec fusco-ferrugineis, dignoscitur. Alæ præterea longiusculæ, haud latæ, spinula costæ minuta, & reliqua ut in præcedente. Palpi filiformes, pilosi, nigri. Thoracis lineæ sæpe brunneæ. *Femina:* oculis per orbitas cinereas & vittam frontalem latam didymam nigram modice distantibus. — Variat ♂ femoribus anticis brunneis l. fusco-ferrugineis.

37. *A. fratercula:* fronte haud prominente cinerascens; antennis cum seta pubescente, thoracis vittis 4, abdominis punctis 6, femoribus tarsisque, nigris; tibiis ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto, spinula costæ minuta; squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis late distantibus, femoribus posticis rufis. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia rarissime; ad Esperöd Scaniæ semel inveni; in Ölandia ad Gärdslösa 25 Jun. 2 specimina capta; in Jemtlandia verno tempore in copula a D. *Boheman* deprehensa.

♂♀. Priori similis, sed differt: capite cinereo, minus argenteo-micante, ut & in ♂ pedibus nigricantibus, geniculis posterioribus indeterminate, tibiisque omnibus, ferrugineis. Maculæ abdominis 6, distinctæ, trigonæ, nigræ; in segmento 1:mo 2 minores, oblongæ, quæ in specie præcedente tantum rudimentariæ. *Femina:* oculis per orbitas cinereas & vittam frontalem latam nigram, didymam, late disjunctis; femoribus anticis apice late, posterioribusque totis, rufo-flavis.

38. *A. binotata:* fronte subprominente griseo-cinerascens, capite albido; antennis cum seta pubescente, thoracis lineis binis, abdominis (maris) punctis 2, femoribus anticis vitta superna, tarsisque omnibus, nigris; pedi-

bus luteis; alis basi squamisque flavescentibus, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto; *mas:* oculis subcohærentibus; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine immaculato. ♂♀. (Long. 2½ lin.).

*Anthom. impuncta* var. b. Zett. Ins. Lapp. 691. 133. ♂♀.

Hab. in Suecia boreali alpestri, minus frequens; in copula; scilicet in Jemtlandia boreali passim; in alpibus Dalecarlicis & Lulensibus a D. Prof. *Boheman* lecta; in Norwegia ad Alstahaug, Tromsö, Bossekop &c., haud rara. In Suecia meridionali ♀ etiam semel capta.

♂♀. Per femora lutea, antica superne vitta lata elongata nigra ornata, frontem paullo prominulam, abdomen maris maculis tantum 2 in segmento 2:do feminæque immaculatum, alas basi squamasque flavescentes, ut & oculos maris non intime connexos, orbitis albis (sed nulla linea frontali nigra) anguste disjunctos, a prioribus & præcipue ab *A. pertusa* (36), dignoscitur. Caput album, nitens. Antennæ elongatæ, atræ. Palpi nigri. Thoracis lineæ 2 mediæ tenues fuscæ, laterales vittæformes, obsoletæ. Abdomen in ♂ conicum, pilosum, griseum, maculis fuscis in segmento 2:do 2 majoribus, in 1:mo etiam 2 minoribus, approximatis, obsoletis; in ♀ ovatum, acutum, immaculatum. Alarum nervi ut in *A. pertusa* directi. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ & halteres, flava. Pedes setosi. — Secundum observationem Professoris *Wahlberg* specimina hujus speciei in lapidibus ad fluvium Kama & Randijaur prope Quickjock Lapponiæ Lulensis versus finem mensis Junii & initium Julii haud rara erunt. — Variat ♀ abdomine flavescenti cinerea; & femoribus anticis aut totis ferrugineis aut basi nigris.

39. *A. sororia:* fronte subprominente griseo-cinerascens, antennis, thoracis lineis 2, abdominis punctis to-

tidem, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto; squamis albidis; *femina:* oculis late remotis. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia forte rarissime; mihi non obvia, e Gusum in uno specimine missa a D. *Wahlberg*, qui eandem in Lapponia Lulensi ad Quickjock etiam invenit.

♀. Similis priori, sed vix ejus femina, nam alis basi concoloribus, nec flavescentibus, squamis albis, femoribus obscure lutescentibus ut & anticis fere totis nigricantibus, differt. Caput læte cinereum, nitens, certo situ macula in epistomate utrinque inter antennarum basin & oculos parva subquadrata fusco-micante. Abdomen ovatum, convexum, acutum, flavido-cinereum, punctis 2 rotundis, brunneis in segmento 2:do. Nervus transv. ordinarius subperpendicularis, subrectus, distincte infuscatus. Costa breviter subciliata; spinula adest. Femora antica nigricantia, apice præsertim subtus ferruginea; intermedia basi etiam obscura. Reliqua ut in femina *Anth. pertusæ* n:o 36.

40. *A. consors:* fronte paullo prominente cinerascens, capite cano; antennis, thoracis lineis 2, abdominis punctis 4, femoribus anticis basi, tarsisque omnibus, nigris; alis cinereis, nervis transversis rectis, infuscatis, costæ spinula mediocri, squamis albis; *femina:* oculis modice late distantibus. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania valde rara; ad Esperöd tantum 2 individua inveni.

♀. A priore, cui de cetero similis, differt: fronte forte nonnihil magis prominula, abdomine magis cinereo, punctis rotundis brunneis 4 (nec 2) in segmentis 2 & 3, alarum spinula costali distinctiori, ut & femoribus anticis vix ultra medium obscuris, intermediis totis ferrugineis.

41. *A. protuberans:* fronte distincte prominente canescens; antennis, thoracis lineolis 2 tenuibus, abdominis punctis 4, pedibusque, nigris; tibiis ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto, spinula costali distincta, squamis albis; *mas:* oculis subremotis; *femina:* fronte latissima, cana. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

*Anth. consimilis* Zett. Ins. Lapp. 690. 129. ♀. (exclus. synon. omnibus).

Hab. in Scandinavia boreali alpestri, 28 Jun. 13 Aug., rarius; scilicet in Lapponia Lulensi ad fluvium Kama prope Quickjock uterque sexus in lapidibus, D. *Boheman*; inter Alten & Kautokeino Finmarkiæ occidentalis ♀, ipse. (E Glogavia a D. *Zeller* quoque communicata).

♀. Oblonga, subcylindrica, læte cinerea. Caput cinereo-album, nitens. Oculi non magni, per orbitas latas, canas, & vittam frontalem latam, cineream, opacam, latissime remoti. Series setarum frontalium utrinque simplex. Antennæ mediocres, nigræ, seta distincte pubescente, non vero plumata. Facies prominens, & epistoma infra oculos descendens, apice non reflexum. Palpi subfiliformes, nigri, pilosi. Thorax setosus, lineolis 2 approximatis, tenuissimis, antice perspicuis, postice evanescentibus plerumque cum 2 aliis tenuibus ferrugineis obsoletis alternantibus l. in illas abientibus. Scutellum immaculatum. Abdomen acutum, maculis 4 rotundatis, brunneis in segmentis 2 & 3. Alæ albido-cinereæ. Nervi longit. 3 & 4 versus apicem leviter divergentes, transversus ordin. levissime curvatus, aperte ante medium areæ insertus. Costa brevissime nigro-ciliata; spinula gemina, distincta. Squamæ mediocres, albæ & halteres ut in priori. Pedes nigri, setosi, geniculis summis & tibiis rufo-ferrugineis. — *Obs.* In specimine Lulensi color canus in flavidum supra migrat.

♂. Simillimus feminæ, sed fronte triplo angustiore. abdomine

subconico, ano obtuso, inflexo, stylis 2 nigris pilosis in segmento ventrali penultimo suffulto, ut & pulvillis majoribus, albis, diversus. Oculi per orbitas albas & vittam frontalem canam paullo distantes, non vero tam longe remoti ac in *Coenosiis* genuinis.

42. *A. lineatipes:* fronte non prominente canescens, antennis cum seta tenuiter puberula, femoribus anticis totis, posterioribusque superne vitta brevi, tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; thoracis lineis 3, abdominisque punctis 4, brunneis; alis hyalinis, nervis transversis rectis, non infuscatis, costa nuda; squamis albis; *femina:* oculis modice distantibus. ♀. (Long. circiter 2 lin.).

Hab. in Suecia boreali & Norwegia media, rarissime; ad Åreskutan Jemtlandiæ, atque ad Alstahaug & Levanger in paroec. Skogn d. 8 Jul. 1 Aug. 1840. inveni. — In Smolandia ad Skärsjö semel quoque inventa.

♀. Similis & affinis *Anth. consimili* (35); sed fronte paullo minus lata, thoracis lineis 3, alarum nervis transversis non infuscatis, pictura pedum &c., differt. Oblonga, læte cinerea l. flavido-cinerea. Frons minime prominens. Oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem latiusculam nigram, postice cinereo-maculatam, modice remoti. Antennæ breviusculæ, non latæ, seta breviter puberula. Facies non prominens. Epistoma infra oculos non descendens. Palpi nigri, pilosi. Scutellum immaculatum. Abdomen lanceolato-subcylindricum, griseum, maculis rotundis, parvis, brunneis, obsoletis. Alæ basi subpallescentes. Nervi: longitud. 3 & 4 subparalleli; transversus ordinar. non longe ante medium areæ insertus. Costa nuda & spinula nulla. Squamæ albidæ, valvulis remotis, superiori nempe elevata &, ni fallor, quam inferiore paullo minore. Halteres albi. Pedes flavo-ferruginei, femoribus anticis fere ad apicem, intermediis vitta superna media, angusta, utrinque abbreviata, & posticis vitta superna a medio ad apicem, tarsisque omnibus, nigris.

43. *A. apicalis:* fronte haud prominente cinerascens, antennis cum seta tenuissime puberula, pedibusque nigris; femorum basi tibiisque ferrugineis; thoracis lineis 2, abdominisque punctis 6, brunneis; alis cinereis, nervis transversis rectis, non infuscatis, costa nuda, squamis albis; *femina:* oculis modice distantibus. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali & alpestri minus frequens, 15 Jul.—2 Aug. mihi obvia; nempe ad Skalstugan & radicem alpium Mullfjellen; in Lappon. Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg*; in Dalecarliæ alpibus etiam a D. *Boheman* lecta; in Norwegia ad Suul rarissime.

♀. A præcedente, cui de cetero similis, dignoscitur: thorace subbilineato, abdominis punctis 6, majoribus, ut & pedum pictura. Antennarum seta brevissime puberula. Thoracis lineæ brunneæ 2 perspicuæ, 3:tia s. intermedia parum observanda. Abdominis puncta 6, majuscula, rotundata, brunnea, in segmentis 1, 2 & 3. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; transversus ordinarius perspicue ante medium areæ insertus, perpendicularis, rectus. Costa subnuda 1. brevissime subciliata. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem vix 1. non omnino tegente. Pedes nigri, trochanteribus omnibus, femorumque posteriorum basi plus minus late, ferrugineis. Femora posteriora interdum ferruginea a medio ad apicem determinate nigra. — Opinante D. *Wahlberg* hæc est femina *Anth. 8-punctatæ* n:o 110.

44. *A. cineraria:* fronte haud prominente cinerascens, antennis cum seta pubescente, thoracis lineis 2, abdominis punctis 6, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis rectis, infuscatis, spinula costali gemina, squamis albis; *femina:* oculis modice distantibus. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Norwegia media rarissime; ad Oestre Næs Wærdaliæ 8 Jul. 1840 inveni.

♀. Simillima *Anth. sororiæ* (39) & *apicali* (43), sed ab illa magnitudine minore, fronte non prominente, abdominis maculis 6 (nec tantum 2), alarum costa distinctiori, ut & fronte modice lata, & ab hac antennis paullo longioribus, seta perspicuius pubescente, nervis transversis infuscatis, spinula costali præsente, ut & femoribus posterioribus ferrugineis, intermediis tantum basi leviter nigricantibus, differt.

**45.** *A. obscuripes:* fronte leviter prominente cinerascens, antennis cum seta pubescente, thoracis lineis 2, abdominis punctis 4, pedibusque, nigris, tibiis obscure testaceis; alis cinereis, nervis transversis rectis, infuscatis, spinula costali distincta, squamis albidis; *femina:* oculis modice remotis. ♀. (Long. 2¼ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; in cacumine alpis Åreskutan in regione nivali specimen descriptum 2 Aug. 1840 deprehendi.

♀. Similis *Anth. consorti* (40), sed differt: thorace obscuriore, femoribus nigris, & tibiis fusco-ferrugineis. Antennæ longiusculæ, seta elongata, basi distincte pubescente. Palpi nigri. Thoracis lineæ laterales vix ullæ. Abdominis puncta 4, rotunda, brunnea, obsoleta, in segmentis 2 & 3. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem subdivergentes; transversi distincte fuscedine cincti, reliqui pallescentes. Costa vix ciliata, sed spinula gemina adest. Alæ præterea latiusculæ. Squamæ mediocres, albidæ, parum ciliatæ, valvula superiore inferiorem minime tegente. Halteres sordide albidi. Pedes nigri, setulosi, tibiis fusco-testaceis, anticis præsertim obscuris. Femora subbreviuscula.

**46.** *A. pallipalpis:* fronte haud prominente cinerascens, antennis, abdominis punctis 6, pedibusque, nigris, antennarum basi tibiisque ferrugineis; palpis albidis; alis

cinereis, nervis transversis rectis, infuscatis, costa nuda, squamis albis; *femina:* oculis late distantibus. ♀. (♂). (Long. 1½ lin.).

Hab. in Scandinavia præsertim boreali, Jun. Jul., Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd semel lecta; in Smolandia atque Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; ad urbem Luleå verno-tempore, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Åreskutan 3 specimina inveni; in Lapponia Lulensi ad Jockmock, D. *Andersson*; in Norwegia alpestri ad diversorium Suul Wærdaliæ rarissime, D. *Dahlbom.*

♀. Similis *Anth. troglodytes* (33), & *vernæ* (100), sed a priore antennarum seta brevius & tenuius puberula, alarum nervis transv. infuscatis &c., & a posteriore magnitudine majore &c., dignoscitur. Valde quoque affinis *Anth. almæ* infra n:o 140, an ejus ♀? — Oblongo-ovata, undique setosa, obscure cinerea. Oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem latam nigram postice cinereo-maculatam, sat late remoti. Antennæ breviusculæ, subangustatæ, nigro-cinereæ, basi rufescentes. Epistoma infra oculos non descendens, canum. Palpi parvi, subclavati, albidi, nigro-pilosi; vix tamen *Lispæ* generis. Thorax lineis 2 remotis, brunneis, interdum parum perspicuis. Abdomen ovatum, subdepressum, cinereum, punctis s. maculis 6 rotundis, atris, nempe 2 & 2 in singulo segmentorum 2, 3 & 4. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transversus ordinarius rectus paullo ante medium areæ insertus, fuscedine perspicue cinctus. Costa subnuda. Spinula vix ulla. Squamæ mediocres, albidæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres albi. Pedes nigri, tibiis ferrugineis, tarsis fuscis.

Var. b. ♀. simillima var. a., cum qua habitat, & differt tantum abdominis segmentorum margine apicali anguste albescente. Hæc varietas *Anth. almæ* infra n:o 140, propius accedit, sed colore corporis cinereo, nec cano, ut & abdomine toto opaco, nec basi albo-subpellucido, differre videtur.

*Obs.* *Mas Anth. pallipalpis,* mihi plane ignotus, in Lapponia Lulensi cum femina descripta inventus fuerit, teste D. *Wahlberg* in litteris.

b. Abdomen punctis nigris nullis.

47. *A. Sundewalli:* fronte leviter prominente flavido-cinerascens, antennis cum seta tenuiter pubescente, thoracis vittis 4, abdominisque unica dorsali, pedibusque, nigris; tibiis obscure testaceis; alis cinereis, basi squamisque flavescentibus, nervis transversis rectis, haud infuscatis, costa subciliata, spinula gemina præsente; *mas:* oculis appropinquantibus; *femina:* oculis modice remotis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia boreali, 10 Jul—4 Aug., minus frequens; in copula visa; scilicet in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan; in alpibus Dalecarlicis, D. Prof. *Boheman,* & in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg.* (E Silesia specimen masculum etiam communicavit D. *Zeller*).

♂♀. Valde similis & affinis *Anth. conicæ* (18); sed antennarum seta breviter puberula, minime plumata, alarum nervis: longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subdivergentibus, transverso ordinario subperpendiculari, recto, nec subobliquo & flexo, paullo longius ante medium areæ inserto, costæ ciliis & spinula nonnihil evidentioribus, ut & oculis maris paullo magis remotis, differt. Caput subflavidum, palpis nigris. Abdomen oblongum, vitta l. linea dorsali nigra in segmentis 1, 2, & obsolete in 3:tio, continuata. Pedes nigri, geniculis & tibiis testaceis. ♂: abdomen apice obtusum, ano rotundato, inflexo; ♀: abdomen apice acutum.

48. *A. socia:* fronte haud prominente cinerascens, capite albicante, antennis validis cum seta tenuissime pu-

berula, thoracis vittis, abdominis linea dorsali pedibusque nigris; tibiis testaceis; alis cinereis, basi subflavidis, nervo transverso ordinario subflexo, costa nuda, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus, abdomine sublineari, depresso; *femina:* oculis modice remotis, abdomine ovato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 201. 208. ♀. *Musca* Fall. Muscid. 82. 104. ♀. typica.

Hab. in foliis fruticum per hortos & prata Sueciæ, 15 Jul.—Aug.—15 Sept., passim; in fenestris etiam rarius deprehensa; nempe in Scania ad Lund &c. parce; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena frequenter, ipse. (In Finlandia, D. *Sahlberg).*

♂♀. Caput argenteo-micans, antennis sat validis palpisque nigris. Oculi rufescentes. Thoracis vittæ 4 nigræ vix nisi antice conspiciendæ. Abdominis vitta dorsalis nigra, subinterrupta. Alæ non latæ. Nervi præsertim basi pallescentes. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli; transversus ordin. paullo flexus, ante medium areæ insertus. Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ ut in *Anth. pallipalpi* (46). Halteres flavi. ♂: oculi in medio frontis cohærentes, per orbitas tenuissimas albas confluentes parum distantes. ♀: oculi per orbitas albas & vittam frontalem latam nigram modice distantes.

Var. b. ♀. Simillima var. a., & vitta frontali supra antennas lutescente tantum diversa. In Ostrogothia ad Wadstena d. 5 Aug. cum var. a. rarissime visa.

49. *A. grandæva:* fronte prominente grisescens, antennis cum seta pubescente, thoracis vittis 4, femorum anticorum basi, tarsisque omnibus, nigris; pedibus fusco-ferrugineis; alis basi squamisque flavescentibus, nervo

transverso ordinario recto, infuscato, costa nuda; *femina:* oculis modice distantibus. ♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in Dalecarlia, D. *Boheman*, qui eam in uno specimine pro descriptione mutuo communicavit; a me numquam lecta.

♀. Inter majores. Similis *Anth. Angelicæ* (8), sed antennarum seta distincte pubescente, non vero plumata, fronte magis prominente &c., diversa. Oblongo-ovata, obscure cinerascens. Frons modice prominens. Oculi per orbitas cinereas & vittam frontalem latam, nigram mediocriter remoti. Punctum supra antennas albidum. Antennæ longiusculæ, validæ, nigræ, apice rotundatæ. Epistoma declivum, argenteo-micans (infra antennarum basin juxta oculos utrinque certo situ macula nigra notatum), infra oculos descendens, apice reflexum. Palpi cylindrici, fusco-nigri, pilosi. Thoracis vittæ nigræ haud determinatæ. Abdomen ovatum, nigrum, subnitidum, leviter cinereo-micans, acutum. Alæ leviter subfumato-hyalinæ, basi flavescentes. Nervi: longit. 3 & 4 apice leviter divergentes; transversus ordin. subobliquus, rectiusculus, paullo ante medium areæ insertus, fuscedine cinctus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ mediocres, ciliatæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes setulosi, obscure ferruginei, femoribus anticis a basi ad medium nigricantibus. Tarsi omnes nigri.

50. *A. deserta:* fronte haud prominente obscure cinerascens, antennis cum seta pubescente, thoracis vittis 4, abdominis ovati linea dorsali tenui, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus obscure ferrugineis; alis subfumato-hyalinis, basi squamisque flavescentibus, nervo transverso ordinario recto, costa nuda; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; in ligno Abie-

tis recenter secato ad diversorium Forsa juxta radicem Mullfjellet d. 30 Jul. 1840 specimen descriptum inveni.

♂. Simillima priori, sed vix ejus mas, nam magnitudine paullo minore, fronte non prominula, antennis nonnihil angustioribus, epistomate perpendiculari, nec declivo, margine apicali non reflexo, palpis atris, alis paullo magis fumatis (unde fuscedo circa nervum transv. ordinar. minus perspicua), ut & femoribus anticis totis nigricantibus, satis superque differt. Oculi cohærentes, per orbitas tenuissimas albas parum disjuncti.

51. *A. denudata:* fronte parum prominente obscure cinerascens, capite argenteo; antennis cum seta tenuissime puberula, femoribus anticis totis, intermediis basi, tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; alis hyalinis, basi subpallescentibus, nervo transverso ordinario recto, squamis albis, costa nuda; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine oblongo. ♂. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarius; in Scania ad Esperöd 3 individua legi.

♂. Similis priori, a qua tamen corpore angustiore, seta antennarum multo brevius puberula, abdomine oblongo, convexo, cinereo, immaculato, alis magis hyalinis, ut & squamis albidioribus, abunde & vere dignoscitur. Frons leviter subprominens. Antennæ longiusculæ, angustatæ. Thoracis vittæ parum distinguendæ. Abdomen setosum. Styli 2 breves, obtusi, nigri, in segmento ventrali penultimo. Nervus transv. ord. interdum leviter infuscatus. Pedes ferrugineo-testacei, femoribus anticis fere ad apicem, intermediis fere ad medium, posticisque ima basi, nigris. Tarsi omnes atri. Pulvilli magni. Reliqua ut in præcedente.

52. *A. socculata:* fronte haud prominente cinerea, subcylindrica, capite argenteo, antennis cum seta tenuiter puberula, thoracis lineis 2, abdominis unica dorsali, pedi-

busque, nigris; tibiis flavis; alis flavido-hyalinis, nervo transv. ordinario recto, costa subciliata, spinula parva, squamis parvis, albis; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine subconico. ♂. (Long. fere $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem alp. Åreskutan a D. *Dahlbom* d. 24 Jun. 1840 semel deprehensa.

♂. Statura corporis subcylindrica a reliquis hujus subdivisionis discrepat. Læte cinerea, setosa. Caput ut in priore. Thorax antice lineis 2 nigris. Scutellum immaculatum. Abdomen conico-cylindricum, canum, linea dorsali subcontinua, nigra. Anus tuberculo sat magno, elongato, inflexo, nigro. Alæ subpallescentes, nervis ut in antecedente directis, costa brevissime subciliata & spinula parva. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem omnino tegente. Halteres albi. Pedes setosi. Coxæ & femora graciliora, nigra. Tibiæ flavæ. Tarsi atri. Pulvilli mediocres, albi.

53. *A. verticella:* fronte non prominente obscure cinerascens, capite cano, antennis cum seta nudiuscula, pedibusque, nigricantibus, tibiis tarsisque obscure ferrugineis; alis albido-hyalinis, nervis pallescentibus, transverso ordinario recto, costa subnuda, squamis parvis, albis; *femina:* oculis sat late remotis, macula supra antennas fulva, abdomine conico. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 691. 130. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi, ubi tantum unicum exemplar 1821 inveni.

♀. Parva, oblonga; an hujus aut *Coenosiarum* subdivisionis? Nigricans l. obscure cinerea. Caput albidum, peristomate rufescente. Oculi non magni, per orbitas cinereas & vittam frontalem nigram antice macula fulva, postice puncto ocellorum ci-

nereo notatam, sat late disjuncti. Antennæ mediocres & palpi, nigra. Abdomen subnitens. Alæ albido-pallescentes, nervis longit. 3 & 4 subparallelis, transverso ordinario recto, paullo ante medium areæ insertus. Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ minutæ, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi. Pedes fusco-ferruginei, femoribus nigricantibus. An junior, nuper exclusa?

Var. b. ♀. similis var. a., sed tarsi nigri, & peristomium non rufescens. *Anth. dealbata* Zett. Ins. Lapp. 695. 154. ♀. Ad Almsele Lapponiæ Umensis semel 24 Jul. 1832 inventa.

*Obs.* Specimen Scanicum, quod etiam in Ins. Lappon. l. c. refertur, ad aliam speciem seu ad *Anth. lunatifrontem* (84) pertinet. — Cum *Anth. niveipenni* (64), fronte prominente instructa, non confundi debet nostra *A. verticella*. Cfr. quoque *Anth. dealbata* infra n:o 118.

### III. Seta antennarum nuda. Oblongæ.

54. *A. frigida:* fronte leviter prominente cinerascens, capite argenteo, antennis, thoracis vittis 3, pedibus anticis tarsisque omnibus, nigris; femoribus tibiisque posterioribus ferrugineis; alis subhyalinis, basi flavescentibus, nervo transverso ordinario inflexo, costa subnuda, squamis parvis, albidis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. 3 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; scilicet in ligno Abietis recente ad Forsa prope Mullfjellet Jemtlandiæ d. 21 Jul. 1840 a D. *Dahlbom* capta; in jugo alpino Norwegiæ ad Kong Carl Johans Klev Wærdaliæ 11 Jul. ejusdem anni, ipse; in frutice Salicis ad templum Quickjock Lapponiæ Lulensis mense Julio 1843 in unico exemplo etiam a D. *Wahlberg* lecta.

♂. Simillima *Anth. strigosæ* (20), sed antennarum seta nuda mox dignota. Oculi magni cohærentes, linea tantum tenuissi-

ma, alba, ex orbitis orta, levissime disjuncti. Antennæ mediocres, nigræ. Epistoma infra oculos parum descendens, apice non reflexum. Palpi subfiliformes, nigri. Thoracis vittæ 3, latiusculæ, nigræ, indeterminatæ. Scutellum immaculatum. Abdomen oblongo-conicum, griseum l. cinereum, vitta dorsali certo situ perspicua obscura; segmentis omnibus margine apicali distincte setoso. Anus tuberculo inflexo. Nervi longit. 3 & 4 versus apicem leviter divergentes. Costa levissime ciliata; spinula parva. Squamæ proportione parvæ, longe ciliatæ, albidæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi, basi fusci. Pedes setosi; antici: breviusculi, toti nigri; posteriores longiusculi, ferruginei, tarsis atris. — Variat ♂ pedibus anticis flavis, coxis, femorum vitta superna tarsisque totis, nigris; in Dalecarliæ alpibus a D. *Boheman* inventus; vix diversus.

55. *A. rugulosa:* fronte prominente cinerea, capite argenteo, antennis validis, thoracis lineolis 2, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus ferrugineis; alis basi, squamisque parvis, subpallescentibus, nervo transverso ordinario recto; costa subciliata; *femina:* oculis modice distantibus, vitta frontali atra. ♀. (Long. 2¼ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad Skalstugan 16 Jul. unicum specimen legi.

♀. Similis priori, sed minor & differt: fronte magis prominente, antennis nonnihil latioribus, epistomate magis descendente, palpis magis clavatis, atris, thoracis lineolis 2 tenuibus nigris in medio approximatis, postice evanescentibus, interstitio in disco brunnescente, abdomine ovali, alis paullo latioribus, nervo transv. ord. recto, nec flexo, costa subciliata, ut & pedum anticorum femoribus apice tibiisque totis ferrugineis, nec pedibus anticis totis nigris. Oculi & abdomen in specimine mortuo (forte casu) rugulosa.

56. *A. fuscula:* fronte non prominente nigricans, capite albicante, thoracis humeris cinereis, abdomine ova-

li, griseo, linea dorsali interrupta, nigra; alis basi, squamisque parvis, subpallescentibus, nervo transverso ordinar. recto, costa nuda; tibiis obscure ferrugineis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 174. 158. ♂♀. & Ejusdem 7. 327. 63. *Musca* Fall. Muscid. 86. 113. ♂. typica.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; duo tantum specimina vidi unum a Cel. *Fallén*, alterum a me, utrumque in silva ad villam Esperöd in paroec Mellby Scaniæ, capta.

♂. Frons & facies convexæ. Oculi magni per orbitas tenuissimas albas & lineam frontalem tenuem nigram anguste disjuncti. Antennæ breviusculæ, angustatæ, & palpi, nigra. Thorax niger, subnitens, vitta humerali cinerea. Abdomen ellipticum, subdepressum. Ani tuberculum haud inflexum. Alæ subhyalinæ, basi pallescentes. Nervi longit. 3 & 4 paralleli. Spinula costæ nulla. Squamæ parvæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, setulosi, nigri, tibiis fusco-testaceis. Pulvilli mediocres.

♀: "fronte alba, vitta lata nigra (in speciminibus nuper exclusis fulvescente). Thorax parum nigricans seu griseus, nigro-lineatus. Abdomen ovatum, plano-convexum", a D. Meig. l. c. describitur a me non rite cognita.

57. *A. atricolor:* fronte haud prominente atra, nitida, capite argenteo-micante; genubus tibiisque ferrugineis; alis leviter fumatis, nervo transverso ordinario recto, subinfuscato, costa nuda; squamis mediocribus, albidis; *mas:* oblongus, oculis cohærentibus. ♂. (Long. fere $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 201. 207. ♂. *Musca* Fall. Muscid. 82. 103. ♂. typica.

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel deprehensa.

♂. Per colorem totius corporis nigrum, nitidum, a ceteris affinibus mox dignota. Oculi magni, cohærentes, per orbitas albidas tenuissimas, tantum in medio frontis angustissime disjuncti; in viva rufi. Antennæ longiusculæ, angustatæ, nigro-fuscæ. Epistoma perpendiculare, infra oculos parum descendens, nec apice reflexum. Palpi cylindrici, nigro-fusci, pilosi. Abdomen ovale, subconvexum, segmentorum margine apicali setulosum. Anus parvus, inflexus. Styli 2 breves, obtusi in segmento ventrali penultimo. Alæ subangustatæ, hyalinæ, leviter fumatæ, ima basi pallescentes. Nervi: longitudinales 3 (in summo apice subdeclinatim flexus excurrens) & 4 subparalleli l. parum versus apicem divergentes; transversi recti, leviter infuscati, horum ordinarius obliquus, paullo ante medium areæ insertus. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ albidæ, parum ciliatæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, setosi, nigro-picei, femoribus præsertim posterioribus apice sat late tibiisque omnibus rufo-testaceis. Tarsi atri. Pulvilli longiusculi, albi.

58. *A. depressiventris:* fronte haud prominente atra, opaca; abdomine cinereo, linea dorsali interrupta, incisurisque, femoribus anticis superne, tarsisque omnibus, nigris; alis squamisque fuscanis, nervo transverso ordinario recto, costa nuda; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine sublineari, depresso. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Laponia Lulensi ad Quickjock, ubi æstate 1843 a D. *Boheman* detecta, mihique in uno specimine pro descriptione communicata.

♂. Oculi magni, sat arcte cohærentes, linea tantum frontali omnium tenuissima supra antennas dilatata, nigra, angustissime sejuncti. Frons vix prominens, nigra. Antennæ mediocres, nigræ. Epistoma perpendiculare, griseum, apice non reflexum.

Palpi filiformes, nigricantes. Thorax ater, opacus, antice certo situ rudimento linearum fuscarum. Abdomen lineare, depressum, pilosum, cinereum, linea dorsali interrupta, atra, segmentis basi late fuscis. Anus inflexus, corniculis 2 nigris in segmento ventrali penultimo. Alæ non latæ, totæ fuscanæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 parallelæ; transversus ordinarius subperpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Costa mutica; spinula nulla. Squamæ parvæ, fuscanæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres flavi, clava sat magna, rotundata. Pedes mediocres, pilosi, nec setosi, rufo-ferruginei, femoribus anticis superne, coxisque omnibus, nigro-fuscis. Tarsi atri. Pulvilli mediocres, albidi.

59. *A. atritarsis:* fronte subprominente cinerea, capite argenteo-micante; antennis, femoribus tarsisque nigris; thoracis lineolis 2, abdominisque unica dorsali, fuscis, obsoletis; tibiis testaceis; alis basi, squamisque parvis, sordide flavidis, nervo transverso ordinario recto, costa nuda; *mas:* oculis approximatis, abdomine oblongo. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi, forte rarissima, a D. *Andersson* capta & missa.

♂. Similis *Anth. socculatæ* (52), & *rugulosæ* (55); sed a priore seta antennarum nuda, fronte paullo magis prominente, thoracis antico lineolis 2 approximatis tenuioribus, alis subfumatis, squamis sordide albidis, tuberculo anali cinereo, minore &c.; a posteriore antennis nonnihil brevioribus, femoribus omnibus nigro-cinereis &c.; & ab utraque magnitudine paullo minore, differt. Oculi per orbitas tenues albas & lineolam frontalem angustissimam nigram, anguste distantes. Antennæ breviusculæ, validæ. Palpi atri. Thorax ut in *Anth. rugulosa* pictus. Abdomen oblongo-subcylindricum, cinereum, linea dorsali fusca in segmentis 1, 2 & 3. Segmenta margine apicali setulosa. Alæ fla-

vido-cinereæ, basi leviter ferruginantes. Nervi long. 3 & 4 subparalleli. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ pallidæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres flavi. Pedes mediocres, nigricantes, genubus anguste tibiisque totis ferrugineis. Tarsi atri. Pulvilli mediocres, albidi.

60. *A. tergina:* fronte haud prominente cinerea, antennis breviusculis pedibusque nigris, tibiis obscure testaceis; thorace vittis 3 fuscis; alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, costa subnuda, squamis parvis, albis; *femina:* oculis late remotis. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania semel capta.

♀. Subovata, cinerea, opaca. Frons lata, grisea, lunula supra antennas rufescente. Epistoma latum, cinereum, nonnihil infra oculos descendens. Palpi nigri. Thorax vittis 3 brunneis, in disco subconfluentibus. Scutellum puncto basali brunneo, obsoleto. Abdomen oblongo-ovatum, glauco-cinereum, apice acutum. Nervi: long. 3 & 4 subparalleli, transversus ordinarius perpendicularis, rectus, nonnihil ante medium areæ insertus. Spinula costalis minuta. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres flavi. Pedes nigricantes, setosi, tibiis testaceis.

61. *A. dorsalis:* fronte prominente cinerea, antennis breviusculis pedibusque nigris, tibiis testaceis; thoracis disco fusco, alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto, costa subnuda, squamis parvis, albis; *femina:* oculis late remotis. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Scania ad Esperöd, ubi unicum exemplum inveni.

♀. Simillima priori, nec ab ea differt nisi fronte magis prominente, thoracis disco dorsali fere toto læte brunneo, brunnedine nempe vix in lineas digesta, ut & nervo transv. ordinario fere

in medio areæ inserta. Oculi parvi, rotundi. Frons tota grisea, opaca. Epistoma infra oculos descendens, antice breve, apice leviter reflexum. Palpi nigro-fusci. Antennæ breviusculæ, sed validæ. Nervi long. 3 & 4 paralleli. Costa inermis. De cetero ut in præcedente.

62. *A. hæmorrhoum:* fronte prominente obscure cinerascens, capite rufescente, antennarum articulo ultimo, femoribus anticis tarsisque omnibus nigris; alis basi, pedibus abdominisque segmento ultimo flavis; nervo transverso ordinario recto; costa subciliata; squamis parvis; *femina:* oculis modice remotis ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 692. 138. ♀.

Hab. in graminosis, plerumque locis uliginosis, per Scandinaviam 22 Maj.—25 Aug. minus frequens; scilicet in Scania, ad Abusa prope Lund passim, ad Esperöd parce; in Jemtlandia ad Faxelfven usque ad Åreskutan & Skalstugan frequens; ad Storsand Bottniæ borealis in paroecia ÖfverLuleå; in Lapponia Umensi a D. *Dahlbom* rarissime 1832 capta, & in collectione Illustr. *Fåhræi* conservata; in Salice lapponum in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia, D. *Boheman*; in Dania 23 Maj. 1841, D. *Staeger.*

♀. Per capitis & ani colorem mox dignota. Affinis *Anth. conformi* (77). Ovata, obscure cinerea, opaca, setosa. Caput flavo-rufescens. Oculi per orbitas albicantes & vittam frontalem latam fulvam, puncto ocellorum cinereo notatam, sat late sejuncti. Epistoma infra oculos paullo descendens, apice leviter reflexum. Antennæ validiusculæ, nigræ, basi sæpissime rufescentes, seta basi incrassata. Palpi parvi, subfiliformes, fusci, apice sæpe nigri. Thorax subimmaculatus. Abdomen ovatum, acutiusculum, cinereum, segmento ultimo testaceo. Alæ cinereæ, basi pallescentes. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem

levissime divergentes; transversus ordinarius perpendicularis, rectus, nonnihil ante medium areæ insertus. Costa subciliata, spinula mediocri. Squamæ minutæ, ciliatæ, sordide albidæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres flavi. Pedes mediocres, flavi, femoribus anticis fuscis. Tarsi omnes atri. — Seta antennarum microscopice tantum puberula.

Var. b. ♀. juvenilis, abdomine toto ferrugineo, incisuris obscuris; ad Skalstugan rarissime.

63. *A. palliceps:* fronte subprominente obscure cinerascens, capite rufescente, antennis totis, femoribus anticis tarsisque omnibus nigris; pedibus flavis; alis cinereis, nervo transverso ordinario recto; costa subciliata; squamis parvis; *femina:* oculis modice remotis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia rarissime; ad alpem Mullfjellet 27 Jul. 1840 semel inventa.

♀. Simillima priori, sed magnitudine paullo minore, fronte nonnihil minus prominente, oculis modice remotis, vitta frontali fulva postice (prope orbitas) nigra, antennis totis nigris, alis cinereis, basi pallescentibus, abdomine toto cinereo, ut & pedibus anticis nigrioribus, tibiis tantum obscure testaceis, differt. Reliqua ut in præcedente. Cum *Anth. conformi* (77) non confundenda.

64. *A. niveipennis:* fronte prominente canescens, antennis, abdomine ovato nitido, pedibusque nigris; vitta frontali tibiisque ferrugineis; alis albis, nervo transverso ordinar. recto; costa subciliata; squamis parvis, albis; *femina:* oculis modice remotis, macula frontali fulva. ♀. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd specimen descriptum legi.

♀. Ovata, cana, opaca. Oculi parvi, per orbitas latas cinereas & vittam frontalem angustatam antice luteam, sat late disjuncti. Antennæ mediocres l. breviusculæ, seta nigra, medio alba, basi incrassata. Epistoma subdeclivum. Palpi subfiliformes, nigri, pilosi. Abdomen nigrum, nitidum, breviter pilosulum. Alæ albidæ. Nervi: longit., 3 & 4 paralleli; transversus ordinarius & costa omnino ut in *Anth. hæmorrhoum* (62). Squamæ etiam ut in illa, sed totæ albæ. Halteres flavi. Pedes nigri, setosi, geniculis posterioribus tibiisque omnibus testaceis. Tibiæ posticæ apice obscuræ.

B. Femora omnia & tota flava l. ferruginea. Tarsi nigri.

a. Seta antennarum plumata.

*). Squamæ sub alis majusculæ: valvula superiore inferiorem non tegente.

†. Oculi saltem in ♂ hirti; in ♀ plerumque nudi. *Aricia* Meig.

65. *A. erratica:* cinerea, antennarum articulo ultimo, thoracis vittis 4, abdominisque maculis micantibus, nigro-fuscis; antennis basi scutelloque rufescentibus; alis hyalinis, nervo transverso ordinario inflexo, infuscato; *mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis late remotis. ♂♀. (Long. 3½—4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 111. 49. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 77. 92. ♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 287. 7. ♂♀. T. 17. f. 1. — Meig. Dipt. 7. 314. 16.

Hab. in foliis fruticum & truncis arborum viventium, per hortos & prata Scandinaviæ meridionalis & mediæ, 10 Jul.—24 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund,

Abusa, Tranås, Esperöd, Beckaskog &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Gottlandia in Fårön parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania D. D. *Staeger* & *Dahlbom*. (E S:t Sever Galliæ a Nobiliss. D. *Leon Dufour* 1841 communicata).

♂♀. Magna, ovata, griseo-cinerea, opaca, fortiter setosa. Caput canum. Frons parum prominens. Antennæ longiusculæ, proportione angustatæ, nigræ, articulis 1 & 2 totis. & 3 basi, plerumque rufis; apice rotundatæ; seta longe plumata. Epistoma subperpendiculare, infra oculos descendens, apice leviter reflexum; rufescenti albidum, in medio (sub antennis) obscurum. Palpi cylindrici, nigri, pilosi. Proboscis pilosa. Thoracis lineæ 4 nigræ. Scutellum testaceo-rufescens. Abdomen late ovatum, cinereum, maculis irregularibus, fuscis l. olivaceis micantibus marmoratum; sat valide setosum. Alæ basi leviter flavido-fuscanæ. Nervi: longitud. 3 & 4 leviter curvati, nec exacte recti, versus apicem nonnihil divergentes, ita tamen ut 3:tius paullo ante summum apicem excurrat, & 4:tus pone apicem alæ excurrens levissime versus 3:tium remotum flectatur; transversus ordinarius obliquus, distincte inflexus, paullo pone medium areæ insertus. Costa (excepta basi ciliata) omnino nuda; spinula nulla. Squamæ magnæ, latæ, ciliatæ, albidæ, leviter fuscanæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Halteres albidi. Pedes mediocres, toti cum coxis ferruginei, tarsis atris. *Mas:* oculi magni, distincte hirti, rufo-ferruginei, cohærentes, orbitis tantum tenuissimis albidis angustissime sejuncti. Pulvilli elongati, albidi. *Femina:* oculi subnudi per orbitas mediocres cinereas & vittam frontalem latam obscuram, late distantes. Pulvilli minores.

66. *A. 4-notata:* cinerea, antennarum articulo ultimo, thoracis lineis 4, abdominisque maculis totidem subtrigonis obsoletis, nigro-fuscis; antennis basi rufescentibus; alis hyalinis, nervo transverso ordinario inflexo, in-

fuscato; *mas:* oculis subcohærentibus; *femina:* oculis late remotis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 113. 53? ♂. — *Aricia* Macq. Buff. 2. 289. 13.? ♂. — Meig. Dipt. 7. 314. 20?

Hab. in Scandinavia meridionali & media, 2 Jul.—10 Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad Abusa, Grönby, Tranås, Esperöd &c., sat vulgaris; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Wadstena & Lärketorp, non parce; in Gottlandia in Furillen, raro; e Dania in utroque sexu sub nomine allato etiam a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Priori simillima, sed magnitudine duplo minore, fronte paullo magis prominente, antennarum articulo ultimo toto nigro, scutello cinereo, nec rufescente, abdominis maculis in segmentis 2 & 3 quatuor fuscis subtrigonis (interdum obsoletis), nec maculis irregularibus, ut & oculis in ♂ minus arcte cohærentibus, satis & vere distincta. Alarum nervi longitud. 3 & 4 versus apicem magis etiam divergentes. Costa breviter subciliata; spinula parva. Squamæ albidæ. Femora antica extus in ♂ sæpe vitta tenui, abbreviata, nigra. Abdomen feminæ maculis 4 & linea dorsali media sæpe valde obsoletis, fuscis. Reliqua ut in præcedente. Similis etiam *Anth. signatæ* (2); sed *A. signata* abdominis pictura, scutelli apice rufo, femoribus anticis basi nigricantibus, ut & oculis maris magis cohærentibus, ab *A. 4-notata* differt.

*Obs.* Synonyma *Meigeni* & *Macquarti* dubia sunt, quia antennas totas "nigras" describunt. De colore pedum *Anth. signatæ* præterea silent hi auctores, unde etiam dubium oritur.

67. *A. basalis:* cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominisque unica dorsali, nigris; alis hyalinis, basi squamisque flavescentibus, nervo transverso ordinario inflexo, leviter infuscato; *mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis modice distantibus. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 691. 131. ♂♀. — (Sub Fallenianis *Musca vagante*, & *M. Angelicæ* var. *β. rustica*, hæc species etiam latet).

Hab. in foliis fruticum &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, Jul. Aug., sat vulgaris; scilicet in Scania frequens; in Blekingia, Smolandia & Ostrogothia, passim; in Dovre Norwegiæ, D. *Boheman*; e Dania sub nomine: "*A. basalis* Zett. ♂♀. *Aricia vagans* Meig. ♂." uterque sexus a D. *Staeger* communicatus.

♂♀. Ab *Anth. vagante* (3), cui valde affinis, per magnitudinem paullo minorem, femora omnia rufa, ut & oculos maris arctius cohærentes, dignoscitur. A priore, cui etiam similis, antennis totis nigris, abdomine tantum linea dorsali fusca, nec rudimento macularum nigrarum, alis basi squamisque magis flavidis, ut & oculis in ♂ magis cohærentibus, & in ♀ modice tantum remotis, differt. Flavescenti cinerea. Caput obscure cinereum. Antennæ, palpi tarsique, atra. Frons parum prominens. Epistoma apice reflexum. Antennarum seta longe plumosa. Abdomen ovatum. Alarum nervi ut in priore directi, fuscedine parum cincti. Pedes ferruginei. *Mas:* oculi distincte hirti. *Femina:* oculi brevissime & tenuissime puberuli, per orbitas mediocres, cinereas, & vittam frontalem latam, nigram, modice sejuncti.

††. Oculi in utroque sexu nudi.

*α*). Scutellum flavum.

68. *A. pagana:* flavescenti cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominis unica dorsali, tarsisque, nigris; scutello, alarum basi, squamis pedibusque flavis; nervo transverso ordinario parum flexo, haud infuscato. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 116. 58. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 691. 132. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 288. 23. Fall. Muscid. 79. 95. ♂♀.

*Aricia* Macq. Buff. 2. 290. 21. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 60.

Hab. in floribus Umbellatarum, foliis fruticum &c., per Scandinaviam, 10 Jun.—16 Sept., vulgaris; scilicet per totam Scaniam, Blekingiam, Smolandiam, Ostro- & Westrogothiam, frequens; in Gottlandia ad Westö in Hall; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia boreali ad Undersåker & Åreskutan, passim; in Norwegia rarius, ex. gr. ad Thynæs prope Levanger, & ad Bossekop Finmarkiæ; in Dania frequens, D. D. *Lund*, *Staeger* & *Dahlbom*. (Ex Hamburgo a D. *von Winthem* communicata).

♂♀. *Anth. basali* (67) valde affinis & similis, sed scutello toto flavo-subpellucido & oculis in utroque sexu nudis, mox dignota. Caput albicans. Antennarum seta distincte plumata. Oculi ♂ arcte cohærentes, ♀ per orbitas cinereas & vittam frontalem latam nigram postice cinereo-maculatam, late distincti. Thoracis obscuri vittæ nigræ latæ. Abdominis linea dorsalis fusca posterius evanescens. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem perspicue divergentes. Transversus ordinarius plus minus flexus, interdum leviter infuscatus. Costa subnuda, spinula vix ulla. Pulvilli maris mediocres albi. — Variat femina vitta frontali fulva; forte juvenilis.

*Obs. Anth. humeralis:* cinerea, antennis, thoracis vittis 4, abdominis unica dorsali, tarsisque, nigris; macula humerali, scutello, alarum basi, squamis pedibusque flavis; nervo transverso ordin. parum flexo, haud infuscato; ♀. (long. $2\frac{3}{4}$ lin.); species, priori simillima, sed magnitudine nonnihil minore & callo humerali magno quadrato flavo, diversa, in uno specimine sine nomine a Prof. *Sahlberg* e Finlandia communicata, intra Scandinaviæ fines adhuc, quantum noverim, non inventa; sed e Neu Yorck mihi quoque missa.

*β*). Scutellum cinereum.

69. *A. impuncta:* flavescenti cinerea, antennis, thoracis lineis 4 obsoletis, tarsisque, nigris; antennarum basi, palpis pedibusque flavis; alis cinereis, basi squamisque sordide albidis, nervis transversis subrectis, subinfuscatis; *mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis late remotis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 118. 61. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 691. 133. var. a. ♂♀. — *Musca* Fall. Muscid. 79. 96. ♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 293. 31. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 63. ♂♀.

Hab. præsertim in floribus Umbellatarum, per Scandinaviæ hortos, prata & silvas, 3 Jul.—15 Sept., passim frequentissima; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, vulgaris; in Ölandia; ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Nähr, Öja &c.; in Lapponiis: Umensi ad Stensele & Åsele, Tornensi ad Muoniomska; in Norwegia ad Bossekop Finmarkiæ; in Dania, D. *Staeger.* (Ex Hamburgo a D. *Dahlbom;* & e Glogavia a D. *Zeller*, communicata. E S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missa).

♂♀. Similis *Anth.* 4-*notatæ* (66), sed thoracis lineis fuscis obsoletioribus, palpis pallidis, seta antennarum modice plumata, abdomine immaculato, ut & nervo transverso ordinario minus flexo, dignota. Frons parum prominens. Epistoma albicans, apice vix reflexum. Scutellum immaculatum. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes, transversus ordinarius sæpe paullulum flexus, plus minus infuscatus. Costa parum ciliata. Spinula parva. Oculi maris plus minus arcte cohærentes; feminæ late remoti, vitta frontali nigra postice macula trigona cinerea.

*Obs.* Feminam *Crabronis patellati*, feminam hujus speciei occisam secum ad nidum trahere pro sustinenda prole, vidit D. *Dahlbom*.

70. *A. demigrans:* cinerea, antennis fuscis, basi rufis; thoracis lineis 4 obsoletis, abdominis maculis totidem, tarsisque, nigris; palpis pedibusque flavis; alis cinereis, basi squamisque sordide albidis, nervis transversis rectis, infuscatis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

*Musca depuncta* var. *β.* ♂. Fall. Muscid. 80. 98.

Hab. in Scania ad Lund, Esperöd &c., passim.

♂. Priori ut ovum ovo similis, & non nisi antennis magis rufescentibus, interdum totis testaceis, ut & abdominis maculis 4 trigonis nigris, certo situ perspicuis, omnino ut in *Anth. 4-notata*, differt. Oculi cohærentes. Caput albicans. Antennæ longiusculæ, seta distincte plumata. Nervi transversi plus minus infuscati. Costa vix ciliata. Spinula nulla. Squamæ albæ. (Cfr. *Anth. punctiventris* n:o 87).

71. *A. modesta:* cinerea, antennis, palpis, thoracis lineis 4 obsoletis, abdominis maculis totidem, tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, nervo transverso ordinario subrecto, subinfuscato, squamis albidis; *mas:* oculis cohærentibus; *femina:* oculis modice distantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 119. 63. ♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 293. 32. ♂♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 82.

Hab. in foliis plantarum per Scandinaviam meridionalem mense Aug. rarissime; marem a D. *Staeger* e Dania, & feminam ad Lund Scaniæ a D. *Dahlbom* captam, obtinui.

♂♀. A præcedente, cui de cetero simillima, differt tantum antennis obscurioribus & palpis totis nigris. Antennæ nigræ, basi

obscure rufescentes. Nervi transversi plus minus infuscati. Alarum costa in ♀ brevissime ciliata, spinula parva.

72. *A. vittifera:* cinerea, antennis fuscis; capite argenteo; thoracis vittis subquatuor, abdominis unica dorsali, tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, nervo transverso ordinario subrecto, subinfuscato, squamis albis; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Esperöd in paroecia Mellby semel lecta.

♂. Valde similis *Anth. fuscatæ* (30), a qua vero magnitudine paullo minore & femoribus etiam anticis flavis dignota. A priori, cui etiam similis, magnitudine minore, abdomine depressiore, cano, vitta dorsali inæquali, nigra, nec punctis 4 nigris notato, squama sub alis albidiore, ut & oculis in ♂ non tam arcte cohærentibus, nempe per orbitas tenuissimas albas anguste distantibus, differt. Antennæ anguste, seta longe plumata. Thoracis vittæ laterales obsoletæ. Abdomen oblongum, pilosum, ano non inflexo. Alarum costa nuda, spinula nulla.

73. *A. detrita:* nigricans, subnitida, leviter cinereopollinosa; capite albicante; palpis tarsisque atris; pedibus lividis; alis cinereis, nervis transversis rectis, non infuscatis, longitudinalibus 3 & 4 versus apicem divergentibus; squamis albidis; *femina:* oculis modice remotis, vitta didyma nigra. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia rarissime; ad Wadstena 29 Aug. 1831 inventa.

♀. *Anth. impunctæ* (69) quodammodo similis, sed colore nigriore, nitidiore, magnitudine minore, antennis palpisque totis nigris, &c., mox dignota. Caput album, vitta frontali sat lata, atra, per maculam posticam elongato-cordatam, cineream divisa. Antennæ mediocres, nigricantes, seta distincte plumata. Thorax niger, nitidus, antice vittis inchoantibus cinereis, parum

perspicuis. Scutellum nigrum, margine apicali cinerascente. Abdomen ovatum, nigrum, nitens, leviter cinereo-pollinosum, polline certo situ in maculas irregulares, micantes, condensato. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis: basi pallidis, longitudinalibus 3 & 4 versus apicem divergentibus, transversis rectis. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ mediocres, albidæ, parum ciliatæ. Halteres flavi. Pedes mediocres, pilosi, fusco-flavi, tarsis nigris.

74. *A. olivacea:* nigricans, subnitida, leviter cinereo-pollinosa; capite albicante, palpis tarsisque atris; pedibus flavis; alis cinereis, nervis transversis rectis, non infuscatis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, squamis albidis; *femina:* oculis modice remotis, vitta didyma nigra. ♀. (Long. $1\frac{3}{4}-2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarius; in Fogelsång prope Lund & ad Esperöd occidentalem in paroecia Tranås, pauca specimina inveni.

♀. Simillima præcedenti, sed differt: pedibus purius flavis & præcipue nervis longitudinalibus 3 & 4 magis parallelis, horum 3:tio in summo apice alæ excurrente. Antennæ basi piceæ. Thorax nigro-cinerascens. Abdomen olivaceo-nigrum, nitidum, leviter cinereo-pollinosum. Alarum costa brevissime subciliata, spinula minuta. Reliqua ut in priori.

**). Squamæ sub alis minusculæ: valvula superiore inferiorem tegente.

75. *A. præpotens:* cinerea, capite argenteo-micante; antennis, palpis, thoracis vittis lateralibus, abdominis linea dorsali, tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, nervo transverso ordinario inflexo; *mas:* oculis subcohærentibus, abdomine conico, ano testaceo; *femina:* oculis mediocriter remotis, vitta frontali lutescente, abdo-

mine oblongo-ovato, apice acuto, cinereo. ♂♀. (Long. 2½ sæpe usque ad 4 lin.).

Wiedem. Zool. Magaz. 1. 1. 83. 36. Meig. Dipt. 5. 127. 80. ♂♀. Ahrens. Fn. 10. 24. *Musca* Fall. Muscid. 83. 106. ♂♀. *Hylemyia* Macq. Buff. 2. 316. 1. ♂♀. T. 17. f. 8. ♂. Meig. Dipt. 7. 317. 78. T. 74. f. 11. ♂. (figura bona).

Hab. in graminosis umbrosis, foliis fruticum & præsertim in truncis arborum viventium, raro in Umbellatis; per Scandinaviam meridionalem & mediam, 25 Jun.—10 Sept., passim copiose; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Räften, Abusa, Grönby, Lindholmen, Sandhammar, Esperöd &c., vulgaris; in Smolandia ad Skärsjö; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena in Krogängen, &c., frequens; in Gottlandia ad Rhone. Nähr, &c., passim; sed supra Nericiam hæc species mihi non obvia; in Dania rarius, D. *Staeger*. (Mares e Glogavia 13 Jun. captos communicavit D. *Zeller*).

♂♀. Inter longiores. Oblonga, dilute cinerea, opaca. Statura *Anth. conicæ* (18), sed major. Frons paullo prominens. Epistoma subperpendiculare, apice haud reflexum. Antennæ mediocres, nigræ, articulo 2:do apice rufo, seta longe plumata. Palpi longiusculi, subcylindrici, atri, pilosi. Thoracis vittæ laterales perspicuæ, & lineæ 2 mediæ tenues, nigræ. Scutellum cinereum, immaculatum. Abdomen cinereum, lineola in segmentis 1 & 2 nigra. Segmentorum omnium margo apicalis setosus. Alæ pallide cinereæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem divergentes, transversus ordinarius obliquus, distincte inflexus, fere in medio areæ insertus. Costa brevissime ciliata, spinula mediocri. Squamæ mediocres, albidæ, valvula superiore longe ciliata. Halteres pallidi. Pedes longiusculi, setosi, flavi, tarsis atris. *Mas:* oculi magni, per orbitas tenuis-

simas albas angustissime disjuncti. Ani tuberculum inflexum, ferrugineum. Pulvilli magni. *Femina:* oculi oblongi, per orbitas proportione latas, albas & vittam frontalem modice latam, antice luteam, in medio sæpe nigram, postice macula cordata cinerea notatam, mediocriter disjuncti. Punctum supra antennas album.

76. *A. ferrugineo-vittata:* cinerea, capite albicante; antennis, palpis, abdominis linea dorsali, tarsisque, nigris; pedibus flavis, thoracis vittis 3 brunneis; alis cinereis, nervo transverso ordinario subrecto; *femina:* oculis sat late remotis, vitta frontali fulva. ♀. (Long. 2—2½ lin.).

Hab. in hortis & pratis Sueciæ mediæ, 5—20 Jul., rarius; nempe in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp; in Gottlandia ad Nähr & Öja.

♀. Priori affinis; sed magnitudine multo minore, antennis totis nigris, capite albido, sed minus argenteo-micante, vitta frontali proportione latiore, oculis minoribus, thoracis dorso vittis 3 abbreviatis dilute brunneis s. ferrugineis, alarum costa minus ciliata, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis, transverso ordinario subperpendiculari & leviter tantum flexo, ut & alis cinereo-hyalinis, non pallescentibus, abunde distincta. Reliqua ut in præcedente.

b. Seta antennarum pubescens aut nudiuscula. Mediæ aut minores.

*). Squamæ sub alis parvæ: valvula superiore inferiorem tegente.

†. Nervus transversus ordinarius subperpendicularis, rectus. Costa inermis. (*Anth. Hyoscyami* huic seriei etiam subjectam vide n:o 176).

**77.** *A. conformis:* fronte subprominente grisescens, capite albo-rufescente; antennis mediocriter longis tarsisque nigris; antennarum palporumque basi, vitta frontali (♀), pedibusque, flavo-luteis; alis cinereis, basi pallidis; *femina:* oculis modice remotis. ♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 180. 167. ♀. & 7. 328. 90. *Musca* Fall. Muscid. 82. 105. ♀. typica.

Hab. in Scandinavia, 20 Jul.—16 Aug., rarius; scilicet in Scania orientali ad Östratorp & Esperöd, parce; in Uplandia ad Holmiam, teste D. *Wahlberg;* in Jemtlandia boreali ad Stalltjernstugan prope jugum alpinum, passim; e Dania a D. *Staeger* communicata.

♀. Similis *Anth. hæmorrhoum* (62), sed femoribus omnibus flavis & ano cinereo præcipue dignota. Cinerea aut flavido-grisea. Oculi per orbitas albo-rufas & vittam frontalem latiusculam fulvam, postice cinereo-maculatam, disjuncti. Antennæ latiusculæ, nigræ, apice rotundatæ, articulis 1 & 2 flavo-rufis; seta nuda. Epistoma non longe descendens, albo-rufum, apice leviter reflexum. Palpi flavi, apice subclavati, nigri. Thorax vestigio linearum nigrarum. Scutellum immaculatum. Abdomen ovato-oblongum, apice acutum, dorso rudimento lineæ mediæ fuscæ; segmentis margine apicali setosis. Alæ cinereæ, basi pallidæ, costa subnuda, spinula nulla. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli seu versus apicem vix divergentes, horum 3:tius in summo apice alæ excurrens; transversus ordin. perpendicularis, exacte rectus, paullo ante medium areæ insertus. Squamæ sordide albidæ, ciliatæ. Halteres pallidi. Pedes mediocres, flavi aut flavescentes, femoribus anticis superne interdum vestigio vittæ fuscæ. Tarsi atri.

**78.** *A. calceolata:* fronte subprominente cinerascens, capite cano; antennis palpisque totis, tarsisque, atris; vitta frontali (♀) pedibusque flavo-luteis; alis ci-

nereis; *femina:* oculis modice remotis. ♀ (♂). (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali & media rarius; in Scania ad Esperöd, in Ostrogothia ad Lärketorp; etiam in Jemtlandia ad radicem Åreskutan 24 Jun. a me inventa; e Dania a D. *Staeger* ut nov. spec. missa.

♀. Simillima priori, palpis vero antennisque totis, nigris, capite albicante, vix rufescente, ut & alis basi parum pallescentibus, in primis differt. Vitta frontalis latiuscula, ferruginea. Antennæ longiusculæ, validæ, seta nuda. Corpus cinereum. Abdomen certo situ maculis irregularibus fusco-micantibus, obsoletis. Alæ basi leviter albicantes. Pedes flavi, coxis cinereis, tarsis atris. Reliqua ut in antecedente.

♂. $2\frac{1}{2}$ lin. long. Oculi cohærentes, per orbitas tenuissimas albas angustissime tantum disjuncti. Vitta frontalis supra antennas anguste triangularis flava. Regio ocellorum triangularis obscura. Abdomen oblongum, subdepressum, pilosum, cinereum, linea dorsali nigra; ano haud inflexo. Alæ basi pallescentes. Squamæ mediocres & halteres alba. Pulvilli elongati. Reliqua ut in femina adumbrata, cujus mas specimen descriptum, in Lapponia Lulensi ad Quickjock a D. *Boheman* 1743 inventum, forte habeatur. Simillimus quoque *Anth. Salicis* (85), cujus varietatem crederem, nisi obstaret nervus transversus ordinarius in *Anth. calceolata* magis rectus.

79. *A. laticornis:* fronte prominente obscure cinerascens, capite albo-rufescente; antennis latiusculis tarsisque atris; antennarum palporumque basi, vitta frontali (♀), pedibusque, fulvo-flavis; alis cinereis, basi pallidis; *femina:* oculis sat late remotis. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipl. 5. 202. 210. ♀. (secund. Fall. transscripta). — *Musca* Fall. Muscid. 86. 112. ♀. originaria.

Hab. in Suecia rarissime; in Scania unicum individuum inveni; in Ölandia etiam capta, testante D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad diversorium Skalstugan prope jugum alpinum Norwegiæ d. 16 Jul. 1840 legit D. *Dahlbom.*

♀. *Anth. conformi* (77) valde affinis & simillima, nec ab ea differt nisi magnitudine paullulum majore, capite subbuccato, antennis nonnihil latioribus, basi purius fulvis l. flavis, ut & vitta frontali fulva paullo forte latiore.

80. *A. deprimata:* fronte parum prominente cinerascens, capite albicante; antennis validis, palporum apice, abdominis linea dorsali tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis hyalinis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis mediocriter remotis, vitta frontali modice lata, ferruginea, abdomine lanceolato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia, 2 Jun.—15 Aug., rarius; nempe in Scania ad Lund & Sandhammar; in Suecia media: ex. gr. in Ostrogothia ad Fredensborg prope Wadstena; in Jemtlandia boreali ad Mullfjellet & Stalltjernstugan. Larvæ in fungis ad Kjeflinge Scaniæ 20 Sept. 1835 inventæ, quæ cito in pupas cylindricas nudas brunneas abierunt, e quibus imagines utriusque sexus 27 Jul. 1836 egressæ.

♂♀. *Anth. calceolatæ* 78, similis, sed magnitudine paullo minore, fronte minus prominente, antennis (in primis in ♀) proportione nonnihil validioribus, oculis maris arctius cohærentibus, &c., dignota. Oblonga, cinerea. Caput argenteo-micans. Antennæ nigricantes, apice rotundatæ, seta nuda. Epistoma perpendiculare, infra oculos parum descendes, apice vix reflexum. Palpi flavi, apice nigri. Thorax & scutellum immaculata. Alæ hyalinæ, basi subalbicantes. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli, non late remoti, horum 3.tius in apice l. fere pone summum apicem alæ excurrens; transversus ordinar.

perpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres, alba. Pedes cum coxis flavi, tarsis nigris. *Mas:* oculi magni, in medio frontis arcte cohærentes, macula supra antennas triangulari, fusca. Abdomen lineare, depressum, griseum, linea dorsali & incisuris late obscuris. Anus haud inflexus. Styli 2 parvi, obtusi, nigri in segmento-ventrali penultimo adsunt. *Femina:* oculi per orbitas mediocres, albidas, & vittam frontalem modice latam, fulvam, postice macula cordata cinerea notatam, modice disjuncti. Abdomen lanceolatum, pilosum, cinereum l. griseum, subimmaculatum.

81. *A. flavipalpis:* fronte haud prominente obscure cinerascens, capite argenteo-micante; palpis flavo-albis; antennis validis, abdominis linea dorsali tarsisque nigris; pedibus flavis; alis cinereis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Lapponia Umensi ad Wilhelmina, ubi descriptum specimen die 15 Jul. 1832 inveni, tunc temporis cum *Anth. flavipede* (148) commixtum.

♂. Simillima priori, a qua vix nisi palpis albidis l. pallide flavis dignoscitur. Antennæ basi piceæ. Thorax dorso nigricans. Abdomen pisosum, canum, linea dorsali nigra, & fasciis 4 latis, fuscis in basi segmentorum 1, 2, 3 & 4. Lamina bidentata seu emarginata, nigra, in segmento ventrali penultimo (vix aliter ac in præcedente) adest. Femora antica supra fusca. Cetera ut in priori. Ab *Anth. flavipede* abdominis colore discrepat.

82. *A. mimula:* fronte subprominente obscure cinerascens, capite argenteo-micante; antennis mediocribus, palpis, abdominis linea dorsali tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis fumato-cinereis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, basi depresso. ♂. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia rarissime.

♂. Priori iterum simillima, fronte vero nonnihil magis prominula, antennis mediocribus, palpis totis nigris, abdomine apice subclavato, segmentis non fusco-fasciatis, alis leviter fuscanis, mox dignoscenda. Femora omnia cum coxis lutea. Dentes 2 breves, remoti, nigri in segmento penultimo ventrali adsunt. Reliqua ut in antecedente.

83. *A. maculipes:* fronte subprominente cinerascens, capite ochraceo; antennis mediocribus, palpis, femorum posteriorum macula apicali, tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis hyalinis, basi pallidis; *femina:* oculis modice remotis. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime, ad radicem Åreskutan 24 Jun. 1810 lécta.

♀. Ab *Anth. conformi*, 77, cui de cetero similis, differt: capite toto ochraceo, nec rufescente, antennis palpisque totis atris, alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis & paullulum magis approximatis, ut & pedibus pallidius flavis, femoribus posterioribus ad apicem superne macula nigra notatis.

84. *A. lunatifrons:* fronte haud prominente cinerascens, capite albicante; antennis mediocribus, palpis tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis cinereis; *femina:* oculis late remotis, vitta frontali lata, nigra, macula supra antennas flava. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in frutice ad Esperöd Scaniæ 21 Sept. semel capta.

♀. A proxime præcedentibus, quibus affinis, dignoscitur: magnitudine paullo minore, & fronte latiore, nigra, macula tantum ante antennas lunata flava. Oculi non magni, subrotundati. Antennæ validæ, sed non longæ, seta nuda. Epistoma breve, infra oculos haud descendens. Palpi parvi, fusci. Thorax immaculatus. Abdomen ovato-lanceolatum, fusco-piceum, nitens

(an in detrito?). Alæ cinereæ, ima basi pallescentes. Nervi ut in *Anth. maculipede*, 83. Squamæ minutæ. Halteres flavi. Pedes cum coxis sordide flavi, tarsis obscurioribus. Cum *Anth. verticella* (53), quæ femora nigra habet, non confundenda.

††. Nervus transversus ordinar. subobliquus, leviter inflexus.

85. *A. Salicis:* fronte parum prominente cinerascens, capite argenteo-micante; antennis, palpis, abdominis linea dorsali tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis cinereis; basi pallescentibus; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. 2 fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 692. 135. ♂.

Hab. in Suecia media & boreali rarissime; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp d. 10 Jul. 1823, unicum specimen, & in Lapponiæ Tornensis floribus Salicis ad Juckasjervi d. 30 Jun. 1821 duo individua, inveni.

♂. Similis *Anth. conformi* (77), & *calceolatæ* (78) ♂, sed ab illa capite argenteo, nec rufescente, antennis palpisque totis nigro-fuscis, nec basi flavescentibus, ab hac antennis palpisque obscuris, nec atris, abdomine minus depresso, ano inflexo, & ab utraque fronte nonnihil minus prominente, ut & nervo transverso ordinario paullo flexo, nec recto, differt. Oculi magni, sat arcte cohærentes. Seta antennarum mediocrium nuda. Palpi subfiliformes. Thorax vestigio linearum nigrarum. Abdomen oblongum, depresso-subcylindricum, cinereum, linea dorsali nigra subcontinua. Segmenta margine apicali setosa. Alæ longiusculæ, præsertim basi pallescentes. Nervi long. 3 & 4 subparalleli. Costa subnuda, spinula vix ulla. Squamæ parvæ, ciliatæ & halteres, alba. Pedes antici ferruginei, posteriores flavi, tarsis omnibus atris.

**). Squamæ sub alis mediocres l. majusculæ: valvula superiore inferiorem non tegente.

86. *A. viduata:* fronte non prominente obscure cinerascens, capite albicante; antennis mediocribus, palpis tarsisque, nigris; pedibus flavo-luteis; alis basi squamisque flavescentibus; *femina:* oculis non late remotis. ♀. (Long. $2\frac{2}{3}$ lin.).

*Musca rufipes* Fall. Muscid. 85. 111. ♀. certissime. (♂ ibidem allatus potius ad *Anth. rufipedem* infra n:o 133 pertinet).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; duo tantum individua lustravi, unum e collectione Falleniana acceptum, alterum in Scania captum.

♀. Ovata, nigricans, subnitens. Oculi magni, oblongi, per orbitas mediocres, albas, & vittam frontalem modice latam, nigram, proportione anguste distantes. Frons & facies convexæ extra oculos vix l parum productæ. Epistoma perpendiculare, argenteo-micans, infra oculos parum descendens, apice haud reflexum. Antennæ incumbentes, nigræ, seta nuda. Palpi nigri. Thorax nigricans, lineis 2 mediis nigris, macula humerali cinerea. Abdomen ovale, obscure griseum, immaculatum, parum pilosum. Alæ cinereæ, basi flavicantes. Nervi: longitudinales 3 & 4 sat late remoti, subparalleli; transversus ord. leviter flexus, paullo ante medium areæ insertus. Costa subinermis; spinula nulla. Squamæ & halteres flavida. Pedes mediocres, pilosi, fulvi, coxis cinereo- micantibus, tarsis atris, pulvillis parvis, albis.

*Obs. Anth. rufipes* ♂: genuina, abdomine rufescenti ab *Anth. viduata* differt, in Divis. 2:da sub n:o 133 quærenda.

87. *A. punctiventris:* fronte non prominente obscure cinerascens, capite albicante; antennarum elongatarum articulo ultimo, thoracis lineis 4, abdominis maculis totidem, tarsisque, nigris; palpis albis; antennis basi pedibusque rufo-flavis; alis cinereis, basi, squamisque sordi-

de albidis, nervis transversis rectis, infuscatis; *mas:* oculis cohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime.

♂. Simillima *Anth. demigranti* (70), a qua fere tantum antennarum seta brevissime & subtiliter (nec distincte) plumata dignoscitur. A priori, cui quoque affinis & similis, differt: antennis basi rufis, seta puberula, nec nuda, palpis albidis, oculis sat intime cohærentibus, abdominis maculis 4 fuscis (ut in *A. demigrante*), alis basi squamisque minus flavidis, nervo transv. ord. magis recto & leviter infuscato, spinula costæ parva, ut & pulvillis albis majoribus.

*Obs.* Sub *Musca depuncta* var. *β.* ♂. Fall. Muscid. 80. 98. latet.

88. *A. pubiseta:* fronte parum prominetne cinerascens subimmaculata, capite argenteo-micante; antennis elongatis, palpis tarsisque, nigris; pedibus flavo-luteis; alis basi squamisque sordide flavidis, nervo transverso ordinario leviter flexo, subinfuscato; *mas:* oculis subcohærentibus. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund semel inveni.

♂. Oblonga, cinerea, opaca. Frons leviter prominula. Oculi per orbitas albas & lineam frontalem, tenuissimas, anguste disjuncti. Antennæ elongatæ, angustæ, nigræ, basi piceæ, seta brevissime & subtiliter puberula. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, apice leviter reflexum. Palpi filiformes, nigri. Thorax vestigio linearum 2 mediarum nigrarum. Abdomen oblongum, griseo-cinereum, immaculatum, tenuiter pilosum. Anus parvus, subinflexus. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli seu versus apicem levissime tantum divergentes. Costa subnuda; spinula vix ulla. Halteres flavi. Pedes mediocres, rufo-flavi, tarsis atris, pulvillis magnis, albis.

*Sect.* 2. Corpus præsertim in ♂ cylindricum aut subcylindricum. Antennæ elongatæ. Oculi oblongi, nudi, in utroque sexu fere

æqualiter & non late disjuncti. Squamæ sub alis non magnæ, valvula superiore inferiorem tegente. Nervus transversus ordinarius omnino rectus & sæpissime non infuscatus. Mediæ aut plerumque minores. *Coenosia* Auctor. (*Anth. spinicosta*, oculis ♂ remotis, vide n:o 6).

A. Seta antennarum plumata.

89. *A. tigrina:* fronte nonnihil prominente cinerascens, antennis, palpis, abdominis punctis 4, pedibusque, nigris; genubus tibiisque ferrugineis; alarum costa nudiuscula, spinula nulla. ♂♀. (Long. 2 lin.).

*Musca* Fabr. Antl. 297. 66. certe. *Coenosia* Macq. Buff. 2. 344. 1? ♂♀. — Vix eadem Meig. Dipt. 5. 212. 2? — Sub *Musca meditata* Fall. Muscid. 87. 114. descr. var. "antennis seta perspicue plumata" latet.

Hab. in Succiæ meridionalis & mediæ graminosis & plantis aquaticis, etiam in floribus Chrysanthemi & Achilleæ, vulgaris, Jul.—Sept. obvia, in copula deprehensa; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia *(Ljungh)* & Ostrogothia passim; in Gottlandia ad Nähr &c., raro; e Dania utrumque sexum sub nomine allato obtinui a D. *Staeger*. (E Kilia a D. *Wiedemann* & ex Hamburgo a D. *Dahlbom* missa). Testante *Fabricio* rapina congenerum victitat.

♂♀. Cinerea. Caput in ♂ argenteo-, in ♀ sordide albo-micans. Vitta frontalis modice lata, nigra, macula postica cinerea. Antennæ incumbentes, nigræ, articulo 2:do supra albo-micante, seta distincte, sed non longissime plumata. Epistoma infra oculos non longe descendens. Palpi longiusculi, leviter clavati; nigri, interdum basi fusci l. pallidi. Thorax vix rudimento linearum fuscarum. Abdomen parce setosum, punctis l. maculis 4 rotundatis, nigro-brunneis in segmentis 2 & 3 locatis, &

in ♂ interdum linea dorsali brunnea obsoleta. Alæ cinereæ, nervis longit. 3 & 4 subparallelis seu versus apicem levissime divergentibus; horum 3:tio fere in apice alæ excurrente. Nervus transv. ordin. rectissimus, perpendicularis, nonnihil ante medium areæ insertus, reliquis vix l. parum obscurior. Squamæ ciliatæ & halteres nudi, albida. Pedes mediocres, setosi, nigri, genubus præsertim posterioribus, tibiisque totis, ferrugineis. Pulvilli in utroque sexu longiusculi, albi. *Mas:* abdomine oblongo-cylindrico, incurvo, apice subclavato, ano inflexo; *femina:* abdomine oblongo-lanceolato, apice acuto. — Variat ♂ abdomine punctis nigris 6, nempe quoque 2 minutis in segmento 4:to.

*Obs.* Cel. Meig. l. c. de sua *Coenos. tigrina* in descriptione dixit: "Flügel mit einem Randdorne", unde dubium oritur an non illa potius ad sequentem seu nostram *A. ciliatocostam* sit referenda. Synonymon Fabricii mihi indubium videtur, dum Cel. *Wiedemann* specimen nostris simillimum ut "Fabricii *Muscam tigrinam* genuinam" communicavit.

90. *A. ciliatocosta:* fronte nonnihil prominente cinerascens, antennis, palpis, abdominis punctis 4, pedibusque, nigris; antennarum basi, genubus tibiisque ferrugineis; alarum costa basi perspicue cilata, spinula distincta. ♂♀. (Long. 2 lin.).

An. *Coenosia tigrina* Meig. Dipt. 5. 212. 2? ubi vero antennæ nigræ dicuntur.

Hab. cum priori, 10 Aug.—25 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd & Björnstorp *(Dahlbom)*, passim; in Smolandia; in Ostrogothia ad Lärketorp rar.

♂♀. Simillima priori, sed antennis basi rufescentibus & alarum costa præsertim a basi ad spinulam erectam distincte ciliata, mox dignoscitur. Nervi transversi quoque magis infuscati, &

puncta abdominis in mare minora. — Affinis & similis etiam *Anth. Quadrum* (27), sed oculorum distantia discrepat.

91. *A. flavicornis:* fronte parum prominente cinerascens, antennis sordide pallescentibus; palpis tarsisque nigris; thoracis lineis 3, abdominisque punctis 6, brunneis, obsoletis; pedibus flavis; alis cinereis, costa breviter subciliata. ♂. (Long. fere 2 lin.).

*Musca* Fall. Muscid. 88. 117. ♂. typica secundum specimen originarium.

Hab. in Scania rarissime.

♂. Similis *Anth. intermediæ* (102), sed antennis pallidioribus, femoribus omnibus flavis, & abdomine punctato, distincta. Cinerea. Caput albicans, vitta frontali nigricante. Antennæ (in specimine vetusto) basi obscuræ, articulo ultimo lineari, angusto, sordide flavido; seta subplumata. Epistoma infra oculos parum descendens. Palpi subfiliformes. Thorax lineis 3 dilute brunneis. Abdomen subcylindricum, incurvum, parce setosum, punctis tribus paribus dilute brunneis, obsoletis, in segmentis 2, 3 & 4. Anus rotundatus, cinereus, tuberculo inflexo, rufescente. Lamellæ 2 styliformes, ferrugineæ in segmento ventrali penultimo adsunt. Alæ cinereæ, nervis flavidis. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transv. ordin. perpendicularis ante medium areæ insertus. Costa subciliata, at spinula vix ulla. Squamæ non magnæ, parum ciliatæ, & halteres, flavido-albæ. Pedes validi, cum coxis flavi, nigro-setosi, tarsis obscuris. Pulvilli mediocres l. longiusculi, albi.

♀. Similis mari descripto, sed nonnihil minor, antennis obscurioribus & abdomine subimmaculato distincta. Fall. l. c.; an hujus? Scania.

B. Seta antennarum pubescens aut puberula. Mediæ aut minores.

*) abdomine nigro-punctato.

†. Palpi nigri.

a). Femora omnia in utroque sexu nigricantia.

92. *A. meditata:* cinerea, antennis, abdominis punctis 4, femoribus tarsisque, nigris; trochanteribus, genubus tibiisque testaceis; squamis sub alis albis. ♂♀. (Long. circit. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 692. 139. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 87. 114. ♂♀. (exclus. syn. *M. meditabunda* Fabr.). *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 219. 19. ♂.

Hab. in foliis fruticum per hortos, prata & silvas Scandinaviæ, 20 Jun.—15 Aug., vulgaris, in copula pluries capta; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia & Ostrogothia, ubique frequens; in Gottlandia ad Garde, Gothem, Stenkyrka, Wamlingbo &c., non parce; in Ölandia & ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia boreali ex. gr. ad diversorium Lund juxta radicem Åreskutan frequens; in Norwegia ad Dovre, D. *Boheman*, & in Nordlandia ad Evenäs, non rara. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Griseo-cinerea, opaca, setosa. Caput albidum. Oculi non magni, ferruginei. Vitta frontalis mediocris, nigra, postice macula cordata cinerea. Frons leviter prominens. Antennæ lineares, nigræ, articulo 2:do apice superne albo-micante, seta subtiliter pubescente. Epistoma subperpendiculare, infra oculos paullo descendens. Palpi leviter clavati, nigri, pilosi. Thorax & scutellum immaculata. Abdomen punctorum brunnescentium duobus paribus in segmentis 2 & 3. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis longitud. 3 & 4 sbuparallelis, transverso ord. perpendiculari, perspicue ante medium areæ inserto. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ mediocres haud ciliatæ, albæ. Halteres flavi. Pedes mediocres, setoti, nigri, trochanteribus, femoribus apice, tibiisque totis, flavo-testaceis, Pulvilli mediocres, albi.

*Mas:* abdomine cylindrtco, incurvo, ano inflexo cinereo, appendicibus 2 sat magnis, lamelliformibus nigro-cinereis in segmento ventrali penultimo; *femina:* paullo major, abdomine oblongo, acuto, — Var. b. ♂ corpore obscuriore. Variat etiam c. ♀ thorace brunneo-sublineato; ad Westö Gottlandiæ 24 Jul.

Obs. Sub *Musca meditata* Fall. plures species latent.

93. *A. exsul:* læte cinerea, capite cano, antennis, abdominis punctis 4, pedibusque, nigris; tibiis testaceis; squamis sub alis albis. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime, unicum exemplum masculum a D. *Gyllenhal* missum.

♂. Similis *Anth. consimili* (35), sub quo nomine in collectione etiam diu asservata fuit, sed fronte magis prominente, oculis latius remotis, alarum nervis transversis non infuscatis, spinula costæ distinctiore &c., facile dignota. Interstitium frontale inter oculos modice latum, totum canum, opacum, vitta ordinaria nigra nulla, sed squamula supra radicem antennarum albida. Seta antennarum tenuiter pubescens. Thorax antice lineolis 2 nigris tenuissimis. Abdomen subcylindrico-conicum, seu fere ovato-conicum, maculis 4 dilute brunneis in segmentis 2 & 3. Anus haud inflexus, nec appendiculatus. Alæ cinereæ, nervis ut in *A. consimili* directis. Costa breviter subciliata, spinula mediocri. Squamæ ut in priori. Pedes nigricantes, geniculis tibiisque fusco-ferrugineis, harum anticis obscurioribus. Pulvilli elongati, albi.

94. *A. nana:* cinerea, capite albicante, antennis, abdominis punctis subsenis, pedibusque, nigris; tibiis testaceis; squamis sub alis albis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{8}$, ♀ $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali mense Julio rarius; ♂ & ♀ in Scania ad Lund & Esperöd in copula capti. (Spe-

cimen unicum femineum etiam e Glogavia a D. *Zeller* missum).

♂♀. Parva. Frons non prominens. Oculi non late & in utroque sexu æque, distantes, vitta frontali nigra. Antennæ atræ, articulo 2·do apice superne puncto albo. Seta pubescens. Palpi nigri, filiformes, apice leviter clavati. Thorax subimmaculatus, lineis brunneis rudimentariis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis long. 3 & 4 subparallelis, transverso ordinario non exactissime recto, sed levissime flexo. Spinula costalis nulla. Squamæ mediocres, lacteæ. Halteres pallidi. Pedes nigri, geniculis anticis summis tibiisque omnibus ferrugineis. Pulvilli mediocres, albi. *Mas:* antennarum seta tantum puberula. Abdomen cylindricum, maculis 8 brunneis in segmentis 1, 2, 3 & 4, quarum 4 intermediis distinctioribus. Nervus transv. ordinarius distincte ante medium areæ insertus. Costa nuda. *Femina:* antennarum seta pubescens. Abdomen conicum, acutum, griseum, punctis 4 brunneis in segmentis 2 & 3, & sæpe linea dorsali tenuissima, brunnea. Nervus transv. ordinar. modice ante medium areæ insertus. Costa brevissime subciliata.

95. *A. 6-maculata:* læte cinerea, capite albo, antennis, abdominis punctis 6, pedibusque, nigris; tibiis ima basi ferrugineis; squamis sub alis albis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

*Coenosia* Meig. Dipt. 7. pag. 335. ♂.

Hab. in Scandinavia, mihi rarissime obvia; nempe in Scania semel deprehensa; in prato Fåröensi Gottlandiæ 21 Jul. 1841 ♀ semel lecta; in Jemtlandia boreali ad Mullfjellet etiam in uno specimine inventa; e Dania a D. *Staeger* sub nomine allato in utroque sexu missa. (E Moabite prope Berolinum, ubi 12 Jul. 1842 capta, a D. *Dahlbom*, & e Glogavia sine synonymia a D. *Zeller*, communicata).

♂♀. Minuta; priori minor eique valde similis & affinis, sed pedibus fere totis nigris, tibiis tantum ima basi ferrugineis, præcipue differt. Thorax feminæ plerumque obsolete brunneo-trilineatus. Reliqua ut in priore.

b.). Femora saltem in ♂ plus minus flava; in ♀ raro nigra.

96. *A. 6-notata:* griseo-cinerea, capite canescente, antennis, abdominis punctis 6, tarsisque, nigris; thoracis lineis 3 brunneis; pedibus flavis; squamis sub alis mediocribus, albis. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 691. 116. ♂. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 213. 5. ♂♀. Macq. Buff. 2. 346. 8. ♂♀.

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali & media, 15 Jun.—2 Aug., passim, in copula capta; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., parce; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)* & Lärketorp; in Gottlandia ad Ruthe, Kellunge &c. haud rara; in Medelpadia raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Åsele; in Norwegia ad Alstahaug & Levanger atque in inferalpinis Nordlandiæ ex. gr. ad Hacksten; e Dania in utroque sexu a D. *Staeger* sub nomine allato communicata.

♂♀. Frons non prominens. Oculi modice late remoti, vitta frontali latiuscula, nigra. Antennæ elongatæ, angustæ, nigræ, puncto albo in apice superno articuli 2:di, seta subtiliter pubescente. Epistoma perpendiculare, apice non reflexum, infra oculos haud descendens. Palpi, subfiliformes, pilosi, nigri, apice parum crassiores. Thorax lineis 3 brunneis plerumque perspicuis. Alæ cinereæ, basi sordide albicantes. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli, horum 3:tius in apice l. mox infra summum apicem alæ excurrens; transversus ord. perpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus; costa subnuda, spinula in ♂

nulla, in ♀ minuta. Pedes cum coxis flavi, in ♂ plerumque immaculati, in ♀ sæpissime coxarum basi femoribusque anticis ultra medium nigro-cinereis. Tarsi atri. *Mas:* abdomen cylindricum, maculis tribus paribus brunneis distinctioribus, ano rotundato, inflexo, cinereo. Pulvilli mediocres. *Femina:* abdomen ovato-lanceolatum, maculis tribus paribus brunneis plerumque valde obsoletis, interdum vix ullis, ano acuto. Pulvilli parvi.

Var. b. ♂ femoribus anticis superne vitta plus minus perspicua, fusca. Plerumque paullo minor.

Var. c. ♂ punctis abdominis 8 brunneis. Zett. l. c. var. Ad Wilhelmina Lapponiæ Umensis semel.

*Obs.* Ab *A. intermedia* infra n:o 102, cui affinis & similis, differt: magnitudine nonnihil minore, femoribus anticis in ♂ flavis, ut & abdomine in utroque sexu maculato, nec nisi similem cum simili in copula junctam vidi; ergo hæ species distinctæ videntur, nec varietates ejusdem ut voluit Auctor Thesium in Entom. Zeitung Sedin. 1841. p. 26.

97. *A. bilineella:* cinerea, capite albo, antennis, abdominis punctis 6, tarsisque, nigris; thoracis lineis 2 brunneis; pedibus flavis; squamis sub alis parvis, albis; *mas:* abdomine cylindrico, femoribus omnibus flavis; *femina:* abdomine lanceolato, femoribus anticis nigricantibus. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 694. 149. ♂♀.

Hab. in Suecia boreali, 22 Jun.—16 Aug., rarius, in copula bis capta; scilicet in Jemtlandia ad Åsarne; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Åsele.

♂♀. Priori simillima, nec differt ab illa, nisi capite forte albidiore, thoracis lineis tantum binis, ut & squamis sub alis paullo minoribus. Thorax maris fere immaculatus. Cetera ut in præcedente.

98. *A. geniculata:* schistaceo-cinerea, capite albo, antennis, abdominis punctis 6, pedibusque, nigris; femoribus posterioribus basi late, tibiisque anterioribus totis, flavis; alis albo-hyalinis, nervis transversis subappropinquantibus, squamis parvis, albis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 694. 145. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 89. 120. ♂. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 219. 20. ♂. T. 45. f. 10. — Macq. Buff. 2. 317. 16.

Hab. in graminosis locis aridis, sed etiam in plantis aquaticis capta, per Scandinaviam, 30 Maj.—Jun. Jul.—15 Sept., passim frequens, præsertim ♂ vulgaris; scilicet in Scania ad Esperöd in monte Stenshufvud minori, ad Raflunda in littore maris, &c., sat frequens; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Gottlandia ad Nähr & Gothem; in Jemtlandia ad diversorium Forsa & radicem Mullfjellet; in Lapponia Umensi ad Lycksele raro; e Dania a D. *Staeger* communicata. (E Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. Affinis *Anth.* 6-*notatæ* (96), sed duplo & ultra minor, pedumque colore ab illa & a proximis facile dignota. Caput ut in priori. Palpi parvi, filiformes, nigri. Thoracis lineæ binæ fuscæ valde obsoletæ. Abdomen etiam ut in *A. bilineella.* Nervi longitudinales 3 & 4 non exactissime paralleli, sed versus apicem levissime divergentes; transversus ord. rectissimus, perpendicularis, distincte ante medium areæ insertus. Costa breviter ciliata. Squamæ parvæ, lacteæ. Halteres albidi. Pedum coxæ omnes & femora antica, cinereo-nigra. Femora posteriora a basi ad medium l. fere ultra medium flava, deinde nigra. Tibiæ anteriores testaceæ, posticæ nigræ l. piceæ. Tarsi omnes atri. Pulvilli mediocres, albi. — *Femina:* femoribus posterioribus flavis, versus apicem superne plus minus late infuscatis. Variat ♂ punctis abdominis fuscis obsoletis. — Cum

*Anth.* *8-punctata* (110), cui quoad pedum colorem similis, non confundenda.

99. *A. pygmæa:* cinerea, capite albo, antennis, abdominis punctis 6, femoribus anticis totis, posticis annulo apicali, tarsisque omnibus, nigricantibus; pedibus flavis; thoracis dorso griseo; alis cinereis, nervis transversis approximatis, squamis parvis, albis. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

*Coenosia pusilla* Staeg. in litt. 24 Oct. 1842.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd semel inveni; e Dania specimen typicum a D. *Staeger* obtinui.

♂. Minuta. Simillima præcedenti, sed præter magnitudinem minorem differt quoque pedum colore & alarum nervis transversis magis approximatis. Caput ut in priori, vitta frontali nigrocinerea. Abdomen maculis tribus fuscis obsoletis. Coxæ cinereæ. Pedes pallide flavi, femoribus anticis fere ad apicem, posticis annulo ante apicem, tarsisque omnibus fusco-nigris.

*Obs.* Nomen Staegeri *pusilla* rejicere coactus fui, ne cum *Anthom. pusilla* Meig., quæ alia est species, confundatur.

††. Palpi albi. (*Anth. troglodytes* & *pallipalpis* in Sect. 1:ma sub n:ris 33 & 46 quærendæ).

100. *A. verna:* cinerea, capite, incisurisque tenuissime, albidis; palpis pallidis; antennis rufis, articulo ultimo, abdominis punctis 6, femoribusque, nigris; alis cinereis; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 693. 113. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 304. 101. Fall. Muscid. 87. 116. ♂♀. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 214. 6. Macq. Buff. 2. 346. 9.

Hab. in graminosis & floribus per littora maris, prata & hortos Scandinaviæ, 24 Jun.—28 Sept., vulgaris, in copula; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia & Ostrogothia passim; in Gottlandia ad Ruthe, Gothem &c.; in Nericia ad Kärr; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponiis rarius, ut in Umensi ad Wilhelmina, & Tornensi ad Juckasjervi; in Norwegia ad Næs Wærdaliæ, & Björkvik Nordlandiæ, parce; in Dania, D. *Dahlbom.* (E Kilia a D. *Wiedemann* missa).

♂♀. Pusilla. Similis *Anth. troglodytes* (33), sed corpore magis cylindrico &c. dignota. Caput ut in proxime præcedentibus constructum. Frons lata, cinerea, vitta didyma nigra. Antennæ rufescentes, articulo ultimo nigricante, seta tenuiter puberula. Palpi parvi, albi. Thoracis lineæ fuscæ rudimentariæ. Abdomen cinereum, incisuris tenuiter albis, punctis tribus paribus in segmentis 2, 3 & 4 lineaque dorsali nigris. Alæ cinereæ, basi albidæ. Nervi longit. 3 & 4 versus apicem subdivergentes, transversi modice remoti, horum ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Costa subnuda; spinula parva. Squamæ non magnæ, albæ. Halteres albidi. Coxæ & femora cinereo-nigra; trochanteres, genua, tibiæ & tarsi flavo-ferruginea; tarsi postici sæpe fusciores. Pulvilli parvi.

101. *A. lacteipennis:* cano-cinerea, capite albido; palpis pallidis; antennis rufis, articulo ultimo, abdominis punctis 6, femoribusque, nigris; alis albis; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—1 lin.).

Hab. in graminosis, interdum locis paludosis, plerumque in pratis, raro in Pinu inventa; in insula Gottlandia, 24 Jun.—30 Jul., nec alibi a me deprehensa, ibi vero sat frequenter obvia, ex. gr. ad Martebo, Westö, Nähr, Gothem, Fårön &c. E Skärsjö Smolandiæ a D. *Ljungh* quoque missa.

♂♀. Valde similis præcedenti, sed magnitudine paullo interdum duplo minore, alis albis &c., dignota. Seta proportione evidentius quoque pubescente quam in priore. Abdominis incisuræ vix albidiores. Reliqua ut in præcedente. Affinis etiam *Anth. uliginosæ* (128) & *almæ* (140), sed præter magnitudinem minorem differt etiam abdomine basi concolore, nec pallido, ut & alis immaculatis, nec nervis transversis infuscatis. Cum *Anth. dealbata* (118), & *flavimana* (109), vix confundi potest.

**) abdomine immaculato. Palpi nigri.

*α.*) femoribus flavis.

102. *A. intermedia:* cinerea, capite albicante, antennis, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, squamis sordide albidis. ♂♀. (Long. 2 lin. & ultra).

Zett. Ins. Lapp. 693. 140. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 87. 115. ♂♀. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 214. 7. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum per hortos & prata Scandinaviæ, 22 Jun.—2 Sept., vulgatissima, in copula sæpissime capta; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia, passim copiose; in Ölandia; in Gottlandia ad Fårön, Nähr, Gothem, Stenkyrka, Thorsborg, Kyllej &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan, Undersåker, &c.; in Lapponia Umensi ad Lycksele raro; in Norwegia ad Christianiam *(Dahlbom)*, Næs Værdaliæ, Thynæs, Alstahaug & Levanger, &c., sat frequens; e Dania a D. D. *Staeger* & *Dahlbom* communicata.

♂♀. Statura fere & similitudo *Anth. meditatæ* (92), sed corpore nonnihil angustiore, magisque cylindrico, abdomine immaculato, ut & femoribus posterioribus totis flavis, differt. Cinerea

l. flavido-cinerea. Caput albicans. Oculi non late distantes, vitta frontali nigra, macula postice cinerea. Frons non prominens. Antennæ elongatæ, angustatæ, nigræ, articulo 2:do apice superne puncto albo; seta pubescente. Epistoma perpendiculare, infra oculos haud descendens, nec apice reflexum. Palpi tenues, filiformes, fusco-nigri. Corpus immaculatum. Nervi: long. 3 & 4 subparalleli, transversi modice distantes, perpendiculares, recti, horum ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Costa nudiuscula; spinula nulla. Squamæ parvæ, albidæ, ciliatæ. Pedes mediocres, flavi, coxis omnibus, femoribus anticis, tarsisque omnibus, nigris. *Mas:* abdomine cylindrico, incurvo; ano inflexo, cinereo; pulvillis elongatis; *femina:* abdomine lanceolato, acuto; pulvillis mediocribus. — Variat ♂ femoribus posterioribus superne ad apicem lineola brevi, nigricante. Gottlandia; Norwegia.

*Obs.* Var. b. ♀. femoribus omnibus flavis; Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. est distincta species ad *Anth. biocellatam* (103) pertinens.

*Obs.* *Anthomyia intermedia* Meig. Dipt. 5. 102. 34. (seu *Hylemyia* eadem Meig. Dipt. 7. 316. 46.) alia est species Faunæ nostræ forte peregrina.

103. *A. biocellata:* cinerea, capite albicante, antennis tarsisque nigris; pedibus cum coxis flavis; abdomine basi macula utrinque pallida; thoracis lineolis 2 brunneis; alis cinereis, squamis albis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

*A. pumila* var. d. ♀. Zett. Ins. Lapp. 694. 147.

Hab. in Scandinavia media, at præsertim boreali, 2 Jul.—25 Aug., rarius; scilicet in Smolandia ad Skärsjö semel capta; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Faxelfven, Mullfjellet &c.; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarissime; in Norwegia ad Alstahaug, Thynæs, Levanger, & Næs Wærdaliæ.

♀. Valde similis priori, a qua tamen magnitudine paullo minore, thorace brunneo-bilineato, abdomine ad basin utrinque macula

irregulari pallida, squamis sub alis paullo minoribus, ut & femoribus omnibus cum coxis flavis, vere differt. Venter quoque saltem basi pallidus. Cetera ut in priori.

Var. b. ♀. an hujus? Cana, femoribus anticis obscuris, thoracis lineolis rudimentariis; de cetero varietati a. similis. In Gottlandiæ Fårön ad Olle Hau, & in Jemtlandia ad Åreskutan & Mullfjellet 3 specimina inveni.

104. *A. trilineella:* cinerea, capite albescente, antennis tarsisque nigris; pedibus flavis, femoribus anticis superne vitta fusca; thorace brunneo-trilineato; alis cinereis, squamis albidis. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 695. 151. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad Stensele 3 Jul. 1832 unicum exemplum inveni.

♀. Similis *Anth. intermediæ* (102), sed colore corporis forte lætius cinereo, thoracis lineis 3 angustis brunneis obsoletis, ut & femoribus omnibus flavis, anticis superne striga longitudinali fusca notatis, distincta. Antennarum seta distincte pubescens. Coxæ flavæ, anticæ basi, posteriores ad dimidium, cinereæ. Reliqua omnia exacte ut in *Anth. intermedia.*

*β.*) femoribus nigricantibus.

105. *A. means:* cinerea, capite albicante, antennis pedibusque nigris; geniculis omnibus trochanteribusque intermediis rufis; thorace obsolete brunneo-bilineato; alis cinereis, squamis parvis, albidis. ♂♀. (Long. circiter 1¾ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 695. 150. ♂♀. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 216. 10. ♂♀. Macq. Buff. 2. 346. 10. ♂♀.

Hab. in graminosis, per prata & silvas Scandinaviæ præsertim borealis, 21 Jun. - 6 Sept., passim; in copula; in fenestris etiam errabunda obvia; nempe in Scania ad

Räften, D. *Dahlbom*, ad Esperöd. ipse; in Smolandia raro; in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Carlberg prope Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Åsarne, Mullfjellet & Skalstugan, sat frequens; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Barrsele; in Lapponia Lulensi ad Quickjock *(Wahlberg)*; in Norwegia a Dovre *(Boheman)* usque ad Næs Wærdaliæ & Suulstuen in jugo alpino, non rara. (E Reinerzi Silesiæ a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Simillima *Anth. intermediæ* (102), sed paullo minor, & femoribus nigris præcipue dignota. Obscure cinerea. Thorax lineis dorsalibus 2 fuscis, in ♂ parum perspicuis. Pedes nigricantes, trochanteribus in primis intermediis geniculisque omnibus & summis rufis. Tibiæ etiam in ♀ interdum obscure testaceæ. Anus maris cinereo-nigricans, sed vix nisi in detritis nitidus. Reliqua ut in *Anth. intermedia.*

106. *A. albimana:* cinerea, subimmaculata, opaca, antennis pedibusque nigricantibus; tarsis anticis basi in ♂ albis; alis in utroque sexu subfuscanis, basi squamisque albidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Wahlb. in litteris 5 Nov. 1844.

Hab. in Ostrogothia, ubi uterque sexus in foliis Betulæ albæ ad Gusum d. 24 Maji 1842 a Professoribus *Wahlberg* & *Boheman* passim deprehensus.

♂♀. Speciem hanc ipse non vidi, quare descriptionem ejus exactam a Cel. *Wahlberg* datam intactam reddam. "*Anth. albimana* ♂♀. Affinis *Anth. meanti.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin. Cinerea opaca. Oculi nudi, in utroque sexu latius remoti, interstitio maris dimidiam oculi latitudinem, feminæ totam attingente, orbitis albo-micantibus, vitta media, superne bifida, nigricante vel antice, præsertim in femina, fulvescente. Frons subprominula. Epistoma descendens, subperpendiculare, ore non reflexo, setis utrinque 2 mystacinis longioribus. Antennæ epistomate paullo

breviores, articulo 3:tio oblongo, seta tenuiter puberula, antenna dimidio longiori, basi leviter incrassata, ibique nigra, cetero fusca. Palpi nigri. Thorax obsoletissime fusco-3-lineatus. Abdomen immaculatum, maris lineare, ano rotundato, feminæ ovato-lanceolatum. Alæ plus minus infuscatæ, basi cum squamis albidæ, costa breviter ciliata, spinulis 2 armata. Nervi 3 & 4 longitudinales leviter curvati at 3:tius in ipso apice alæ excurrit & exitu longius solito a 2:do distat. Nervus transversus ordinarius rectus. Halteres pallide testacei. Pedes nigricantes, spinulosi, feminæ simplices, tarsis omnibus concoloribus. Femora antica maris extus longius spinosa, tarsisque ejusdem paris articulis 2 primis albis, nigro-pubescentibus, subdilatatis & in junctura subflexis, tertio supra fuscescente subtus albo, 4 & 5 nigris. Pulvilli albi, maris elongati." — Huic similis & affinis videtur nostra *Aricia albitarsis* n:o 225; sed cum ambas comparare mihi non licuit de identitate earum dubitem, præsertim cum una alterave nota essentialis in descriptione Wahlbergianæ speciei cum nostra *albitarsi* haud congruit. *)

107. *A. genarum:* fusco-grisea, immaculata, subnitida, antennis pedibusque nigris, tibiis testaceis; epistomate descendente, sordide albo-corneo; alis basi squamisque albidis, costa subciliata, spinula distincta. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 695. 153. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; in summo al-

*) Postquam hæc plagula cum supra annotatis jam typis mandata erat, duo specimina mascula *Anth. albimanæ* Wahlb. a Cel. *Boheman* mihi communicata fuerunt, e quorum comparatione cum individuis nostræ *Ariciæ albitarsis* manifeste constat, has ut duas allatas species, utpote ad descriptionem *albitarsis* jam conjeci, non nisi unius ejusdemque esse. Deleatur igitur nomen *albimana*, & species *Aricia albitarsis* audiat. Id tantum addam, quod exempla Gottlandica Ostrogothicis paullo minora sint, sed de cetero nullum discrimen detegere potui.

pium jugo in nive ambulans d. 12 Jul. 1821 individuum unicum inveni.

♀. Species dubia, an hujus Sectionis? Frons subprominula & epistoma sat longe descendens, flavo-albo-cornea fere ut in *Aricia myopina* (117). Antennæ elongatæ, angustæ, palpique, atra; seta pubescente. Oculi parvi, non late remoti. Apertura oris magna. Abdomen subovatum, acutum. Alæ cinereæ, basi albidæ. Nervi ut in *Anth. intermedia* (102) directi. Costa breviter ciliata, spinula gemina nigra. Squamæ non magnæ, ciliatæ, sordide albæ. Halteres albidi. Pedes fusco-nigricantes, geniculis tibiisque flavis, tarsis atris.

108. *A. fulvicornis:* cinerea, immaculata, antennis fulvis; femoribus nigris, tibiis tarsisque flavis; alis hyalinis, squamis parvis, albis. ♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi rarissime; sub nomine: "*Anth. flavicornis*", exemplum a D. *Wahlberg* missum.

♀. Minuta. Forte hujus Sectionis. Tota cinerea, opaca, setosa. Caput albido-flavo-griseum, vitta frontali nigra, macula verticis cinerea. Oculi subrotundati, modice late distantes. Frons non prominens. Antennæ incumbentes, totæ flavo-fulvæ, seta obscura, tenuiter puberula. Epistoma subdeclivum, infra oculos haud descendens. Instrumenta cibaria in specimine viso retracta. Seta mystacina utrinque unica, tenuissima. Abdomen ovale, supra subdepressum. Alæ hyalinæ, irideæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transversi subappropinquantes, horum ordinarius perpendicularis, rectus, distincte ante medium areæ insertus. Costa brevissime ciliata, at spinula nulla. Squamæ minutæ, albidæ, valvulis subæquis. Halteres flavi. Coxæ & femora nigricantia, geniculis tibiisque flavis. Tarsi testacei, articulo ultimo obscuro.

*Obs.* *Anth. flavicornis:* antennis rufescentibus, seta subplumata, abdomine brunneo-punctato, femoribus flavis, &c., a nostra *fulvicorni* dignota, sub n:o 91 quærenda, hujus *mas* esse non potest.

109. *A. flavimana:* cana, antennis tarsisque nigris; pedibus obscure rufescentibus, anticis dilutioribus; alis albicantibus, squamis niveis. ♂. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Gottlandia, cum *Anth. lacteipenni* (101) rarissime inventa.

♂. Minuta, tota cana l. albicans. Frons non prominens, tota albida. Oculi oblongiusculi, sat late remoti. Antennæ incumbentes, angustæ, nigricantes, seta tenuissime puberula. Palpi tenuissimi, fusci. Proboscis longiuscula, nigra. Abdomen cylindricum, incurvum. Anus inflexus. Alæ albescentes, nervis ut in priori directis. Costa nuda, spinula nulla. Squamæ proportione mediocres, vix ciliatæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres albi. Pedes posteriores obscure rufescentes, antici rufo-flavi. Coxæ omnes cinerascentes. Tarsi omnes fusco-nigri. Pulvilli parvi, albi. Cum *Anth. lacteipenni* & *dealbata* (118) non confundi debet.

C. Seta antennarum nudiuscula aut nuda. Palpi nigri. Minutæ.

a. Abdomen nigro-punctatum.

*). Femora flavescentia.

110. *A. 8-punctata:* cinerea, antennis, palpis, abdominis maculis 8, pedibusque, nigris; femoribus posterioribus basi late, tibiisque omnibus, flavis; thorace brunneo-bilineato; alis cinereis, basi squamisque parvis, albidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 693. 141. ♂. — *Anth. strigella* Zett. Ins. Lapp. 695. 152. ♀.

Hab. in Scandinaviæ borealis & Lapponiæ Salicetis, 25 Jun.—30 Jul., passim; scilicet in Jemtlandia boreali

ad Mullfjellen & Skalstugan haud raro; in Lapponia Umensi ad ripas Wojmsjön, atque inter Tresunda & Nästansjö, parce. D. *Dahlbom*; in Lapponia Lulensi ad Quickjock mas lectus a D. *Boheman*; in Norwegia ad diversorium Suulstuen Wærdaliæ in jugo alpino situm, sat frequens.

♂♀. Per colorem pedum ab affinibus facile dignoscitur. Similis *Anth. geniculatæ* (98), sed magnitudine multo majore, seta antennarum adhuc subtilius puberula fere nuda, abdominis maculis brunneis majoribus subtrigonis octo (nec punctis brunneis minusculis rotudatis sex), tibiis omnibus flavis, ut & nervis transversis magis remotis, abunde ab illa dignota. Caput albomicans. Frons non prominens. Oculi oblongi, modice distantes, vitta frontali nigra. Antennæ nigræ, puncto in apice articuli 2:di albo. Palpi leviter clavati, nigri. Thorax lineis 2 brunneis. Abdomen in ♂ cylindricum, in ♀ lanceolatum, punctorum 4 paribus in utroque sexu brunneorum. Nervi longit. 3 & 4 paralleli. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, valvulis subæquis. Halteres albidi. Pedes cinereo-nigri, femoribus posterioribus a basi ad medium, geniculis tarsisque omnibus, rufo-flavis. Pulvilli albi, in ♂ elongati, in ♀ breves. Abdominis ultimum par macularum brunnearum in ♀ sæpe obsoletum; hinc abdomen 6-maculatum ut in Ins Lapp. de *Anth. strigella* dicitur, quæ certe est ♀ hujus.

*Obs.* Prof. *Wahlberg* putat (ut in litteris mihi nuperrime dixit) nostram *Anth. apicalem* n:o 43 hujus feminam esse.

**111.** *A. pumila:* cinerea, antennis, palpis, abdominis punctis 6, tarsisque, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, basi squamisque albis. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 691. 117. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 88. 119. ♂♀. typica. — *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 221. 25. forte quoque *Coenosia albicornis* Meig. Dipt. 5. 220. 21? ♂♀. & Macqv. Buff. 2. 318. 17? ♂♀. — Staeg. in litt.

Hab. in graminosis locis & aridis & paludosis, per prata & hortos Scandinaviæ, 2 Jul.—6 Sept., vulgaris; in copula deprehensa; scilicet in Scania ubique frequens; in Ostrogothia passim; in Gottlandia ad Sanda, Öja, Gothem &c.; in Uplandia; in litoribus graminosis Bahusiæ ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Mullfjellet & Skalstugan passim; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, Stöttingsfjellet & Lycksele; in Lulensi ad Quickjock (*Wahlberg*); & in Tornensi ad Kengis & Wittangi; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad Björkvik raro; in Dania frequens. (E Finlandia a D. *Sahlberg* & e Lubeca a D. D. *Behrens* & *Milde* quoque missa).

♂♀. A priore, cui similis, differt: magnitudine minore, abdominis punctis vix nisi tribus paribus (nam punctorum par in segmento 1:mo, quod par quartum esset, tantum in rudimento adest), ut & femoribus omnibus & totis flavis. Antennæ nigræ, albo-micantes. Thorax vix lineatus. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem subdivergentes; transversus ordinar. perpendicularis, rectus, perspicue ante medium areæ insertus. Costa breviter subciliata; spinula nulla. Squamæ non magnæ, albæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Pedes flavi, coxis anticis basi, intermediis ad medium, posticisque totis, cinereis. Tarsi nigri. Reliqua ut in præcedente. Affinis *Anth. decipienti* n:o 116, & vix nisi abdominis punctis discrepans.

Var. b. ♂. similis var. a., femoribus posticis ante apicem annulo fusco-notatis. In Jemtlandia ad Skalstugan 16 Jul. semel inventa.

Var. c. ♀. similis var. a., femoribus anticis nigris. Zett. l. c. var. c. ♀. In copula cum mare var. a., ad Muonioniska Lapponiæ Tornensis 17 Aug. 1821 capta.

*Obs.* Sub nomine *Coenos. albicornis* Meig. individua mascula hujus speciei mihi communicavit D. *Staeger*.

*Obs. Anth. pumila* var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. l. c. est *Anth. decipiens* (116), & var. d. ♀. Ins. Lapp. est *Anth. biocellata* (103).

112. *A. nigrifemur:* cinerea, antennis, palpis, abdominis punctis 6 obsoletis, femoribus anticis tarsisque omnibus, nigris; pedibus flavis; alis cinereis, squamis parvis, albis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

*Coenosia nigrimana* Meig. Dipt. 5. 215. 9? ♀.

Hab. in Suecia rarissime; mares 2 in Scania, & feminam unicam in insula Gottlandia, inveni.

♀. Long. $1\frac{1}{4}$ lin. Similis priori, sed femoribus anticis obscuris dignota. Thorax lineis 2 brunneis. Alarum costa vix ciliata. Femora antica nigro-fusca, basi apiceque anguste ferrugineis. Cetera ut in præcedente.

♂. An hujus? Long. vix 1 lin. Similis feminæ descriptæ. Thorax subimmaculatus. Alarum costa brevissime subciliata. Valde affinis & similis *Anth. pygmææ* (99); sed annulo fusco ante apicem femorum posticorum nullo, & nervis transversis non omnino tam approximatis ac in *A. pygmæa*, differt. — Nomen triviale *nigrimana* jam sub specie 21 receptum.

**). Femora nigricantia.

113. *A. humilis:* cinerea, antennis, palpis, abdominis punctis subsenis, pedibusque, nigris, femorum ima basi, geniculis tibiisque flavo-testaceis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

*Coenosia* Meig. Dipt. 5. 220. 23? ♂.

Hab. in graminosis Scandinaviæ, 15 Jul.—20 Sept., passim; etiam in copula semel capta; scilicet in Scania ad Lund & Kjeflinge; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena &c.; in Gottlandia ad Gothem

rar.; in Dalecarlia ad Rörshyttan; in Jemtlandia ad Åsarne & Skalstugan; in Lapponia meridionali rarissime; in Norwegia ad Suul Wærdaliæ parce; femina e Dania sub nomine *Coen. albicornis*, & altera vice ut *C. pedella* Fall. communicata. (Ad Neuenkirchen in Meklenburg Strelitz jam d. 20 Maj 1812 individua feminea a D. D. *Hornschuch* & *Dahlbom* lecta).

♂♀. Similis *Anth. pedellæ* (115), sed abdominis punctis distincta. Cinerea (♂), aut grisescens (♀). Caput albidum. Oculi modice remoti, vitta frontali nigra, certo situ cinereo-micante, præsertim in ♂. Antennæ nigræ, puncto albo in apice articuli 2:di. Palpi parvi, filiformes, nigro-fusci. Thorax in ♂ subimmaculatus, in ♀ vestigio linearum brunnearum. Alæ cinereæ, basi albicantes. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem parum l. leviter tantum divergentes; transversi modice remoti, perpendiculares, recti, horum vero ordinarius perspicue ante medium areæ insertus. Costa subtilissime subciliata; spinula nulla. Squamæ non magnæ, albæ, valvulis inæqualibus. Halteres albi. Pedes nigricantes, femoribus basi angustissime apiceque anguste, tibiisque totis, rufo-flavis. Pulvilli parvi. *Mas:* abdomine cylindrico, punctis suboctonis, brunneis, & præterea sæpe linea media dorsali interrupta ejusdem coloris. *Femina:* abdomine lanceolato, punctis 6 brunneis obsoletis.

*Obs.* *Coenos. perpusilla* Meig. Dipt. 5. 218. 18. ♀ a nostra *A. humili* vix distincta videtur.

114. *A. pulicaria:* cinerea, antennis, palpis, abdominis maculis 6, pedibusque, nigris, femorum ima basi geniculisque rufis; thoracis disco brunnescente. ♂♀ (Long. ♂ ¾, ♀ 1 lin.).

Hab. in Scandinaviæ graminosis, 20 Jun.—15 Aug., minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd semel; in

Jemtlandia ad Forsa juxta radicem Mullfjellet raro; in Norwegia ad Thynæs uterque sexus parce; e Dania sub nomine *Coenos. pedella* ♂ communicatus.

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine præsertim maris paullo minore, thoracis dorso infuscato, abdominis maculis majoribus, ut & pedibus fere totis nigricantibus, femoribus tantum basi plus minus anguste, geniculisque anguste, flavis, nec tibiis totis testaceis, differt. Thorax præsertim in ♂ disco leviter brunnescens l. ferruginans. *Mas:* abdomen cylindricum, dorso maculis 6 l. 8 obscure brunneis subconfluentibus, unde fere totum dorsum fuscum l. brunnescens apparet. *Femina:* abdomen lanceolatum, dorso maculis 4 l. 6, magis discretis, minoribus, subrotundatis, obsoletiusculis, & in fundo sæpe detrito & obscuro plerumque minus perspicuis, sæpissime tamen ita remanentibus & designatis, ut hæc nostra *A pulicaria* per has maculas ab affinibus *Anth decipiente* (116) & *pedella* (115) facile discerni queat.

b. Abdomen immaculatum.

115. *A. pedella:* cinerea, antennis, palpis pedibusque nigris; femorum ima basi, geniculis tibiisque testaceis. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 693. 141. ♀. *Musca* Fall. Muscid. 88. 118. ♀. (♂ ibidem allatus non verus est, sed tantum individuum femineum abdomine compresso, ut ex collectione Falleniana vidi). — *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 216. 11. (secund. Fall. transscripta).

Hab. in graminosis, plerumque locis aridis, per hortos, litora marina, prata & campos Scandinaviæ, a 24 Jun. usque ad 5 Octob., mihi vulgariter obvia; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, sat frequens; in Gottlandia ad Fårön, Gothem, Nähr, Öja &c., passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponiis:

Umensi ad Wilhelmina, & Tornensi ad Kengis &c., parce; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ex. gr. ad Lyngen rarius; in Dania, D. *Staeger*. (In hortis Gryphicis Jul. 1843 D. *Dahlbom* legit).

♀. Obscure cinerea, immaculata. Simillima *Anth. humili* (113), sed abdomine non nigro-punctato distincta. Thorax non lineatus. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli. Cetera ut in ♀ *A. humilis*. Abdomen in detritis interdum nigrum, subnitidum.

**116.** *A. decipiens:* cinerea, antennis, palpis pedibusque nigris; femoribus totis coxisque anticis in mare, geniculis in femina, tibiisque in utroque sexu, flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

*Coenosia* Meig. Dipt. 5. 218. 17. ♂♀. Macq. Buff. 2. 347. 14. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ graminosis, per hortos, prata & pascua, 22 Jun.—4 Aug., vulgatissima, præsertim in provinciis borealibus passim copiose; in copula multoties capta; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia & Ostrogothia passim; in Gottlandia ad Furillen, Öja, Hoburg, Gothem &c.; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellet, Skalstugan &c., valde frequens; in Lapponia Suecica Umensi rarius; in Norwegia ad Alstahaug, Levanger, Näs, Suul Wærdaliæ & Kongsluen (in ipso jugo alpino situm), frequentissime, ut & in Finmarkia ad Bossekop, raro; e Dania a D. *Staeger* missa. (Ad Jungfern-Heide & Moabite prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* in pluribus individuis lecta. E Glogavia ♂ a D. *Zeller* communicatus).

♂♀. Priori iterum simillima, & feminæ utriusque speciei frequenter confusæ, nec differunt nisi femoribus ima basi & sæpe etiam

trochanteribus in *A. pedella* ferrugineis, iisdem vero partibus in *A. decipiente* nigris. Interdum autem trochanterum apex in *decipiente* etiam rufescit. An igitur tantum varietas unius ejusdemque speciei? Sed ad *A. pedellam* nullum marem, at feminam *A. decipientis* cum mare femoribus flavis instructo junctam sæpe, inveni. *Mas:* abdomen compresso-cylindricum, glauco-cinereum. Coxæ anticæ ima basi, intermediæ ad dimidium, posticæ totæ, glaucescentes. Trochanteres, femora & tibiæ omnia & tota flava. *Femina:* abdomen lanceolatum, griseum. Genua tibiæque flavo-testacea.

Variat ♂ femoribus posticis ante apicem annulo fusco. *A. pumila* var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. 694. 147. In Jemtlandia atque in Lapponia Umensi ad Umenäs. — Variat etiam ♀ tibiis præsertim posticis obscuris. In Gottlandia ad Gothem & Östergarn, atque in Jemtlandia ad Frösön, Åreskutan & Mullfjellet &c.; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson;* atque ad Thynæs Norwegiæ, D. *Dahlbom.*

**117.** *A. tarsella:* cinerea, antennis, palpis tarsisque nigris, coxis omnibus, femoribus tibiisque flavis; femoribus anticis in ♀ fuscis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 691. 148. ♂♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in foliis Betulæ ad Badstuträsk 20 Jul. 1832 unicum par copulatum deprehendi.

♂♀. Priori ut ovum ovo simillima, & differt tantummodo coxis omnibus & totis, femoribus tibiisque in utroque sexu flavis, femoribus solum in ♀ in medio latissime obscuris. Forte etiam paullo major. Cum ♀ *Anth. intermediæ* (102) non confundenda.

**118.** *A. dealbata:* cana, antennis, palpis pedibusque nigris; trochanteribus, geniculis tibiisque obscure ferrugineis; alis albis. ♂. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 695. 151. ♂. (specimen femineum ibidem descriptum ad *Anth. verticellam* var. b. hujus operis n:o 53 pertinet.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in frutice silvæ Esperöd in paroecia Mellby Scaniæ 16 Sept. 1818 semel deprehendi. In Ölandia, teste D. *Wahlberg*.

♂. Similis *Anth. pedellæ* (115), sed corpore alisque albidioribus dignota. Tota cana, immaculata. Caput album, vitta frontali cinereo-nigra. Frons non prominens. Antennæ modice longæ, angustæ, nigræ, puncto apicis articuli 2:di albo. Abdomen cylindricum, incisuris albidis. Alæ niveæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transversus ordinar. perpendicularis, rectus, perspicue ante medium areæ insertus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ proportione insecti mediocres, niveæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Pedes nigro-cinerei, trochanteribus, geniculis summis tibiisque obscure rufescentibus. Tarsi nigri. Pulvilli non magni, albi.

*Obs*. ab *Anth. verticella* (53) & præsertim ejus varietate b. per corpus cylindricum, albidum, maculam supra antennas flavam nullam, alas albidiores ut & squamas paullo majores, valvulis inæqualibus; ab *Anth. niveipenni* (64) per frontem non prominentem, maculam frontalem flavam deficientem, & squamarum valvulas sub alis inæquales; & denique ab *Anth. lunatifronte* (84) per magnitudinem minorem, femora nigricantia, nec flava, &c., quibus hæc nostra *A. dealbata* similis, in primis distinguitur.

119. *A. metallipennis:* nigricans, capite albicante; antennis mediocribus, palpis pedibusque nigris; tibiis basi testaceis; alis cinereis, metallice nitentibus, basi squamisque parvis, albidis. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 695. 155. ♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; a D. *Deutsch* in uno specimine communicata.

♀. Similis *Anth. meanti* (105), sed nonnihil minor, magis obscura & antennis validioribus dignota. Tota nigricans, subnitens (an in detrita?). Caput argenteo-micans, vitta frontali nigra. Facies non prominens. Antennæ validiusculæ, nigræ, seta nuda. Abdomen lanceolatum. Alæ metallice nitent, basi albidæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli, transversi modice distantes, horum ordinarius subperpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Squamæ parvæ, albidæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi. Pedes nigri. Tibiæ præsertim anticæ basi pallescunt. Species dubia forte hujus Sectionis?

**120.** *A. ambulans:* nigra, subnitida, antennis palpisque concoloribus; capite albicante; pedibus flavis, femoribus anticis (in ♀) tarsisque omnibus nigricantibus; alis cinerascentibus, squamis minutis, albidis. ♀. (Long. fere 1 lin.).

*Coenosia* Meig. Dipt. 5. 217. 13. ♀.

Hab. in Suecia media rarissime; in Gottlandia ad Ejsta specimen descriptum 2 Jul. 1841 legi.

♀. Minuta. Tota nigra, subnitens, pleuris nigro-cinerascentibus. Caput albicans. Frons non exserta, vitta nigra. Antennæ longiusculæ, angustatæ, nigræ, seta nuda. Palpi parvi, nigri. Abdomen lanceolato-cylindricum. Alæ cinerascenti hyalinæ, levissime fusco-subtinctæ, certo luminis situ metallice nitentes, basi dilutiores. Nervi: longitudinales 3 & 4 exacte paralleli; transversi medice distantes, horum ordinarius perpendicularis, rectus, ante medium areæ insertus. Squamæ minutæ, albæ, valvulis æqualibus. Halteres albi. Pedes cum trochanteribus flavi, coxis, femoribus anticis tarsisque omnibus nigris. Femorum anticorum summus apex flavus.